Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/institutionscath0006vari

POUGET.

INSTITUTIONES

CATHOLICÆ.

VI.

FATHER'S LIBRARY

TOMUS VI. CONTINET

II. Part. Sect. IV.

Cap. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. *De Præceptis Ecclesiæ.*

Conclusio II. Partis. *De Consiliis Evangelicis.*

INSTITUTIONES

CATHOLICÆ

IN MODUM CATECHESEOS,

IN QUIBUS QUIDQUID AD RELIGIONIS HISTORIAM ET ECCLESIÆ DOGMATA, MORES, SACRAMENTA, PRECES, USUS ET CÆREMONIAS PERTINET, TOTUM ID BREVI COMPENDIO EX SACRIS FONTIBUS SCRIPTURÆ ET TRADITIONIS EXPLANATUR;

EX GALLICO IDIOMATE IN LATINUM SERMONEM TRANSLATÆ:

ADJECTIS SINGULIS È SCRIPTURA ET TRADITIONE PETITIS PROBATIONIBUS ET TESTIMONIIS.

AUCTORE EODEM ET INTERPRETE FRANCISCO-AMATO POUGET, MONTISPESSULANÆO, PRESBYT. CONGREGATIONIS ORATORII GALLICANI, SACRÆ FACULTATIS PARISIENSIS DOCTORE THEOLOGO.

EDITIO NOVA, CUM EMENDATIONIBUS ET APPENDICE.

ALMA COLLEGE 254 LIBRARY P862 Alma, California

TOMUS SEXTUS.

APUD PERISSE FRATRES, BIBLIOPOLAS,

LUGDUNI
in priori domo
VIA MERCATORIA, 49,
ET VIA CENTRALI, 60.

PARISIIS
in recentiori domo
VIA SANCTI-SULPITII, 38.

1857

1069

Rev. James Vila PP.

Avenione, Typis Fr. Seguin, via dicta Bouquerie, 13.

INSTITUTIONES CATHOLICÆ
IN NORMAM CATECHESEOS.

SECUNDÆ PARTIS SECTIO IV.

De Præceptis Ecclesiæ.

CAPUT PRIMUM.

De Præceptis Ecclesiæ in genere.

Int. Disc. SUFFICITNE ad salutem si pareamus præceptis Dei ?

Resp. Sufficit. Sed Deo non plenè obsequimur, nisi et obsequamur Ecclesiæ. Itaque observanda et Ecclesiæ præcepta.

I. Potestne Ecclesia aliquid de novo præcipere ?

R. Potest. Hanc facultatem accepit à Christo, tenemurque ipsam præcipientem audire et sequi. (A)

I. Quibusnam competit in Ecclesia jus præcipiendi ?

R. Pastoribus. Ipsos enim posuit Christus ad regendam Ecclesiam. Ad eos itaque pertinet jus condendi leges. Cæteris incumbit necessitas obsequendi. (B) *Qui vos audit, me audit :* et *Qui vos spernit, me spernit.* (*Luc.* X. 16.) Verba sunt Christi Pastores omnes in persona Apostolorum alloquentis.

I. Condideruntne Apostoli novas leges à Præceptis Dei distinctas ?

R. Condiderunt. Statuerunt enim in Concilio Jerosolymis congregato, abstinendum esse à sanguine, et suffocatis, et idolothytis. *Visum est*, inquit Concilium, (*Act.* XV. 28. 29.) *Spiritui sancto, et nobis, nihil ultrà imponere vobis oneris quàm hæc necessaria : ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, et sanguine, et suffocato, et fornicatione.*

(A) MATTH. XVIII. 17. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus et Publicanus.

(B) ACT. XX. 28. Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei.

HEBR. XIII. 17. Obedite Præpositis vestris, et subjacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.

Quibus Concilii Apostolici verbis constat, ab ipso Spiritu sancto præcipi quidquid præcipit Ecclesia; et ad Ecclesiam pertinere jus condendi leges novas, ubi id expedire judicaverit. Quin et hoc ipsum ex perpetua Ecclesiæ Traditione, Canonibusque quâlibet ætate ab Ecclesia conditis demonstratur. Sed et ipsi Protestantes, qui nolunt parere præceptis Ecclesiæ Catholicæ, fatentur tamen in sua Confessione fidei ad Ecclesiam pertinere jus condendi leges quibus parere teneamur: Ipsique leges sibi condiderunt, quas vocant Ecclesiarum suarum disciplinam.

I. Estne grave peccatum, Ecclesiam præcipientem non audire?

R. Gravissimum. Ait enim Christus; *Si* quis *Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus et Publicanus.* (*Matth.* XVIII. 17.)

I. Cur condit Ecclesia leges?

R. 1. Ut aliquos externos pietatis actus normâ aliquâ dirigat; atque ita faciliorem reddat observationem præceptorum Dei.

2. Ut definiat tempus et modum observationis præceptorum Dei.

Id facile est exemplis demonstrare.

Tenemur animo recolere Dei beneficia, et nos ipsos ad vitæ æternæ desiderium excitare: Debet nobis Sanctorum gloria incitamentum esse ad eorum sectanda vestigia, et ad gratiarum actionem Deo habendam pro collatis in eos beneficiis, et pro eorum victoriis et triumphis. Ut hæc sanctè impleamus, festorum celebrationem instituit Ecclesia, ut infrà videbimus. (*Hujusce Sect. Cap.* 2. §. 16.)

Lege naturali et Decalogo tenemur exteriorem Deo cultum exhibere, et quâlibet hebdomadâ diem unum saltem Dei specialiori obsequio destinare: ut id sanctè impleamus, præcipit Ecclesia ut singulis diebus Dominicis et Festis sacro-sancto Missæ sacrificio adsimus: nullus enim est actus religionis Sacrificio excellentius, ut infrà videbimus. (*Part.* 3. *Sect.* 2. *Cap.* 7.)

Tenemur communicare interdùm Corpori et Sanguini Domini, et peccata saltem lethalia expiare sacramento Pœnitentiæ; id infrà probabimus. (*Parte* 3. *Sect.* 1. *Cap.* 4. §. 10. *et Cap.* 5. §. 9.) Ne torpeamus negligentiâ circa hæc, præfinit Ecclesia tempus quo singuli fides accedere debeant ad sancta Pœnitentiæ et Eucharistiæ sacramenta.

Tenemur sectari mortificationem carnis, castigare corpus nostrum, et in servitutem redigere exemplo Apostoli, jejunare interdùm, juxta id quod Christus dixit Pharisæis, *Auferetur ab eis* (Discipulis suis) *sponsus*, (id est, Christus, qui ascendendo ad Patrem relicturus erat Discipulos suos præsentiâ sensibili:) *Et tunc jejunabunt.* (*Matth.* IX. 15. *Luc.* V. 35.) Ut hæc impleamus, stata quædam jejunia et certas abstinentias Ecclesia præcipit.

Adeòque verum est præcepta Ecclesiæ nihil aliud esse, quàm certum et præfixum modum, statutamque rationem observandorum præceptorum Dei.

I. Quænam sunt præcepta Ecclesiæ ?

R. Sex vulgò numerantur, quæ pertinent ad omnes omninò fideles, cujuscunque statûs et conditionis.

Primum in eo positum est, ut sanctificentur festi dies ab Ecclesia constituti.

Alterum, ut à singulis fidelibus Missæ officium integrè audiatur singulis diebus Dominicis et Festis ab Ecclesia constitutis.

Tertium, ut semel saltem annis singulis peccata sacramentaliter deponantur coram proprio Pastore, vel alio Sacerdote, de licentia Pastoris.

Quartum, ut annis singulis unusquisque in propria Ecclesia, in festis Paschalibus reverenter sumat Sacro-sanctum Eucharistiæ sacramentum, et communicet corpori et sanguini Domini.

Quintum, ut jejunium quatuor temporum, et vigiliarum, et totius quadragesimæ sanctè observetur.

Sextum, ut singulis hebdomadis feriâ sextâ et sabbato abstineatur à carnibus.

CAPUT SECUNDUM.

De Primo Præcepto Ecclesiæ:

Quod est circa Festorum sanctificationem.

§. 1. De Diebus Festis in genere, et de Potestate Ecclesiæ circa Festorum institutionem.

I. Quodnam est primum Ecclesiæ præceptum ?

R. Ut sanctificentur festi dies ab Ecclesia constituti, non secùs ac dies Dominica sanctificanda est ex Dei præcepto.

I. Quomodo sanctificandi sunt festi dies ?

R. Quomodo superiùs diximus sanctificari oportere diem Dominicam. (*Sect.* 3. *Cap.* 4. §. 2. *hujusce Partis.*)

1. Abstinendum ab omni opere servili, et maximè à peccatis.

2. Vacandum his diebus operibus religionis.

3. Cujuscunque solemnitatis scopum intendere et assequi.

I. Quod præcipit Ecclesia ne quis diebus festis vacet operibus servilibus, nonne pugnat cum eo quod præcipit Deus : *Sex diebus operaberis, et facies omnia opera tua. Septimo autem die sabbatum Domini Dei tui est: non facies omne opus in eo.* (*Exod.* XX. 9. 10.)

R. Nihil est inter utrumque præceptum contrarietatis. Nihil enim aliud sibi volunt verba hæc, *sex diebus operabe-*

ris, etc. nisi sex esse dies in qualibet hebdomada, in quibus juxta consuetum ordinem operari liceat, septimâ autem die quiescendum ; his autem verbis non excluditur præceptum cessandi ab operibus, si fortè, præter consuetum ordinem, accidat dies festus infra hebdomadam.

Nec putes arbitrio nostro confictam hanc interpretationem : sic Deus ipse voluit verba superiùs allata accipi. Id liquidò constat ex ipso libro Exodi, ex quo sumpta sunt. Patet enim ex illo libro accidisse interdum infra hebdomadam festos dies, quibus ex Dei jussu cessandum esset ab servilibus operibus ut in die sabbati. (A)

Confirmatur invictissimè hæc explicatio ex capite vigesimo tertio Levitici. In hoc enim capite, ubi Moyses retulit hæc verba, *Sex diebus facietis opus. Dies septimus, quia sabbati requies est, vocabitur sanctus. Omne opus non facietis in eo :* (*Levit.* XXIII. 3.) mox subdit quinam sint festi dies in quibus ab omni opere servili cessandum esset non secùs ac die sabbati : Nimirùm festi dies Paschæ, Pentecostes, Buccinarum, Expiationis, Tabernaculorum, et Neomeniarum. (B)

(A) EXOD. XII. 15. Septem diebus azyma comeditis : in die primo non erit fermentum in domibus vestris : quicunque comederit fermentatum, peribit anima illa de Israël, à primo die usque ad diem septimum. 16. Dies prima erit sancta atque solemnis, et dies septima eàdem festivitate venerabilis : nihil operis facietis in eis, exceptis his quæ ad vescendum pertinent.

XXIII. 14. Tribus vicibus per singulos annos, mihi festa celebrabitis. 15. Solemnitates azymorum custodies. Septem diebus comedes azyma, sicut præcepi tibi, tempore mensis novorum, quando egressus es de Ægypto : non apparebis in conspectu meo vacuus. 16. Et solemnitatem messis primitivorum operis tui, quæcunque seminaveris in agro. Solemnitatem quoque in exitu anni, quando congregaveris omnes fruges tuas de agro. 17. Ter in anno apparebit omne masculinum tuum coram Domino Deo tuo.

DEUTER. XVI. 1. Observa mensem novarum frugum, et verni primum temporis, ut facias Phase Domino Deo tuo : quoniam in isto mense eduxit te Dominus Deus tuus de Ægypto nocte... 8. Sex diebus comedes azyma : et in die septima, quia collecta est Domini Dei tui, non facies opus. 9. Septem hebdomadas numerabis tibi ab ea die quâ falcem in segetem miseris. 10. Et celebrabis diem festum hebdomadarum Domino Deo tuo, oblationem spontaneam manûs tuæ, quam offeres juxta benedictionem Domini Dei tui... 13. Solemnitatem quoque tabernaculorum celebrabis per septem dies, quando collegeris de areâ et torculari fruges tuas.... 16. Tribus vicibus per annum apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui, in loco quem elegerit : in solemnitate azymorum, in solemnitate hebdomadarum, et in solemnitate tabernaculorum.

(B) LEVIT. XXIII. 4. Hæ sunt ergo feriæ Domini sanctæ, quas celebrare debetis temporibus suis. 5. Mense primo, quartâ decimâ die mensis ad vesperum, Phase Domini est : 6. Et quintâ decimâ die mensis hujus, solemnitas azymorum Domini est. Septem diebus azyma comedetis. 7. Dies primus erit vobis celeberrimus, sanctusque : omne opus servile non facietis in eo : 8. Sed offeretis sacrificium in igne Domino septem diebus. Dies autem septimus erit celebrior, et sanctior : nullumque servile opus facietis in eo... 15. Numerabilis ergo ab altero die sabbati, in quo obtulistis manipulum primitiarum, septem hebdomadas plenas, 16. Usque ad alteram diem expletionis hebdomadæ septimæ, id est, quinquaginta dies : et sic offeretis sacrificium novum Domino.... 21. Et vocabitis hunc

I. Fateor quidem hinc probari celebratas fuisse Dei jussu in lege veteri solemnitates quasdam præter sabbatum : sed non propterea efficitur penès Ecclesiam esse jus instituendi festa in quibus abstinendum sit ab opere servili.

R. Si jus illud penès Synagogam Judæorum fuit, est certè multò magis penès Ecclesiam. At hoc jure Synagogam usam fuisse Christo ipso approbante constat. Sub Mardochæo institutum est tempore Esther, festum sortium. Tempore Judith institutus est dies festus anniversariâ solemnitate celebrandus in memoriam devicti Holophernis. Sub Juda Machabæo instituta solemnitas est in gratiam victoriæ à Juda de Nicanore reportatæ. Sub eodem instituta est solemnitas Encæniorum, id est, dedicationis templi, quam Christus ipse legitur in Evangelio celebrasse. (C)

diem celeberrimum, atque sanctissimum : omne opus servile non facietis in eo.. 24... Mense septimo, primâ die mensis, erit vobis sabbatum, memoriale, clangentibus tubis, et vocabitur sanctum : 25. Omne opus servile non facietis in eo... 27. Decimo die mensis hujus septimi, dies expiationum erit celeberrimus, et vocabitur sanctus : affligetisque animas vestras in eo, et offeretis holocaustum Domino. 28. Omne opus servile non facietis in tempore diei hujus : quia dies propitiationis est, ut propitietur vobis Dominus Deus vester. 29. Omnis anima, quæ afflicta non fuerit die hâc, peribit de populis suis : 30. Et quæ operis quippiam fecerit, delebo eam de populo suo. 31. Nihil ergo operis facietis in eo... 34... Quinto decimo die mensis hujus septimi, erunt feriæ tabernaculorum septem diebus Domino. 35. Dies primus vocabitur celeberrimus, atque sanctissimus : omne opus servile non facietis in eo. 36. Et septem diebus offeretis holocausta Domino. Dies quoque octavus erit celeberrimus atque sanctissimus, et offeretis holocaustum Domino : est enim cœtus atque collectæ : omne opus servile non facietis in eo.

(C) MACHAB. cv. 59. Et statuit Judas, et fratres ejus, et universa Ecclesia Israël, ut agatur dies dedicationis altaris in temporibus suis, ab anno in annum, per dies octo, à quinta et vigesimâ die mensis Casleu, cum lætitia et gaudio.

JOAN. x. 22. Facta sunt autem Encænia in Jerosolymis : et hyems erat. Et ambulabat Jesus in templo.

ESTHER. IX. 19. Hi verò Judæi, qui in oppidis non muratis ac villis morabantur, quartum decimum diem mensis Adar conviviorum et gaudii decreverunt, ita ut exsultent in eo, et mittant sibi mutuò partes epularum et ciborum. 20. Scripsit itaque Mardochæus omnia hæc, et litteris comprehensa misit ad Judæos, qui in omnibus Regis provinciis morabantur, tam in vicino positis, quàm procul, 21. Ut quartam decimam, et quintam decimam diem mensis Adar pro festis susciperent, et revertente semper anno solemni celebrarent honore : 22. Quia in ipsis diebus se ulti sunt Judæi de inimicis suis, et luctus atque tristitia in hilaritatem gaudiumque conversa sunt, essentque dies isti epularum atque lætitiæ, et mitterent sibi invicem ciborum partes, et pauperibus munuscula largirentur. 23. Susceperuntque Judæi in solemnem ritum cuncta quæ eo tempore facere cœperant, et quæ Mardochæus litteris facienda mandaverat... 26. Atque ex illo tempore dies isti appellati sunt Phurim, id est, sortium : eò quod phur, id est, sors, in urnam missa fuerat.... 28. Isti sunt dies, quos nulla unquam delebit oblivio : et per singulas generationes cunctæ in toto orbe provinciæ celebrabunt : nec est ulla civitas, in qua dies phurim, id est, sortium, non observentur à Judæis, et ab eorum progenie, quæ his cæremoniis obligata est.

JUDITH. 31. Dies autem victoriæ (*à Judæis in Assyrios reportatæ, post decollatum à Judith Holofernem*) hujus festivitatis, ab Hebræis in numero sanctorum dierum accipitur, et colitur à Judæis ex illo tempore usque in præsentem diem.

I. Ad quos spectat in Ecclesia jus festorum instituendorum ?

R. Ad Episcopos *quos posuit* Christus *regere Ecclesiam Dei*, et invigilare universo gregi, ut ait Apostolus. (*Act.* XX. 28.)

I. Quis instituit ea festa quæ nunc celebrantur in Ecclesia ?

R. Quædam ex iis ab Apostolis instituta fuisse, traditione constat. Quædam universa Ecclesia celebrat ex veteri ritu. Quædam in quibusdam regionibus instituta primùm, tota dehinc Ecclesia suscepit. Quædam tandem in singularibus Ecclesiis celebrantur ex Episcoporum institutione. (D)

I. Tenemurne postremi hujus generis festa sanctificare non secùs ac alia ?

R. Tenemur. Omnia et singula sanctificanda sunt. Quod enim in singulis Ecclesiis Episcopi constituerunt, id sequi tenemur quandiù versamur in illis Ecclesiis. Ubicunque enim vel ad tempus diversati fuerimus, tenemur præbere omnibus vitæ laudabilis exemplum, servare constitutam ibi vitæ rationem, et in iis quæ ad mores, et disciplinam et Dei cultum pertinent subesse Pastoribus, ad quos in sua quemque diœcesi spectat modum et tempus et rationem externi Dei cultûs præscribere. (E)

I. Cur festi dies instituti sunt ?

R. Ad honorem Dei et fidelium eruditionem.

Ad honorem Dei. Deum enim colimus et veneramur, dum præcipua religionis nostræ mysteria celebramus ; et B. Virginis et Sanctorum virtutes et triumphos ad memoriam revocando, gratias agimus Deo de donis suis.

2. MACHAB. XV. 36. Itaque omnes communi consilio decreverunt nullo modo diem istum (*quo de Nicanore Judas victoriam retulerat*) absque celebritate præterire. 37. Habere autem celebritatem tertiâ decimâ die mensis Adar, quod dicitur voce Syriacâ, pridiè Mardochæi diei.

(D) S. AUG. *Epist.* 54. *aliàs* 118. *seu ad Januarii inquisitiones lib.* 1. *c.* 1. *n.* 1. *etc. Vide suprà* §. 1. *Cap.* 2. *Sect.* 1. *hujusce Partis*, *litt.* (R)

Legas ea de re R. P. TROMASSINI *Cong. orat. Gallicani sacerdotis Tractatum* de Festis, *in quo hanc de qua nunc agimus toto hocce Capite materiam penitiùs pertractavit.*

(E) HEBR. XIII. 17. Obedite præpositis vestris, et subjacete eis. Ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri.

S. AUG. *ad inquisit. Januar. lib.* 2. *seu Epist.* 54. *aliàs* 118. *c.* 2. *n.* 2. *Vide suprà* §. 1. *Cap.* 2. *Sect.* 1. *hujusce Part. litt.* (R)

Lib. 2. *seu Epist.* 55. *aliàs* 119. *cap.* 18. *n.* 34. De iis qui variè per diversa loca observantur, una in his saluberrima regula retinenda sit, ut quæ non sunt contra fidem, neque contra bonos mores, et habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris, ubicunque institui videmus, vel instituta cognoscimus, non solùm non improbemus, sed etiam laudando et imitando sectemur, si aliquorum infirmitas non ita impedit, ut amplius detrimentum sit. Si enim eo modo impediat, ut majora studiosorum lucra speranda sint, quàm calumniatorum detrimenta metuenda, sine dubitatione faciendum est, maximè id quod etiam de Scripturis defendi potest, sicut de hymnis et psalmis canendis, cùm et ipsius Domini et Apostolorum habeamus documenta et exempla et præcepta. De hac re tam utili ad movendum piè animum et accendendum divinæ dilectionis affectum varia consuetudo est.

Ad fidelium eruditionem. Fideles enim hàc mysteriorum et egregiè factorum recordatione erudiuntur. (F)

I. Quænam festa Ecclesia celebrat ?

R. Festa in honorem et SS. Trinitatis, et Christi, et B. Mariæ Virginis, et Angelorum, et Sanctorum omnium vel singulorum, et demùm in memoriam vel Dedicationis Ecclesiæ, vel insignis alicujus beneficii à Deo accepti, verbi gratiâ, liberationis ab hæresi, ab hostibus, à peste, etc.

I. Quomodo assequi possumus scopum uniuscujusque solemnitatis ?

R. Si meditemur mysteria quæ eâ die recolit Ecclesia, virtutes Sanctorum quorum vita nobis hàc die proponitur in exemplum; demùm si piis tunc vacemus operibus (G), non secùs ac die Dominicà fieri oportere jam diximus.

§. 2. De Festis sigillatim, ac primò quidem de Festo SS. Trinitatis.

I. Quandonam celebrat Ecclesia festum sanctissimæ Trinitatis ?

R. Dies singuli, maximè verò Dominici, quin et festi Sanctorum dies sanctissimæ Trinitati consecrantur. Singulis enim diebus Deum unum et trinum veneramur et colimus, et cultus omnis etiam Sanctis exhibitus, ad SS. Trinitatem refertur. (A) Sed ab annis circiter quingentis diem unum specialis Ecclesia consecrat adorationi et meditationi tre-

(F) S. Aug. *Lib.* 8. *de Civit. Dei, c.* 27. *n.* 1. *et* 2. *Vide suprà* §. 3. *Cap.* 2. *Sect.* 3. *hujusce Partis litt.* (I)

(G) S. Chrysost. *Homil. de Lazaro et divite, tom.* 6. *pag.* 564. *edit. Paris. ann.* 1624. Operæ pretium est, ut divites quidem ex præcedentis divitis supplicio seipsos corrigant, pauperes verò dum præfulgentes in Lazaro spes suas intuentur, alacriter cursum afflictionis decurrant.

Pag. 569. Idcircò namque lecta sunt hæc tibi, ne si eisdem immiseri-cordis insistas divitis vestigiis, in idem gehennæ supplicium prolabaris. Tu verò pauper ne mente concidas, neve animum despondeas, dum procellà mendicitatis jactaris. Lazarum illum clarissimum respice : ibi sint oculi tui, nocte dieque defixi : ut vitam tuam patientiæ clavo gubernans ad eumdem quietis portum proveharis.

S. Basil. *In cap.* 1. *Isaïæ, pag.* 836. *edit. Paris. in fol. an.* 1618. *tom.* 1. *mihi* 65. Qui sic sabbata perficiunt, non ut sibi temperent ab improbis operibus, sed ut abstineant ab his ad quæ ex officio tenentur, hos meritò aversatur Deus atque fastidit, nec eos tolerat tanquam mendaces.

(A) *Decret.* Gregor. IX. *lib.* 2. *tit.* 9. *de feriis, cap.* 2. Alexand. III. *immò* Alexander II. *Terdon. Archiep.* Festivitas sanctæ Trinitatis, secundùm consuetudinem diversarum regionum à quibusdam consuevit in octavis Pentecostes, ab aliis in dominica prima ante adventum Domini celebrari. Ecclesia siquidem Romana in usu non habet, quòd in aliquo tempore hujusmodi celebret specialiter festivitatem : cùm singulis diebus, Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto, et cætera similia dicantur ad laudem pertinentia Trinitatis.

Micrologus *de Ecclesiasticis observationibus, cap.* 60. *seculo* xi. *tom.* 18. Bibliothecæ Patrum, *Lugduni ann.* 1677. *pag.* 489. Quidam... officium de S. Trinitate in octava Pentecostes instituunt... sed non est authenticum... Incongruum ergo videtur unam Dominicam... de sancta Trinitate celebrari : cùm omnes Dominicæ authenticis abundent officiis, quæ non minùs nobis intimant honorem S. Trinitatis. Præfationem autem de S. Trinitate, quam in diebus Dominicis frequentamus... ex Romana auctoritate suscepimus.

mendi illius sanctissimæ Trinitatis mysterii : vocaturque festum illud, festum seu Dominica sanctissimæ Trinitatis. Romæ et omnibus in Ecclesiis quæ ritum Romanum sequuntur, festum illud celebratur Dominicâ primâ post Pentecosten ; Narbone, Dominicâ ultimâ post Pentecosten ; quibusdam in Ecclesiis, verbi gratiâ, apud Senonas et Arvernos bis celebratur, scilicet Dominicis primâ et ultimâ post Pentecosten. (B)

I. Quid sibi maximè proposuit Ecclesia in festi hujus institutione ?

R. Ut Deum in personis tribus unum adoremus et summè veneremur ; et ante conspectum illius tantæ majestatis planè deprimamus nos ; et *humiliemur sub potenti manu* ejus (1. *Petr.* v. 6.), et hujus providentiæ omninò subjiciamur. (C)

(B) Micrologus *suprà litt.* (A) *hocce.* §.

Radulphus de Rivo *Decanus Tongrensis, de canonum observantia, in fine Propositionis* 16. *pag.* 307. *tom.* 26. Bibliothecæ Patrum, *Lugduni ann.* 1677. Super octavâ verò Pentecostes, magna est adhuc diversitas. Cùm enim Romani in hac Dominicâ imponerent historiam Regum nec servarent festum Trinitatis : aliquæ nationes, ut Alemanni, eâdem die servant octavas Pentecostes, in hebdomada et Dominica sequenti, servantes officium Trinitatis. Alii, ut Gallici plures, illo die plenum faciunt festum Trinitatis, cum octavis majoribus. Hodiernis verò temporibus Romæ et in curia Romana, solemnis habetur festivitas sanctæ Trinitatis in octava suprà dicta, quod etiam plures Alemanni cœperunt sequi posteà.

(C) *Cùm tremendi illius mysterii cognitio fidei nostræ fundamentum sit, his quæ suprà laudavimus SS. Patrum testimoniis, hujusce Operis Parte* 1. *Sect.* 1. *Cap.* 1. §. 4. *quæ sequuntur ad pleniorem illius intelligentiam adjicere placuit.*

S. Justinus Mart. *in exposit. Fidei, paulò post initium.* Pro confesso nobis sit, nihil prorsùs primitùs unà cum Deo rerum omnium parente simul fuisse : quandoquidem ab eo universa producta esse, demonstratum est. Unus ergo reverà est universitatis hujus Deus, qui in Patre et Filio et sancto Spiritu cognoscitur. Cùm namque ex substantia sua Pater Filium progenuerit, atque ex eadem Spiritum produxerit : jure optimo, quæ unam eamdemque participant essentiam, unâ eademque dignantur divinitate. Quomodo igitur, dicet aliquis, non differt id quod gignit ab eo quod gignitur ; et quod procedit, ab eo undè procedit ? Pater quippè ingenitus est, à quo et Filius genitus est, et Spiritus sanctus processit. Idcircò non idem cum Patre Filius et Spiritus sanctus. *Ingenitum et Genitum et Procedens,* non essentiæ nomina sunt, sed existentiæ modi ; modusque existentiæ nominibus hisce donatur. Essentiæ autem significatio, nomine Dei designatur ; ita ut sit differentia Patri ad Filium et Spiritum, juxta existentiæ modum : unitas autem sive identitas, juxta essentiæ rationem.

Pag. 379. Persimilia, atque adeò eadem de Patre et Filio et Spiritu sancto prodita sunt : quis ita sinistro fuerit animo, ut de æquabili inter ipsos essentiæ communione ambigat ? Quapropter unum nos convenit profiteri Deum, cujus est in Patre et Filio et sancto Spiritu notio : quà quidem Pater et Filius et Spiritus sanctus, unius Divinitatis existentias agnoscentes : quà verò Deus, existentiarum, secundùm naturam et essentiam communionem intelligentiâ complectentes. Unitas namque in Trinitate intelligitur, et Trinitas in unitate agnoscitur. Quonam verò id modo, neque ex aliis percunctari ipse velim, neque mihi ipse persuadere possim, rerum arcanarum et ineffabilium rationem, ut linguâ luteâ et carne squalidâ proferre audeam. Tametsi enim mens pura in nobis sedem suam habeat, per quam non rarò ea quæ supra nos sunt, ratione

comprehendimus : attamen, quæ ei conjuncta est, carne gravatà, illa infirmior redditur, quàm ut rerum majorum manifestans assequatur cognitionem : nam mente multa secum agitantem, terrenum deprimit tabernaculum. Idcircò nemini omnium, quatenùs homo fuerit, concessum est, ut pertingere ad primam illam ac beatam naturam et essentiam queat.

AUCTOR. *Quæst. et Resp. ad Orth. Quæst.* 16. Si juxta naturam nostram id quod generatur progeneranti consubstantiale est : quomodo juxta eam id quod generatum est, non cum progenerante existit? Sin secundum non obtinet, nec primum quoque : eadem nobis de Divina generatione erit sententia.

Resp. Nobis existentia est, quæ generationem præcedit, generatione existentiam subsequente. Deus autem, unà cum eo quod sit genuit. Quocirca apud Deum non est postexistentia geniti, quia neque præexistentia gignentis.

Quæst. 17. Si Divinarum subsistentiarum unitas distinctionem non capit : quomodo tres subsistentiæ, et tres possunt dici personæ : ac non potiùs una subsistentia trium nominum, aut trium personarum?....

Resp. Divinarum subsistentiarum essentiæ quidem unitas, distinctionem non admittit : Trinitas autem earum distinctionem capit. Quocirca tres subsistentiæ peculiaribus nominibus sunt tres : et quam subsistentiam nominamus Patrem, eam subsistentiam non etiam vocamus Filium, sed aliam. Trinitatem enim nominum, trinitatis dicimus esse subsistentiarum, non unitatis earum. Itaque unus est Deus, unitate distinctionem non admittente essentiæ : tres autem personæ distinctione personarum.

Quæst. 18. Si Deus quidem substantiam, Pater autem personam designat : quomodo idem est dicere Filium Dei et Filium Patris?....

Resp. Cùm disjunctim dicimus Filium, quandoque Filium Patris, quandoque Filium Dei : disjunctum tamen ipsum non consideramus. Filius ergo est Patris substantia Dei Filius. Idem autem, dicere Filium Patris, et dicere Filium Dei : quoniam si quid est personæ, id etiam est personæ substantiæ.

ORIGEN. *Homil.* 6. *in Exod. pag.* 55. *col.* 2. Funis enim triplex non rumpitur, quæ est Trinitatis fides, ex qua dependet, et per quam sustinetur omnis Ecclesia.

Homil. 12. *in Num. cap.* 21. *pag.* 135. *col.* 1. Sed non otiosè requirendum est quomodo possimus pluralem numerum de puteis exponere, et singularem de fonte, quia in Proverbiis dicit Sapientia : Bibe aquas de puteorum tuorum fonte. (*Prov.* v. 15.) Videamus ergo quorum puteorum unum dixerit fontem. Ego puto quòd scientia ingeniti Patris unus possit intelligi puteus. Sed et unigeniti Filii ejus agnitio, alius puteus intelligi debeat. Alius enim à Patre Filius, et non idem Filius qui et Pater, sicut ipse in Evangeliis dicit : Alius est qui et testimonium de me dicit Pater. (*Joan.* v. 32.) Et rursùs tertium puto videri puteum posse, cognitionem Spiritùs sancti. Alius enim et ipse est à Patre et Filio, sicut et de ipso nihilominus in Evangelio dicitur : Mittet vobis Pater alium Paraclelum spiritum veritatis. (*Joan.* XIV. 16.) Est ergo hæc trium distinctio personarum in Patre et Filio et Spiritu sancto, quæ ad pluralem puteorum numerum revocatur. Sed horum puteorum unus est fons. Una enim substantia est, et natura Trinitatis. Et hoc modo non otiosa invenietur Scripturæ sanctæ distinctio, quæ dicit de puteorum suorum fonte. (*Prov.* v. 15.) Sed observanter mystica signavit eloquia, ut quod pluraliter dictum est de personis, singulariter substantiæ conveniret.

Lib. 1. *in lib. Job, pag.* 229. *col.* 2. Omne opus bonum quod visi fuerint homines facere, nisi in Dei cultura, nisi in Dei agnitione atque confessione fecerint, sine causa faciunt atque supervacuè. Et ut breviter atque audenter dicam, omnia quæcunque fecerint homines sive in virginitate, sive in abstinentia, sive in corporis castitate, sive in carnis suæ combustione, sive in bonorum suorum distributione, omnia gratis faciunt, si non in fide fecerint; sine causa agunt, nisi in agnitione unius ingeniti Dei Patris, et in confessione unius unigeniti Filii ejus Domini

nostri Jesu Christi, et illuminatione Spiritûs sancti gloriosi, ac venerabilis Paracleti, qui adjuvat infirmitatem nostræ orationis, in quo signati sumus in die redemptionis nostræ, hoc fecerint. Omnem ergo sanctitatem, et omnem justitiam quam fecerit qui foris à vera Dei cultura, atque vera fide, gratis facit, in perditione facit, non prodest ei non adjuvat eum in die iræ, non liberabit eum in die interitûs. Ad quod est testis Apostolus qui dicit : *Omne quod ex fide non est, peccatum est.* (*Rom.* XIV. 23.) Quare ? Quia bona videntur fecisse non quæsità fide, non quæsità agnitione ejus propter quem hoc fecerint. A quo enim accipiet mercedem ? Ab eo quem non requisivit, quem non agnovit, cui non credidit, quem non est confessus, neque professus sicut oportuit ? non accipiet ab eo remunerationem, nisi judicium et iram ad condemnationem. Sicut enim qui ædificat sine fundamento, nihil proficit nisi detrimentum, et laborem et dolorem : sic similiter qui boni aliquid videtur facere, si sine fide fecerit, nihil proficit. Sicut enim credenti omnia sunt possibilia, ut salvetur atque refrigerium inveniat apud eum cui credidit : sic non credenti nihil est possibile, neque ut salvus fiat, neque ut refrigerium inveniat, neque ut in vitam introëat. Non est enim mentitus qui ait : *Quærite Dominum, et inveniet anima vestra.* (*Psal.* LXVIII. 33.) Quòd si non quæsieritis in fide, non potestis in vitam introire, id est, animæ non credentium. Sicut enim sol nisi vibraverit super faciem terræ, nullus ex fructibus ejus crescit, neque adolescit, neque maturescit : sic similiter nisi per fidem veritas refulserit in animabus hominum, nunquam erunt acceptabiles coram Deo.... Sicut enim nihil est delectabile hominibus sine luce ; sic similiter nihil est delectabile, neque acceptum Deo, absque fidei lumine....

Lib. 1. *Periarchon, seu de principiis, cap.* 3. *pag.* 427. *col.* 2. Porrò autem nihil in Trinitate majus minusve dicendum est, cùm unius Divinitatis fons Verbo ac ratione sua teneat universa, Spiritu verò oris sui quæ digna sunt sanctificatione sanctificet, sicut in Psalm. scriptum est : *Verbo Domini cœli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* (*Ps.* XXXII. 6.) Est etiam quædam inoperatio Dei Patris præcipua præter illam, quam omnibus ut essent naturaliter præstitit. Est et Domini Jesu Christi præcipuum quoddam ministerium in eos quibus naturaliter ut rationabiles sint confert, per quod ad hæc quæ sunt, præstatur eis ut benè sint. Est et alia quoque etiam Spiritûs sancti gratia.... ministrata quidem per Christum, inoperata autem à Patre.... Quod manifestissimè indicat Apostolus Paulus, unam eamdemque virtutem Trinitatis exponens in eo, cùm dicit : (1. *Cor.* XII. 4. 5. 6. 7.) *Divisiones sunt donorum vel donationum, idem autem Spiritus : et divisiones sunt ministeriorum, idem autem Dominus : et divisiones operationum sunt, idem autem Deus qui operatur omnia in omnibus. Unicuique autem datur manifestatio Spiritûs secundùm id quod expedit.* Ex quo manifestissimè designatur quòd nulla est in Trinitate discretio, sed hoc quod donum Spiritus Dei ministratur per Filium, et inoperatur per Deum Patrem. Omnia autem operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.

In Epist. ad Rom. cap. 4. *lib.* 4. *pag.* 328. *col.* 1. *circa med.* Fidere autem dicimus in Patrem et Filium et Spiritum sanctum, qui integram substantiam, plenam, perfectam, qui nihil diversum, nil discrepans aut extraneum in Trinitate profitetur.

in cap. 9. *lib.* 7. *pag.* 376. *col.* 2. Qui autem super omnes est, super se neminem habet. Non enim post Patrem ipse, sed de Patre. Hoc autem (id est, sapientia Dei) etiam de sancto Spiritu intelligi debet, ubi dicit : (*Sap.* I. 7.) *Spiritus Domini replevit orbem terrarum : et qui continet omnia, scientiam habet vocis.* Si ergo Filius Dei super omnes dicitur, et Spiritus sanctus continere omnia memoratur, Deus autem Pater est ex quo omnia, evidenter ostenditur natura Trinitatis, et substantia una, quæ est super omnia.

S. ATHANAS. *in illud,* Omnia mihi tradita sunt, etc. *versùs finem, n.* 6. Laudanda colendaque et adoranda Trinitas, (*quæ*) una et individua est, nec ullam figuram habet, sed absque confusione conjungitur, quemadmodum ejusdem unitas distinguitur absque divisione. Nimirùm venerunda illa animalia, trinâ istâ *Sanctus, Sanctus, Sanctus* iteratione, tres

perfectas denotant hypostases ; quemadmodum cùm semel vocem *Dominus* proferunt , unam indicant substantiam.

Lib. de sentent. Dionys. n. 17. Singula nomina à me prolata à se invicem nec separari nec dividi queunt : Patrem dixi , et priusquam Filii mentionem facerem , jam illum in Patre significatam : Filium adjunxi , ac etiamsi Patrem non priùs nominassem , is tamen in Filii nomine comprehensus fuerat : Spiritum sanctum addidi , sed simul et undè et per quem processerit adjunxi.... Sic quidem nos indivisibilem unitatem in Trinitatem dilatamus , et Trinitatem iterùm quæ imminui nequit , in unitatem contrahimus.

Orat. 1. *contra Arianos* , *n.* 18. Æterna atque una est in Trinitate Divinitas , una pariter est sanctæ Trinitatis gloria.... Creatrix est et opifex Trinitas ..... Si enim nunc perfecta est in Trinitate Theologia , ejusque aguitio vera et sola est religio , atque hoc est quod et rectum et ipsa veritas est ; id certè semper ita fuisse oportuit , ne id , quod rectum et veritas est , quid adventitium esse , aut Theologiæ complementum ex accessione constitui putetur. Id , inquam , necesse omninò fuit esse ab æternitate : nam si ab æternitate non fuisset , nec nunc hæc ipsa Theologia sive Divinitatis notio talis esse oporteret , sed qualem ab initio fuisse fingitis , ut neque nunc esset Trinitas..... At Christianorum fides immutabilem ac perfectam suique semper similem beatam agnoscit Trinitatem , nec quidquam amplius Trinitati addit , neque eam unquam defecisse cogitat. Nam utrumque dictu impium est. Hinc eam non ignorat cum rebus factis nequaquam esse permixtam , individuamque ejus Divinitatis unitatem et servat et adorat.

Epist. 1. *ad Serapion. n.* 28. Itaque Trinitas sancta et perfecta est , quæ in Patre et Filio et Spiritu sancto agnoscitur , nihilque alienum vel extrinsecùs admixtum habet , neque ex creatore et re creata constat , sed tota creandi et efficiendi vi prædita est : sibi quoque similis et individua est naturâ , unaque ejus est efficacia et actio. Nam Pater per Verbum in Spiritu sancto omnia facit , eoque modo sanctæ Trinitatis unitas servatur. Ita unus Deus in Ecclesia prædicatur , qui est *super omnia et per omnia et in omnibus. Super omnia* quidem ut Pater , ut principium et fons : *per omnia* verò , nempè per Verbum : *in omnibus* denique , in Spiritu sancto. Porrò Trinitas non nomine tenùs et solà verborum specie est Trinitas , sed verè et reipsà existit Trinitas. Nam sicuti verè est Pater. ita et verè est ejus Verbum quod et ipsum super omnia est Deus. Nec item Spiritus sanctus non existit , sed utique verè est et existit.

S. ATHANAS. seu AUCTOR *lib. de comm. essent. Patris , etc. n.* 48. *Quod Trinitas sit consubstantialis.* Quod est Deus ? Omnium principium , secundùm Apostolum , dicentem , *Unus Deus Pater , ex quo omnia.* (1. *Cor.* VIII. 6.) Verbum enim ejus ex ipso , per generationem , Spiritus per processionem existit. Deinde universa rerum natura per Verbum in Spiritu creatione constituta est....

AUCTOR *Quæst. apud* S. ATHANAS. *Quæst.* 5. Quid commune est sanctæ Trinitati ?

Resp. Commune est , essentia : commune , principio carere : commune , potentia , bonitas , sapientia , justitia : omnia enim æqualiter habet Pater , et Filius , et Spiritus sanctus , præterquàm proprietates suas. Proprium enim Patris quidem , ingenitum esse : Filii verò , genitum esse : Spiritùs sancti , procedere.

Quæst. 6. In Deo quot confiteris essentias ?

Resp. Unam essentiam dico , unam naturam , unam formam , unum genus , unam gloriam , unam dignitatem et dominationem.

Quæst. 7. Hypostases autem , quot confiteris in Deo ?

Resp. Tres hypostases confiteor , tres personas , tria propria , tria individua , tres caracteres.

S. CYRILLUS HIEROSOL. *Catech.* 16. *pag.* 176. *edit. Paris. in fol.* 1631. Unus Deus Pater , veteris et novi testamenti Dominus : et unus Dominus Jesus Christus , in veteri per Prophetas prædictus , et in novo veniens : et unus Spiritus sanctus , qui per Prophetas de Christo prædicabat ; adveniente autem Christo , descendit , et monstravit ipsum. Nemo itaque separet vetus à novo testamento ; nemo dicat , quod alius illic Spiritus ,

et alius hic : alioquin resistet Spiritui sancto, cum Patre et Filio honorando, et baptismatis tempore in sancta Trinitate comprehenso. Filius enim Dei unigenitus apertè dixit Apostolis : *Euntes igitur docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti.* (*Matth.* XXVIII. 19.) Spes nostra est in Patre et Filio et Spiritu Sancto. Non tres Deos annuntiamus : obmutescant enim Marcionistæ : sed cum Spiritu sancto, per unum Filium, unum Deum prædicamus. Indivisa est fides, inseparabilis pietas. Neque separamus sanctam Trinitatem, sicut quidam; neque contrahimus, sicut Sabellius : sed agnoscimus eam religiosè : unum Patrem qui misit orbis salvatorem Filium, promittentem mittere à Patre Spiritum sanctum Paracletum.

S. AMBROS. *de Institut. Virg. cap.* 10. *n.* 64. Unus Deus Pater, et unus Deus Filius, et unus Spiritus sanctus, sicut scriptum est; (1. *Cor.* XII. 11.) *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.* Unus, inquit, quia unus Deus. Nullus secundus; quia quod vult facit, non quod imperatur. Unus ergo Pater Deus, et unus Dei Filius. Unus et unus : quia non sunt duo dii. Unus Filius; quia cum Patre unum est, sicut ipse dixit : *Ego et Pater unum sumus.* (*Joan.* X. 30.) Et unus Spiritus; quia unitas Trinitatis est, non ordine distincta, nec tempore.

N. 67. *In nomine*, inquit, tres personas quidem significavit, sed unum Trinitatis nomen asseruit.

N. 68. Unus itaque Deus, unum nomen, una Divinitas, una Majestas. Nullus ergo secundus; quia principium omnium Trinitas est, et Trinitatis primatus super omnia est. Ergo unus et non est secundus.

De Fide, lib. 1. *cap.* 1. *n.* 6. Assertio autem nostræ fidei hæc est, ut unum Deum esse dicamus :.... Quia scriptum est, (*Deut.* VI. 4.) *Audi, Israël, Dominus Deus tuus, Deus unus est.*

N. 7. Deus enim et Dominus nomen magnificentiæ; nomen est potestatis, sicut ipse dicit : *Dominus nomen est mihi* (*Isai.* XLII. 8.); et sicut alibi Propheta asserit : *Dominus omnipotens nomen est ei.* Dominus ergo et Deus vel quòd dominetur omnibus, vel quòd spectet omnia, et timeatur à cunctis.

N. 8. Si ergo unus Deus, unum nomen, potestas una est Trinitatis. Denique ipse dicit : *Ite, baptizate gentes in nomine Patris et Filii et Spiritûs sancti.* (*Matth.* XXVIII. 19.) In nomine utique, non in nominibus.

N. 9. Ipse etiam dicit : *Ego et Pater unum sumus.* (*Joan.* X. 30.) Unum dixit, ne fiat discretio potestatis et naturæ : *sumus* addidit, ut Patrem Filiumque cognoscas; quòd perfectus Pater perfectum Filium genuisse credatur : et Pater et Filius unum sint, non confusione personæ, sed unitate naturæ.

N. 10. Nos Patrem et Filium et Spiritum sanctum confitemur; ita ut in Trinitate perfecta et plenitudo sit Divinitatis et unitas potestatis.

Lib. 4. *cap.* 8. *n.* 91. Est quædam indistincta distinctæ incomprehensibilis et inenarrabilis substantia Trinitatis. Distinctionem etenim accepimus Patris et Filii et Spiritûs sancti, non confusionem: distinctionem, non separationem : distinctionem, non pluralitatem. Divino itaque admirandoque mysterio manentem semper accipimus Patrem, semper Filium, semper Spiritum sanctum : non duos Patres, non duos Filios, non duos Spiritus. *Unus* enim *Deus Pater, ex quo omnia, et nos in ipso : et unus Dominus Jesus, per quem omnia, et nos per ipsum.* (1. *Cor.* VIII. 6.) Unus natus ex Patre Dominus Jesus, et ideò unigenitus. *Unus et Spiritus sanctus*, ut idem Apostolus dixit : (*Ibid.* XII. 2.) sic accipimus, sic legimus, sic tenemus. Distinctionem scimus, secreta nescimus : causas non discutimus, sacramenta servamus.

Cap. 11. *n.* 140. Increata et inæstimabilis Trinitas, quæ unius est æternitatis et gloriæ, nec tempus nec gradum vel posterioris recipit vel prioris.

Apo. David altera. cap. 12. *n.* 72. Una est sententia, quæ hæreticorum omnium machinas destruat, ut unius potestatis, majestatis atque virtutis Trinitatem esse credamus; et ideò ab eo quod Filius fecit, non separemus Patrem; nec ab eo quod Pater mandavit, Filium segregemus.

Enar. in Psal. XXXV. *n.* 22. Trinitas unum in unitate substantiæ, sed

distinctione uniuscujusque personæ. Trinitas distinctionem significat personarum; unitas, potestatem....

In expos. Evang. sec. Lucam., *lib.* 11. *n.* 13. Latè enim funditur Dei virtus, latè cœlestis substantiæ magnitudo porrigitur. Nihil præscriptum, nihil circumscriptum, nihil emensum, nihil dimensum Trinitas habet. Non loco clauditur, non opinione comprehenditur, non æstimatione concluditur, non ætate variatur.

S. Aug. *Lib. de quant. animæ*, *cap.* 34. *n.* 77. Divinè ac singulariter in Ecclesia catholica traditur, *nullam creaturam colendam esse animæ*, (libentiùs enim loquor his verbis quibus mihi hæc insinuata sunt) sed ipsum tantummodò rerum quæ sunt omnium creatorem, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia (*Rom.* xi. 36.); id est, incommutabile principium, incommutabilem sapientiam, incommutabilem charitatem, unum Deum verum atque perfectum, qui nunquam non fuerit, nunquam non erit, nunquam aliter fuerit, nunquam aliter erit: quo nihil sit secretius, nihil præsentius: qui difficilè invenitur ubi sit, difficiliùs ubi non sit: cum quo esse non omnes possunt, et sine quo esse nemo potest: et si quid de illo incredibilius, convenientius tamen atque aptius homines dicere valemus. Hic ergo solus Deus animæ colendus est.

De moribus Eccles. Cathol. l. 1. *cap.* 14. *n.* 24. Deum ergo diligere debemus trinam quamdam unitatem, Patrem et Filium et Spiritum sanctum, quod nihil aliud dicam esse, nisi idipsum esse. Est enim verè summèque Deus *ex quo omnia*, *per quem omnia*, *in quo omnia*. Hæc verba Pauli sunt. (*Ibid.*) Quid deinde subjicit? *Ipsi gloria.* Sincerissimè omninò. Neque enim ait, Ipsis: nam unus est Deus. Quid est autem, *ipsi gloria*, nisi ipsi optima et latè patens fama? Quantò enim meliùs atque diffusiùs diffamatur, tantò diligitur et amatur ardentiùs. Quod cùm fit, nihil aliud ab humano genere quàm certo et constanti gradu in optimam vitam et beatissimam pergitur. Non arbitror, cùm de moribus et vita fit quæstio, ampliùs esse requirendum, quod sit hominis summum bonum, quò referenda sunt omnia. Id enim esse patuit, et ratione quantùm valuimus, et eà quæ nostræ rationi antecellit auctoritate divinâ, nihil aliud quàm ipsum Deum. Nam quid erit aliud optimum hominis, nisi cui inhærere est beatissimum? Id autem est solus Deus, cui hærere certè non valemus, nisi dilectione, amore, charitate.

Epist. 120. *aliàs* 222. *ad Consent. cap.* 3. *n.* 17. Agnoscis autem in fide catholica, quoniam hoc est verum, hoc est confirmatum, quod Pater et Filius et Spiritus sanctus: ideò cùm sit Trinitas, unus est Deus: quia inseparabiliter sunt unius ejusdemque substantiæ, vel (si hoc meliùs dicitur) essentiæ.

Lib. de fide et symb. Cap. 9. *n.* 20. Fides inconcussa tenenda est, ut Deum dicamus Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum: neque tres Deos, sed istam Trinitatem unum Deum; neque diversos naturâ, sed ejusdem substantiæ; neque ut Pater aliquando sit Filius, aliquando sit Spiritus sanctus; sed Pater semper Pater, et Filius semper Filius, et Spiritus sanctus semper Spiritus sanctus. Nec temerè de invisibilibus aliquid affirmemus tanquam scientes, sed tanquam credentes; quoniam videri nisi mundato corde non possunt: et qui ea videt in hac vita ex parte, ut dictum est, atque in ænigmate, non potest efficere ut et ille videat cui loquitur, si cordis sordibus impeditur. *Beati* autem *mundo corde*, *quoniam ipsi Deum videbunt.* (*Matth.* v. 8.)

Epist. 169. *aliàs* 102. *ad Evod. cap.* 2. *n.* 5. Proindè in unum Deum Patrem et Filium et Spiritum sanctum firmâ pietate credamus: ita ut nec Filius credatur esse qui Pater est, nec Pater qui Filius est, nec Pater nec Filius qui utriusque Spiritus est. Nihil putetur in hac Trinitate temporibus locisve distare; sed hæc tria æqualia esse et coæterna, et omninò esse una natura: non à Patre aliam, et à Filio aliam, et à Spiritu sancto aliam conditam essè creaturam; sed omnia et singula quæ creata sunt vel creantur, Trinitate creante subsistere: nec quemquam liberare à Patre sine Filio et Spiritu sancto, aut à Filio sine Patre et Spiritu sancto, aut à Spiritu sancto sine Patre et Filio; sed à Patre et Filio et Spiritu sancto, uno, vero, verèque immortali, id est, omni modo incommutabili solo Deo. Multa autem etiam separatim in Scripturis de

singulis dici, ut insinuetur, quamvis inseparabilis Trinitas, tamen Trinitas : ut quemadmodum simul dici non possunt cùm sonis corporalibus commemorantur, quamvis simul sint inseparabiliter, ita et quibusdam Scripturarum locis et per quasdam creaturas singillatim vicissimque monstrentur, sicut Pater in voce, quà sonuit, * *tu es Filius meus ;* (*Luc.* II. 7.) et Filius in homine, quem suscepit ex virgine ; et Spiritus sanctus in columbæ specie corporali : hæc separatim quidem, sed nullo modo separata tria illa demonstrant.

N. 6. Ad hoc utcunque intelligendum assumimus memoriam, intelligentiam, voluntatem. Quamvis enim hæc suis separatisque temporibus singillatim singula enuntiemus, nihil tamen horum sine aliis duobus agimus aut dicimus. Nec ideò putanda sunt hæc tria Trinitati sic comparata, ut omni ex parte conveniant. Cui enim similitudini in disputando convenientia tanta conceditur, ut ei rei, cui adhibenda est, ex omni parte coaptetur ? vel quando ex creatura ad Creatorem aliquid simile assumitur ? Primò ergo in hoc invenitur ista similitudo dissimilis, quòd tria hæc, memoria, intelligentia, voluntas, animæ insunt ? non eadem tria, est anima : illa verò Trinitas non inest, sed ipsa Deus est. Ideò ibi mirabilis simplicitas commendatur ; quia non ibi aliud est esse, aliud intelligere, vel si quid aliud de Dei natura dicitur : anima vero quia est, etiam dum intelligit, aliud est quod est, aliud quod intelligit. Deinde quis audeat dicere Patrem non intelligere per seipsum, sed per Filium, sicut memoria non intelligit per seipsam, sed per intellectum, vel potiùs anima ipsa, cui hæc insunt, per intellectum tantummodò intelligit : sicut per memoriam tantummodò meminit, et per voluntatem tantummodò vult ? Ad hoc ergo adhibetur ista similitudo, ut quoquo modo intelligatur, quemadmodum horum trium in anima cùm singula nomina enuntiantur, quibus eadem singula demonstrantur, tamen unumquodque nomen, his tribus cooperantibus, enuntiatur, cùm et reminiscendo et intelligendo et volendo dicitur : ita nullam esse creaturam, quà vel solus Pater, vel solus Filius, vel solus Spiritus sanctus demonstretur, quam non simul Trinitas operetur, quæ inseparabiliter operatur : ac per hoc nec vocem Patris, nec animam et carnem Filii, nec columbam Spiritûs sancti esse factam, nisi eâdem cooperante Trinitate.

Epist. 170. *aliàs* 66. *ad Maximum*, *n.* 2. Præcipimus et rogamus, ut eos quod didicisti docere non differas, unum scilicet Deum esse solum, cui servitus illa debetur quæ *Latreia* Græco vocabulo nuncupatur. Ipsum enim verbum est in lege, ubi scriptum est, *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies :* (*Deut.* VI. 13.) quem si Deum Patrem tantummodò dixerimus, respondebitur, Ergo *Latreia* Filio non debetur : quod nefas est dicere. Si autem debetur, quomodo ergo uni tantùm debetur Deo, si et Patri et Filio debetur : nisi quia unus Deus, qui soli per *Latreian* servire jussi sumus : ita dicitur solus Deus, ut et Pater intelligatur et Filius, immò etiam et Spiritus sanctus. De illo quippe dicit Apostolus : (1. *Cor.* VI. 19. 20.) *Nescitis quia corpora vestra templum sunt in vobis Spiritûs sancti, quem habetis à Deo, et non estis vestri. Empti enim estis magno pretio. Glorificate Deum, et portate in corpore vestro.* Quem *Deum*, nisi Spiritum sanctum, cujus corpora nostra dixerat esse templum ? Debetur ergo *Latreia* Spiritui sancto. Nam si templum ei facere, sicut Salomon fecit de lignis et lapidibus, juberemur, utique faciendo templum *Latreian* exhibere convinceremur, quantò magis *Latreian* debemus cui non templum facimus, sed sumus ?

N. 3. Ac per hoc si Patri et Filio et Spiritui sancto *Latreia* debetur, et exhibetur à nobis, de qua dictum est, *Dominum Deum tuum adorabis et soli illi servies* (*Deut.* VI. 13.) ; procul dubio Dominus Deus noster, cui soli per *Latreian* servire debemus, non est Pater solus, nec Filius solus, nec solus Spiritus sanctus, sed ipsa Trinitas unus Deus solus, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus : non ut Pater sit ipse qui Filius, vel Spiritus sanctus ipse sit aut Pater aut Filius, cùm sit in illa Trinitate Pater Filii solius, et Filius Patris solius, Spiritus autem sanctus et Patris et Filii sit Spiritus : sed propter unam eamdemque naturam atque inseparabilem vitam, ipsa Trinitas, quantùm ab homine potest, fide præcedente intelligitur unus Dominus Deus noster, de quo dictum

est, *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies;* (*Ibid.*) et quem prædicat Apostolus; ait enim, *quoniam ex ipso, et per ipsum sunt omnia: ipsi gloria in secula seculorum, amen.* (*Rom.* XI. 36.)

N. 4. Non enim sic ex Deo Patre unigenitus Filius, quemadmodum ex illo est universa creatura, quam ex nihilo creavit. Hunc quippè de sua substantia genuit, non ex nihilo fecit: nec eum ex tempore genuit, per quem cuncta tempora condidit. Quoniam sicut flamma splendorem, quem giguit, tempore non præcedit; ita Pater nunquam sine Filio fuit: ipse est quippè sapientia Dei Patris, de qua scriptum est, *Splendor est enim lucis æternæ.* (*Sap.* VII. 26.) Luci ergo cujus candor est, id est, Deo Patri sine dubio coæterna est. Et ideò non sicut in principio fecit Deus cœlum et terram, ita in principio fecit Verbum; sed *in principio erat Verbum.* (*Joan.* I. 1.) Spiritus quoque sanctus non sicut creatura ex nihilo est factus: sed sic à Patre Filioque procedit, ut nec à Filio nec à Patre sit factus.

N. 5. Hæc Trinitas unius est ejusdemque naturæ atque substantiæ: non minor in singulis, quàm in omnibus, nec major in omnibus, quàm in singulis; sed tanta in solo Patre, vel in solo Filio, quanta in Patre simul et Filio; et tanta in solo Spiritu sancto, quanta simul in Patre et Filio et Spiritu sancto. Neque enim Pater, ut haberet Filium de seipso, minuit seipsum; sed ita genuit de se alterum se, ut totus maneret in se, et esset in Filio tantus quantus et solus. Similiter et Spiritus sanctus integer de integro, non præcedit undè procedit, sed tantus cum illo quantus ex illo, nec minuit eum procedendo, nec auget hærendo. Et hæc omnia nec confusè unum sunt, nec disjunctè tria sunt: sed cùm sint unum, tria sunt, et cùm sint tria, unum sunt. Proindè qui tam mullis cordibus fidelium suorum donavit ut essent cor unum, quantò magis conservat in seipso, ut sint hæc tria et singula Deus, et simul omnia non tres dii, sed unus Deus? Hic est unus Dominus Deus noster, cui universâ pietate servitur, cui soli *Latreia* illa debetur.

N. 7. In Deo Patre et Deo Filio, si utriusque natura quæratur, uterque Deus, nec magis alter altero Deus: si autem origo, Pater est Deus de quo Filius Deus; de quo autem Pater, nullus est Deus.

N. 8. Si temporalibus et passibilibus rebus Deus tribuit, ut quod sunt hoc generent, quantò magis ipse æternus et impassibilis, non aliud quàm est ipse generavit, unus unicum; ideò nostrâ inenarrabili admiratione, quoniam sine passione, et tantâ secum æqualitate, ut eum nec potestate præcederet, nec ætate. Sed ideò totum quod habet, quod potest, non tribuit sibi, sed Patri, quia non est à seipso, sed à Patre. Æqualis est enim Patri, sed hoc quoque accepit à Patre: nec sic accepit undè esset æqualis, quasi priùs fuerit inæqualis; sed natus æqualis sicut semper natus, ita semper æqualis. Non itaque inæqualem genuit, et æqualitatem jam nato addidit; sed gignendo eam dedit, quia æqualem non imparem genuit.

Epist. 132. *aliàs* 52. *ad Madaur*, *n.* 5. Est quiddam invisibile, ex quo creatore principio sunt omnia, quæ videmus, summum, æternum, incommutabile et nulli effabile nisi tantùm sibi. Est quiddam, quo se ipsa summitas majestatis narrat et prædicat, non impar gignenti atque narranti Verbum, quo ille qui Verbum gignit, ostenditur. Est quædam sanctitas omnium, quæ sancta fiant, sanctificatrix, ipsius incommutabilis Verbi per quod narratur illud principium, et ipsius principii quod pari se Verbo narrat inseparabilis et indivisa communio. Quis autem hoc totum, quod non dicendo dicere conatus sum, et dicendo non dicere, quis hoc possit serenissimâ et sincerissimâ mente contueri, eoque contuitu beatitudinem ducere, atque in id quod intuetur deficiens quodammodo se oblivisci, et pergere in illud cujus visio nobis invisibilis est, quod est immortalitate indui, et obtinere æternam salutem, per quam me salutare dignamini? Quis hoc possit, nisi qui omnes superbiæ suæ toros inanes, peccata sua confitens, complanaverit, seque substraverit mitem atque humilem ad excipiendum Deum doctorem?

Epist. 238. *aliàs* 164. *ad Pascentium*, *cap.* 2. *n.* 14. Fidem autem nostra est, Patrem et Filium et Spiritum sanctum unum Deum credere et confiteri; nec tamen eum qui Filius est, Patrem dicere; nec eum, qui Pater

est, Filium ; nec eum, qui Spiritus Patris et Filii est, aut Patrem aut Filium nuncupare. (5. *de Trin. cap.* 11.) His enim appellationibus hoc significatur, quod ad se invicem referuntur, non ipsa substantia, quâ unum sunt. Nam et Pater cùm dicitur, nonnisi alicujus Filii dicitur, et Filius nonnisi alicujus Patris intelligitur, et Spiritus secundùm id quod ad aliquid refertur, spirantis alicujus est, et spirans utique Spiritum spirans est.

N. 15. Proprio autem modo quodam dicitur Spiritus sanctus, secundùm quod refertur ad Patrem et Filium, quòd eorum Spiritus sanctus sit. Nam secundùm substantiam, quoniam semel dictum est, *Spiritus est Deus* (*Joan.* IV. 24.), et Pater Spiritus est, et Filius, et ipse Spiritus sanctus, nec tamen tres Spiritus, sed unus Spiritus ; sicut non tres dii, sed unus Deus.

Tract. 20. *in Joan. n.* 13. Intelligite ergo, fratres charissimi, Patrem et Filium et Spiritum sanctum inseparabiliter sibi cohærere, Trinitatem hanc unum Deum ; et omnia opera unius Dei, hæc esse Patris, hæc esse Filii, hæc esse Spiritûs sancti.

Tract. 36. *n.* 9. Ne perdas personam, distingue personas. Distingue intelligentiâ, noli separare perfidiâ ; nec iterum quæsi fugiens charybdim, in scyllam incurras. (*Arianorum error.*) Vorabat enim te gurges impietatis Sabellianorum, ut diceres ipsum esse Patrem qui est Filius : modò didicisti, *solus non sum, sed ego et qui misit me Pater.* (*Joan.* VIII. 16.) Agnoscis quia Pater, Pater est : et Filius, Filius est. Benè agnoscis : sed noli dicere, Pater major est, Filius minor est : noli dicere, Pater aurum est, Filius argentum est. Una substantia est, una divinitas, una coæternitas, perfecta æqualitas, dissimilitudo nulla. Nam si tantummodò alterum crederis esse Christum, non eum qui Pater est, in aliquo tamen distantem secundùm naturam esse putaveris, à charybdi quidem evasisti, sed in scyllæis scopulis naufragasti. In medio naviga, utrumque periculosum latus evita. Pater, Pater est ; Filius, Filius est. Jam dicis, Pater, Pater est ; Filius, Filius est : benè periculum absorbentis gurgitis evasisti : quid vis ire in alteram partem, ut dicas, Aliud est Pater, Filius aliud ? Alius est, rectè dicis : aliud, non rectè. Alius enim est Filius, quia non est ipse qui Pater ; et alius Pater, quia non ipse qui Filius : non tamen aliud, sed hoc ipsum est et Pater et Filius. Quid est, hoc ipsum est ? Unus Deus est. Audisti, *quia non sum solus, sed ego et qui misit me Pater.* (*Joan.* VIII. 16.) Audi quomodo credas Patrem et Filium, audi ipsum Filium : *Ego et Pater unum sumus.* (*Joan.* X. 30.) Non dixit, Pater ego sum ; aut, Ego et Pater unus est : sed cùm dicit, *Ego et Pater unum sumus*, utrumque audi, et *unum*, et *sumus*, et à charybdi et à scylla liberaberis. In duobus istis verbis quod dixit, *unum*, liberat te ab Ario : quod dixit, *sumus*, liberat te à Sabellio. Si unum, non ergo diversum : si sumus, ergo et Pater et Filius. Sumus enim non diceret de uno : sed et unum non diceret de diverso. Ergo ideò *verum est*, inquit, *judicium meum*, (*Id.* VIII. 16.) breviter ut audias, quia Filius Dei sum. Sed sic tibi persuadeo, inquit, quia Filius Dei sum, ut intelligas quia mecum est Pater : non sic sum Filius ut ipsum deseruerim : non ita hîc sum, ut cum ipso non sim ; non ita ibi ille est, ut mecum non sit.

Tract. 39. *in Joan. n.* 2. Si et Pater principium et Filius principium, quomodo non duo principia ? Quomodo dicimus Patrem Deum et Filium Deum, nec tamen dicimus duos Deos. Nefas est enim dicere duos Deos, nefas est dicere tres Deos : et tamen qui Pater est, non est Filius ; qui Filius est, non est Pater : Spiritus autem sanctus Patris et Filii Spiritus, nec Pater est nec Filius. Quamvis ergo, sicut aures catholicæ sunt eruditæ in gremio matris Ecclesiæ, nec ille qui est Pater sit Filius, nec ille qui est Filius sit Pater, nec Spiritus sanctus Patris et Filii sit vel Filius, vel Pater, tres Deos tamen esse non dicimus : quamvis de singulis si quæratur, necesse est de quocunque interrogati fuerimus, Deum esse fateamur.

N. 3. Et absurda ista videntur hominibus solita trahentibus ad insolita, visibilia ad invisibilia, creaturam comparantibus Creatori. Interrogant enim nos aliquando infideles et dicunt, Patrem quem dicitis ? Deum dicitis ? Respondemus, Deum. Filium quem dicitis, Deum dicitis ? Responde-

mus, Deum. Spiritum sanctum quem dicitis, Deum dicitis? Respondemus, Deum. Ergo, inquiunt, Pater et Filius et Spiritus sanctus tres sunt dii? Respondemus, Non. Turbantur, quia non illuminantur : cor clausum habent, quia clavem fidei non habent. Non ergo, fratres, fide præcedente, quæ sanat oculum cordis nostri, quod intelligimus, sine obscuritate capiamus ; quod non intelligimus, sine dubitatione credamus : à fundamento fidei non recedamus, ut ad culmen perfectionis veniamus. Deus est Pater, Deus est Filius, Deus est Spiritus sanctus : et tamen Pater non est qui Filius, nec Filius est qui Pater, nec Spiritus sanctus Patris et Filii Spiritus aut Pater est aut Filius. Trinitas unus Deus : Trinitas una æternitas, una potestas, una majestas ; tres, sed non dii. Non mihi calumniator respondeat, Quid ergo tres ? si enim tres, ait, oportet dicas quid tres. Respondeo : Pater et Filius et Spiritus sanctus. Ecce, inquit, tres dixisti ; sed quid tres exprime. Immo tu numera : nam ego compleo tres, cùm dico Pater et Filius et Spiritus sanctus. Id enim quod Pater ad se est, Deus est ; quod ad Filium est, Pater est : quod Filius ad seipsum est, Deus est, quod ad Patrem est, Filius est.

N. 4. Ista quæ dico potestis de similitudinibus agnoscere quotidianis. Homo et alter homo, si ille sit pater, ille filius ; quòd homo est, ad seipsum est ; quòd pater est, ad filium est ; et filius, quòd homo est, ad seipsum est ; quòd autem filius est, ad patrem est. Pater enim nomen est dictum ad aliquid, et filius ad aliquid : sed isti duo homines sunt. At verò Pater Deus ad aliquid est Pater, id est, ad Filium ; et Filius Deus ad aliquid est Filius, id est, ad Patrem : sed non quomodo illi duo homines sunt, sic isti duo dii. Quare hoc non ita est ibi ? Quia illud aliud, hoc autem aliud est : quia illa divinitas est. Est ibi aliquid ineffabile, quod verbis explicari non possit, ut et numerus sit, et numerus non sit. Videte enim si non quasi apparet numerus, Pater et Filius et Spiritus-sanctus Trinitas. Si tres, quid tres ? Deficit numerus. Ita Deus nec recedit à numero, nec capitur numero. Quia tres sunt, tanquam est numerus : si quæris quid tres, non est numerus. Undè dictum est, *Magnus Dominus noster et magna virtus ejus, et sapientiæ ejus non est numerus.* (*Ps.* CXLVI. 5.) Ubi cogitare cœperis, incipis numerare : ubi numeraveris, quid numeraveris non potes respondere. Pater, Pater est : Filius, Filius est ; Spiritus-sanctus, Spiritus sanctus est ; quid sunt isti tres, Pater et Filius et Spiritus-sanctus ? Non tres dii ? Non. Non tres omnipotentes ? Non. Non tres mundi creatores ? Non. Ergo omnipotens Pater ? Omnipotens plane. Ergo et Filius non omnipotens ? Planè et Filius omnipotens. Ergo et Spiritus sanctus non omnipotens ? Et ipse omnipotens. Tres ergo omnipotentes ? Non, sed unus omnipotens. Hoc solo numerum insinuant, quòd ad invicem sunt, non quòd ad se sunt. Quia enim Deus Pater ad se est Deus simul cum Filio et Spiritu sancto, non sunt tres dii ; quia ad se est omnipotens simul cum Filio et Spiritu sancto, non sunt tres omnipotentes : quia verò non ad se est Pater, sed ad Filium : nec Filius ad se est, sed ad Patrem ; nec Spiritus ad se, in eo quod dicitur Spiritus Patris et Filii ; non est quid dicam tres, nisi Patrem et Filium et Spiritum-sanctum unum Deum, unum omnipotentem. Ergo unum principium.

Tractat. 76. *n.* 4. Ecce facit in Sanctis cum Patre et Filio sanctus etiam Spiritus mansionem : intùs utique tanquam Deus in templo suo. Deus Trinitas Pater et Filius et Spiritus sanctus veniunt ad nos, dum venimus ad eos : veniunt subveniendo, venimus obediendo ; veniunt illuminando, venimus intuendo ; veniunt implendo, venimus capiendo : ut sit nobis eorum non extraria visio, sed interna ; et in nobis eorum non transitoria mansio, sed æterna. Sic mundo non se Filius manifestat : mundus enim dictus est hoc loco, de quibus continuò subjunxit, *Qui non diligit me, sermones meos non servat.* (*Joan.* XIV. 24.) Hi sunt qui Patrem et Spiritum sanctum nunquam vident : Filium autem non ut beatificentur, sed ut judicentur, ad modicum vident ; nec ipsum in forma Dei, ubi est cum Patre et Spiritu sancto pariter invisibilis ; sed in forma hominis, ubi esse voluit mundo patiendo contemptibilis, judicando terribilis.

De Doct. Christ. lib. 1. *cap.* 4. *n.* 4. Frui... est amore alicui rei inhærere propter seipsam.

Cap. 5. *n.* 5. Res igitur quibus fruendum est, Pater et Filius et Spiritus sanctus, eademque Trinitas, una quædam summa res, communisque omnibus fruentibus eà; si tamen res et non rerum omnium causa sit, si tamen et causa. Non enim facilè nomen quod tantæ excellentiæ conveniat potest inveniri, nisi quod meliùs ita dicitur Trinitas hæc, unus Deus ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. (*Rom.* XI. 36.) Ita Pater et Filius et Spiritus sanctus, et singulus quisque horum Deus, et simul omnes unus Deus, et singulus quisque horum plena substantia, et simul omnes una substantia. Pater nec Filius est nec Spiritus sanctus, Filius nec Pater est nec Spiritus sanctus, Spiritus nec Pater est nec Filius: sed Pater tantùm Pater, et Filius tantùm Filius, et Spiritus sanctus tantùm Spiritus sanctus. Eadem tribus æternitas, eadem incommutabilitas, eadem majestas, eadem potestas. In Patre unitas, in Filio æqualitas, in Spiritu sancto unitatis æqualitatisque concordia: et tria hæc unum omnia propter Patrem, æqualia omnia propter Filium, connexa omnia propter Spiritum sanctum.

Cap. 6. *n.* 6. Diximusne aliquid et sonuimus aliquid dignum Deo? Immò verò nihil me aliud quàm dicere voluisse sentio: si autem dixi, non hoc est quod dicere volui. Hoc undè scio, nisi quia Deus ineffabilis est... Et tamen Deus, cùm de illo nihil dignè dici possit, admisit humanæ vocis obsequium, et verbis nostris in laude sua gaudere nos voluit.

Cap. 10. *n.* 10. Quapropter cùm illà veritate perfruendum sit, quæ incommutabiliter vivit, et in ea Trinitas Deus, auctor et conditor universitatis, rebus quas condidit consulat, purgandus est animus, ut et perspicere illam lucem valeat, et inhærere perspectæ. Quam purgationem quasi ambulationem quamdam, et quasi navigationem ad patriam esse arbitremur. Non enim ad eum qui ubique præsens est, locis movemur, sed bono studio bonisque moribus.

De Genes. ad litt. lib. 8. *cap.* 23. *n.* 44. Verùm quia omninò incommutabilis est illa natura Trinitatis, et ob hoc ita æterna, ut ei aliquid coæternum esse non possit, ipsa apud seipsam et in seipsa sine ullo tempore ac loco, movet tamen per tempus et locum sibi subditam creaturam, naturas creans bonitate, voluntates ordinans potestate: ut in naturis nulla sit, quæ non ab illa sit; in voluntatibus autem nulla bona sit, cui non præsit; nulla mala sit, quà benè uti non possit.

De agone Christ. cap. 13. *n.* 15. Fides in Ecclesia brevissimè traditur, in qua commendantur æterna, quæ intelligi à carnalibus nondum possunt... Credamus ergo in Patrem et Filium et Spiritum sanctum: hæc æterna sunt et incommutabilia, id est, unus Deus, unius substantiæ Trinitas æterna: Deus ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. (*Rom.* XI. 36.)

Cap. 14. *n.* 16. Nec eos audiamus, qui dicunt Patrem tantummodo esse, nec habere Filium, nec esse cum eo Spiritum sanctum; sed ipsum Patrem aliquando appellari Filium, aliquando Spiritum sanctum. Nesciunt enim principium ex quo sunt omnia, et imaginem ejus per quam formantur omnia, et sanctitatem ejus in qua ordinantur omnia.

Cap. 15. *n.* 17. Nec eos audiamus, qui indignantur et stomachantur, quia non tres Deos colendos dicimus. Nesciunt enim quid sit una eademque substantia, et phantasmatis suis illuduntur, quia solent videre corporaliter vel animalia tria, vel quæcunque corpora tria locis suis esse separata: sic putant intelligendam substantiam Dei; et multum errant, quoniam superbi sunt; et non possunt discere, quia nolunt credere.

Cap. 16. *n.* 18. Nec eos audiamus, qui Patrem solum verum Deum et sempiternum esse dicunt, Filium autem non de ipso genitum, sed ab ipso factum de nihilo, et fuisse tempus quando non erat, sed tamen primum locum tenere in omni creatura; et Spiritum sanctum minoris majestatis esse quàm Filium, et ipsum factum esse post Filium; et horum trium diversas esse substantias, tanquam aurum et argentum et æramentum. Nesciunt enim quid loquantur, et de his rebus quas per oculos carneos videre consueverunt, vanas imagines ad disputationes suas transferunt. Quia reverà magnum est mente conspicere genera-

tionem, quæ non fit ex aliquo tempore, sed æterna est; et ipsam charitatem et sanctitatem, quâ generator et generatus ineffabiliter sibi copulantur: magnum et difficile est hæc mente conspicere, etiamsi pacata et tranquilla sit. Non potest ergo fieri ut illi hæc videant, qui terrenas generationes nimis intuentur, et ad istas tenebras addunt adhuc fumum, quem sibi contentionibus et certaminibus quotidianis excitare non cessant, habentes animas carnis affectibus diffluentes, tanquam ligna humore saginata, in quibus ignis fumum solum vomit, et habere flammas lucidas non potest.

De Civit. Dei lib. 11. *cap.* 10. *n.* 1. Est itaque bonum solum simplex, et ob hoc solum incommutabile, quod est Deus. Ab hoc bono creata sunt omnia bona, sed non simplicia, et ob hoc mutabilia. Creata sanè, inquam, id est, facta, non genita. Quod enim de simplici bono genitum est, pariter simplex est, et hoc est quod illud de quo genitum est; quæ duo Patrem et Filium dicimus; et utrumque hoc cum Spiritu sancto unus est Deus: qui Spiritus Patris et Filii, et Spiritus sanctus propriâ quadam notione hujus nominis in sacris litteris nuncupatur. Alius est autem quàm Pater et Filius, quia nec Pater est, nec Filius: sed alius dixi, non aliud; quia et hoc pariter simplex pariterque bonum est incommutabile et coæternum. Et hæc Trinitas unus est Deus: nec ideò non simplex, quia Trinitas. Neque enim propter hoc naturam istam boni simplicem dicimus, quia Pater in ea solus, aut solus Filius, aut solus Spiritus sanctus; aut verò sola est ista nominis Trinitas sine subsistentia personarum, sicut Sabelliani Hæretici putaverunt: sed ideò simplex dicitur, quoniam quod habet, hoc est, excepto quòd relativè quæque persona ad alteram dicitur. Nam utique Pater habet Filium, nec tamen ipse est Filius; et Filius habet Patrem, nec tamen ipse est Pater. In quo ergo ad seipsum dicitur, non ad alterum, hoc est quod habet: sicut ad seipsum dicitur vivens, habendo utique vitam, et eadem vita ipse est.

Cap. 24. Credimus, et tenemus, et fideliter prædicamus, quòd Pater genuerit Verbum, hoc est, sapientiam, per quam facta sunt omnia, unigenitum Filium, unus unum, æternus cœternum, summè bonus æqualiter bonum: et quòd Spiritus sanctus simul et Patris et Filii sit Spiritus, et ipse consubstantialis et coæternus ambobus: atque hoc totum et Trinitas sit propter proprietatem personarum, et unus Deus propter inseparabilem divinitatem, sicut unus omnipotens propter inseparabilem omnipotentiam: ita tamen ut etiam cùm de singulis quæritur, unusquisque eorum et Deus et omnipotens esse respondeatur; cùm verò de omnibus simul, non tres dii vel tres omnipotentes, sed unus Deus omnipotens; tanta ibi est in tribus inseparabilis unitas, quæ sic se voluit prædicari. Utrùm autem boni Patris et boni Filii Spiritus sanctus, qui communis ambobus est, rectè bonitas dici possit amborum, non audeo temerariam præcipitare sententiam; verumtamen amborum eum dicere sanctitatem faciliùs ausus fuero, non amborum quasi qualitatem, sed ipsum quoque substantiam, et tertiam in Trinitate personam. Ad hoc enim me probabiliùs ducit, quòd cùm sit et Pater Spiritus et Filius Spiritus, et Pater sanctus et Filius sanctus, propriè tamen ipse vocatur Spiritus sanctus, tanquam sanctitas substantialis et consubstantialis amborum. Sed nihil aliud est bonitas divina quàm sanctitas, profectò et illa diligentia rationis est, non præsumptionis audacia, ut in operibus Dei secreto quodam loquendi modo, quo nostra exerceatur intentio, eadem nobis insinuata intelligatur Trinitas, unamquamque creaturam quis fecerit, per quid fecerit, propter quid fecerit. Pater quippe intelligitur Verbi qui dixit, *Fiat*. Quod autem illo dicente factum est, procul dubio per Verbum factum est. In eo verò quod dicitur, *Vidit Deus quia bonum est* (*Genes.* I.), satis significatur, Deum nullâ necessitate, nullâ suæ cujusquam utilitatis indigentiâ, sed solâ bonitate fecisse quod factum est, id est, quia bonum est: quod ideò posteà quàm factum est dicitur, ut res quæ facta est, congruere bonitati propter quam facta est, indicetur. Quæ bonitas si Spiritus sanctus rectè intelligitur, universa nobis Trinitas in suis operibus intimatur.

Cap. 26. Et nos quidem in nobis, tametsi non æqualem, immò valdè longeque distantem, neque coæternam, et quo breviùs totum dicitur,

§. 3. De Festis Christo Domino sacris, ac primùm de Annuntiatione Dominicâ, ejusque Conceptione.

I. Quænam in honorem Christi Festa celebrat Ecclesia ?

R. Ejus Annuntiationem, ut vocant, et Conceptionem, Nativitatem, Circumcisionem, Epiphaniam, Præsentationem in templo, Transfigurationem, Passionem, Sepulturam, Resurrectionem, Ascensionem, Spiritûs sancti Missionem, et Festum sanctissimi Eucharistiæ sacramenti.

I. Quandonam celebratur Festum Annuntiationis et Conceptionis Dominicæ ?

R. Octavo calendas Aprilis. (A) Quæ dies dicitur vel Annuntiatio Dominica vel Annuntiatio B. M. Virginis : sicut dicta quoque fuit vel Conceptio Dominica vel Conceptio B. M. Virginis : sumendo nomina Annuntiationis et Conceptionis vel activè vel passivè ; ut sensus sit celebrari hâc die festum quo Christi Conceptio et annuntiata et perfecta est, vel quo B. Virgo Deipara Verbum divinum, Angelo nuntiante et Spiritu sancto operante, suscepit. (B) De hoc non ejusdem substantiæ, cujus est Deus, tamen quâ Deo nihil sit in rebus ab eo factis naturâ propinquius, imaginem Dei, hoc est summæ illius Trinitatis, agnoscimus, adhuc reformatione perficiendam, ut sit etiam similitudine proxima. Nam et sumus, et nos esse novimus, et id esse ac nosse diligimus.

Cap. 28. Ita enim corpus pondere sicut animus amore fertur, quocunque fertur. Quoniam igitur homines sumus, ad nostri Creatoris imaginem creati, cujus est vera æternitas, æterna veritas, æterna et vera charitas, estque ipsa æterna et vera et chara Trinitas, neque separata : in iis quidem rebus, quæ infra nos sunt, quoniam et ipsa nec aliquo modo essent, nec aliquâ specie continerentur, nec aliquem ordinem vel appeterent, vel tenerent, nisi ab illo facta essent qui summè est, qui summè sapiens est, qui summè bonus est ; tanquam per omnia quæ fecit mirabili stabilitate currentes, quasi quædam ejus alibi magis, alibi minùs impressa vestigia colligamus ; in nobis autem ipsis ejus imaginem contuentes, tanquam minor ille Evangelicus filius (*Luc.* xv. 18.) ad nosmetipsos reversi surgamus, ut ad illum redeamus, à quo peccando recesseramus. Ibi esse nostrum non habebit mortem, ibi nosse nostrum non habebit errorem, ibi amare nostrum non habebit offensionem.

Qui pleniorem tanti mysterii intelligentiam sibi comparare voluerit, adeat SS. ATHANASII, BASILII, CYRILLI ALEXANDR. *Libros polemicos* adversùs Arianos, Macedonianos, *aliosque sui temporis Hæreticos, et* SS. HILARII, AUGUSTINI, etc. *Libros de* Trinitate, *et Doctissimos ævi nostri Theologos, quorum libri in omnium manibus versantur.*

(A) S. AUG. *Lib. 4. de Trinit. c.* 5. *n.* 9. Quadragies sexies sent, fiunt ducenti septuaginta sex : qui numerus dierum complet novem menses et sex dies, qui tanquam decem menses parientibus feminis imputantur : non quia omnes ad sextum diem post nonum mensem perveniunt, sed quia ipsa perfectio corporis Domini tot diebus ad partum perducta comperitur, sicut à majoribus traditum suscipiens Ecclesiæ custodit auctoritas. Octavo enim Kalendas aprilis conceptus creditur, quo et passus : ita monumento novo, quo sepultus est, ubi nullus erat mortuorum positus, nec antè, nec posteà, congruit uterus Virginis quo conceptus est, ubi nullus seminatus est mortalium. Natus autem traditur octavo Kalendas januarias.

(B) LUC. 1. 26. In mense autem sexto, missus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, 27. ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Virginis, Maria. 28. Et ingressus Angelus ad eam dixit : Ave gratiâ plena :

Gabriëlis Archangeli nuntio jam egimus primâ Parte hujus Operis. (*Sect.* 2. *Cap.* 1. §. 3.)

Itaque celebramus hâc die festum duplex, festum Verbi in utero Virginis incarnati, et festum B. Virginis Deiparæ, cujus castitas et humilitas et obedientia hâc die maximè enituerunt. (C)

Castitas quidem. Turbata enim est Virgo virorum colloquiis parùm assueta, viso Angelo, quem hominem putabat. Deindè cùm intellexisset hunc Angelum Dei esse, et missum à Deo ut nuntiaretur sibi mysterium Incarnationis; *Quomodo fiet istud*, inquit, *quoniam virum non cognosco.* (*Luc.* 1. 34.) Quibus verbis significavit et emissum à se

Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus. 29. Quæ cùm audisset, turbata est in sermone ejus, et cogitabat qualis esset ista salutatio. 30. Et ait Angelus ei: Ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Deum. 31. Ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus, Jesum. 32. Hic erit magnus, et filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus: et regnabit in Domo Jacob in æternum. 33. Et regni ejus non erit finis. 34. Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? 35. Et respondens Angelus dixit ei: Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.... 38. Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum. Et discessit ab illa Angelus.

(C) S. Ambros. *Lib.* 2. *de Virginib. cap.* 2. *n.* 7. *vide suprà Cap.* 7. *Sect.* 3. *hujusce Partis*, *litt.* (B)

N. 11. Angelum Maria quasi virum specie mota trepidavit, quasi non incognitum audito nomine recognovit..... ut agnoscas aures religiosas, oculos verecundos. Denique salutata obmutuit, et appellata respondit: sed quæ primò turbaverat affectum, postea promisit obsequium.

Lib. 2. *in Luc. cap.* 1. *v.* 27. *n.* 8. Disce Virginem moribus, disce Virginem verecundiâ, disce Virginem oraculo, disce mysterio. Trepidare virginum est, et ad omnes viri ingressus pavere, omnes viri affatus vereri. Discant mulieres propositum pudoris imitari. Sola in penetralibus, quam nemo virorum videret, solus Angelus reperiret: sola sine comite, sola sine teste; ne quo degeneri depravaretur affatu, ab Angelo salutatur. Disce, virgo, verborum vitare lasciviam: Maria etiam salutationem Angeli verebatur.

N. 9. Et ideò cum verecundia, quia pavebat; cum prudentia, quia benedictionis novam formulam mirabatur.

N. 14. Neque non credere Maria, neque tam temerè debuit usurpare: non credere Angelo, usurpare divina. Neque enim facile erat scire mysterium absconditum à seculis in Deo, quod nec superiores Potestates scire potuerunt. Et tamen non fidem renuit, non officium refutavit: sed accommodavit affectum, spopondit obsequium. Etenim cùm dicit: *Quomodo fiet istud;* (*Luc.* 1. 34.) non de effectu dubitavit, sed qualitatem ipsius quæsivit effectûs.

N. 15. Ista se facere profitetur, nec dubitat esse faciendum, quod quomodo fieri possit, inquirit.

N. 16. Vide humilitatem, vide devotionem. Ancillam se dicit Domini, quæ mater eligitur, nec repentino exaltata promisso est. Simul ancillam dicendo, nullam sibi prærogativam tantæ gratiæ vindicavit, quæ faceret quod juberetur. Mitem enim humilemque paritura, humilitatem debuit etiam ipsa præferre. *Ecce ancilla Domini, contingat mihi secundum verbum tuum.* (*Ibid.* 38.) Habes obsequium, vides votum. *Ecce* enim *ancilla Domini*, apparatus officii est: *contingat mihi secundum verbum tuum*, conceptus est voti.

N. 17. Nec mirum si Dominus redempturus mundum, operationem suam inchoavit à Maria; ut per quam salus omnibus parabatur, eadem prima fructum salutis hauriret ex pignore.

fuisse virginitatis votum, et malle se, si res aliter fieri non posset, virginem esse quàm matrem Dei. (D)

Humilitas B. Virginis enituit. Cùm enim audiisset Ab Angelo fore se simul matrem et virginem *, *Ecce Ancilla Domini*, (*Luc.* I. 38.) inquit, quæ mater Dei futura dicebatur.

Obedientia tandem Virginis enituit his verbis, *Fiat mihi secundùm verbum tuum.* (*Id. Ibid.*)

Atque ita consensu Virginis accepto obumbravit eam Spiritus sanctus; *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.* (*Joan.* I. 14.)

I. Quid facto opus est ut assequamur hujus duplicis festi scopum?

R. 1. Adoremus Filium Dei, *qui cùm in forma Dei esset, exinanivit semetipsum formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo.* (*Phil.* II. 6. 7.)

2. Veneremur, invocemus, imitemur B. Virginem Deiparam.

3. Meditemur facta hâc die miracula.

4. Revolvamus animo quid Christo debeamus, quantum sit Verbi pro nobis incarnati beneficium. Adeoque fugiamus peccatum, etc. (E)

(D) *Vide momenta Patrum ea de re suprà allata Part.* 1. *Sect.* 2. *Cap.* 1. §. 3. *litt.* (A) *In ea sententia sunt omnes qui scripserunt in caput* 1. Lucæ *et in* Isaiam. *Vide etiam* D. DE TILLEMONT Comment. in Hist. Eccles. *ibid. laudata.*

(E) S. BERNARD. *Serm.* 1. *in Annunt. n.* 5. Prævenienti siquidem misericordiæ, ut veritas nostræ conversionis occurrat necesse est, ac de cætero sanctimoniam sectemur et pacem, sine qua nemo videbit Deum.

N. 6. *Ut inhabitet gloria in terra nostra, misericordia et veritas obviaverunt sibi, justitia et pax osculatæ sunt.* (*Psal.* LXXXIV. 10. 11.) Si gloria Patris, Filius sapiens, cùm sit sapientiâ ipsâ sapientior nemo; liquet profectò gloriam Patris, Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam esse. Quia ergo multifariè multisque modis de eo prædictum fuerat in Prophetis, quòd in terris videndus esset, et inter homines conversaturus, quonam modo id factum sit, ut impletis quæ de eo per os omnium Prophetarum dicta fuerant, habitaverit gloria in terra nostra, Psalmista indicat in his verbis, ac si manifestè dicat: Ut Verbum caro fieret et habitaret in nobis, *misericordia et veritas obviaverunt sibi, justitia et pax osculatæ sunt.* Magnum Sacramentum, fratres, et diligentiùs perscrutandum, nisi et intellectus mysterio, et ipse quoque intellectui verba deessent.

N. 10. Factumque est ut legimus in Propheta: *Domine in cœlo misericordia tua, et veritas tua usque ad nubes.* (*Ps.* XXXV. 6.) Medius autem Pater luminum residebat, et utraque pro parte sua utilius quod habebat loquebatur. Quis putas illi colloquio meruit interesse, et indicabit nobis. Quis audivit et enarrabit. Forte inenarrabilia sunt, et non licet homini loqui. Summa tamen controversiæ totius hæc fuisse videtur. Eget miseratione creatura rationalis: ait Misericordia, quoniam misera facta est, et miserabilis valdè, *venit tempus miserendi ejus, quia jam præteriit tempus.* (*Ps.* CI. 14.) E contra Veritas: Oportet, inquit, impleri sermonem quem locutus es Domine. Totus moriatur Adam necesse est cum omnibus qui in eo erant, qua die vetitum pomum in prævaricatione gustavit. Ut quid ergo, ait Misericordia, ut quid me genuisti pater citiùs perituram? Scit enim Veritas ipsa, quoniam misericordia tua periit, et nulla est, si non aliquando miserearis.

N. 11. Ecce verò unus de Cherubim, id est, magniconsilii Angelus, ad regem Salomonem suggerit esse mittendus. Quoniam filio, inquit, da-

tum est omne judicium. (*Joan.* v. 22.) Et in ejus ergo conspectu Misericordia et Veritas obviaverunt sibi, eadem quæ suprà meminimus verba querimoniæ repetentes.

N. 12. Porrò Judex inclinans se, digito scribebat in terra. Erant autem verba scripturæ, quæ pax ipsa legit in auribus omnium. Ea siquidem propiùs assidebat. Hæc dicit, Perii, si Adam non moriatur : et hæc dicit, Perii, nisi misericordiam consequatur. Fiat mors bona, et habet utraque quod petit.... Sed quomodo fiet istud ? Fieri, ait, potest : si ex charitate moriatur quis, utique qui nihil debeat morti. Neque enim detinere poterit mors innoxium, sed forabitur (ut scriptum est (*Ezech.* III.) maxilla Leviathan, et destruetur paries medius, solveturque chaos magnum, quod inter mortem vitamque firmatum est. Nimirùm charitas fortis ut mors, imò et fortior morte ; si fortis illius intraverit atrium, alligabit eum, et diripiet utique vasa ejus, et ipso transitu suo ponet profundum maris viam, ut transeant liberati.

N. 14. Qui consilium dedit, ferat auxilium. Intellexit rex quid loqueretur, et ait : *Pœnitet me fecisse hominem.* (*Gen.* VI. 6.) Pœna, inquit, me tenet, mihi incumbit sustinere pœnam, pœnitentiam agere pro homine quem creavi. Tunc ergo dixit, Ecce venio. Non enim potest hic calix transire, nisi bibam illum. Et accersito Gabriele, Vade, inquit, dic filiæ Sion : *Ecce rex tuus venit.* (*Zachar.* IX. 9.) Festinavit ille, et ait : *Adorna thalamum tuum Sion, et suscipe Regem.*

Serm. 2. *n.* 1. Injungitur nova legatio Angelo Gabrieli, et novam virgo professa virtutem, novæ salutationis honoratur obsequio. Antiqua excluditur maledictio mulierum, novam nova mater accipit benedictionem. Impletur per gratiam, quæ concupiscentiam nescit, ut Spiritu superveniente Altissimi pariat filium, quæ virum dedignatur admittere. Intrat ad nos eàdem portà salutis antidotum, quà venenum serpentis ingrediens, universitatem generis humani occuparat.... Abyssus planè imperscrutabilis, incarnationis Dominicæ sacramentum, abyssus impenetrabilis. *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.* (*Joan.* I. 14.) Quis enim investiget, quis attingat, quis apprehendat ?

N. 2. Ipsa est Virginis nostræ gloria singularis et excellens prærogativa Mariæ, quòd filium unum eumdemque cum Deo Patre meruit habere communem, quam sanè periisse constat, si non Filius incarnaretur. Sed nec nobis alia dari posset occasio similis sperandæ salutis et hæreditatis. Factus siquidem primogenitus in multis fratribus, qui unigenitus erat, adsciscet eos sine dubio in hæreditatem, quos vocavit in adoptionem. Si enim fratres, et cohæredes. Hic ergo Christus Jesus, mediator fidelis, sicut in persona una Dei hominisque substantiam copulat ineffabili sacramento : sic et in ipsa reconciliatione, consilio usus altissimo, mediam non deseruit æquitatem, utrique tribuens quod oportebat, honorem Deo, homini miserationem.

Serm. 3. *n.* 8.... In te sola Rex ille dives et prædives ; exinanitus ; excelsus, humiliatus ; immensus, abbreviatus, et Angelis minoratus est : verus denique Deus, et Dei Filius incarnatus. Sed quo fructu ? Nempe ut omnes ejus paupertate locupletemur, ejus humilitate sublevemur, ejus minoratione magnificemur, ejus incarnatione adhærentes Deo, incipiamus unus esse spiritus cum eo.

Homil. 1. *super* Missus est, *n.* 5. Quæ est Virgo tam venerabilis, ut salutetur ab Angelo : tam humilis, ut desponsata sit fabro ? Pulchra permixtio virginitatis et humilitatis : nec mediocriter placet Deo illa anima, in qua et humilitas commendat virginitatem, et virginitas exornat humilitatem. Sed quantâ putas veneratione digna est, in qua humilitatem exaltat fecunditas, et partus consecrat virginitatem ? Audis virginem, audis humilem : si non potes virginitatem humilis, imitare humilitatem virginis. Laudabilis virtus virginitas ; sed magis necessaria humilitas ; illa consulitur, ista præcipitur : ad illam invitaris, ad istam cogeris.... Illa ergo remuneratur, ista exigitur. Potes denique sine virginitate salvari, sine humilitate non potes. Potest, inquam, placere humilitas, quæ virginitatem deplorat amissam : sine humilitate autem (audeo dicere) nec virginitas Mariæ placuisset. *Respexit humilitatem ancillæ suæ Deus,* (*Luc.* I. 48.) potiùs quàm virginitatem : et si placuit ex virginitate, tamen ex humilitate concepit.

N. 6. Non omnium quidem est virginitas : multò tamen pauciorum est cum virginitate humilitas. Si igitur virginitatem in Maria non potes nisi mirari, stude humilitatem imitari, et sufficit tibi. Quod si et virgo, et humilis es ; quisquis es, magnus es.

N. 7. Est tamen majus aliquid, quod mireris in Maria : scilicet cum virginitate fecunditas. A seculo enim non est auditum, ut aliqua simul mater esset, et virgo. O si et cujus est mater attendas ! quo te tua super ejus mirabili celsitudine ducet admiratio ?.... Nonne tuo, immò veritatis judicio, illa quæ Deum habuit filium, super omnes etiam choros exaltabitur Angelorum ?... Mirare ergo utrumlibet, et elige quid amplius mireris, sive Filii benignissimam dignationem, sive Matris excellentissimam dignitatem. Utrinque stupor, utrinque miraculum. Et quòd Deus feminæ obtemperet, humilitas absque exemplo : et quòd Deo femina principetur, sublimitas sine socio.

N. 8. Disce homo obedire ; disce terra subdi ; disce pulvis... obtemperare. De auctore tuo loquens Evangelista, *et erat*, inquit, *subditus illis*, (*Luc.* II. 51.) haud dubium, quin Mariæ et Joseph. Erubesce, superbe cinis ! Deus se humiliat, et tu te exaltas ? Deus se hominibus subdit, et tu dominari gestiens hominibus, tuo te præponis auctori ?... Si hominis, ô homo, imitari dedignaris exemplum, certè non erit tibi indignum sequi auctorem tuum.

N. 9. Felix Maria, cui nec humilitas defuit, nec virginitas. Et quidem singularis virginitas, quam non temeravit, sed honoravit fecunditas : et nihilominùs specialis humilitas, quam non abstulit, sed extulit fecunda virginitas : et incomparabilis prorsùs fecunditas, quam virginitas simul comitatur et humilitas. Quid horum non mirabile ? quid non incomparabile ? quid non singulare ? Mirum verò si non hæsitas in eorum ponderatione. Quid tuâ judices dignius admiratione, utrùm videlicet potiùs stupenda sit fecunditas in virgine, an in matre integritas : sublimitas in prole, an cum tanta sublimitate humilitas, nisi quod indubitanter horum singulis præferenda sunt simul cuncta, et incomparabiliter excellentius est atque felicius, omnia percepisse, quàm aliqua. Et quid mirum si Deus, qui mirabilis legitur et cernitur in sanctis suis, mirabiliorem se exhibuit in matre sua ?

Homil. 2. *super* Missus est, *n.* 1. Deo hujusmodi decebat nativitas, quâ non nisi de Virgine nasceretur : talis congruebat et Virgini partus, ut non pareret nisi Deum. Proindè factor hominum ut homo fieret, nasciturus de homine, talem sibi ex omnibus debuit deligere, immò condere matrem, qualem et se decere sciebat, et sibi noverat placituram. Voluit itaque esse Virginem, de qua immaculata immaculatus procederet, omnium maculas purgaturus : voluit et humilem, de qua mitis et humilis corde prodiret, harum in se virtutum necessarium omnibus saluberrimumque exemplum ostensurus.

N. 2. Ut igitur quæ Sanctum sanctorum conceptura erat pariter et paritura, sancta esset corpore, accepit donum virginitatis : ut esset et mente, accepit et humilitatis.

N. 4. Missus est Angelus ad Virginem, virginem carne, virginem mente, virginem professione, virginem denique qualem describit Apostolus, (1. *Cor.* VII. 34.) mente et corpore sanctam ; nec noviter, nec fortuitu inventam, sed à seculo electam, ab Altissimo præcognitam et sibi præparatam, ab Angelis servatam, à Patribus præsignatam, à Prophetis promissam.... Ut pauca loquar de pluribus, quam tibi aliam prædixisse Deus videtur, quando ad serpentem ait.... *ipsa conteret caput tuum* (*Gen.* III. 15.), Cui hæc servata victoria est, nisi Mariæ. Ipsa proculdubio caput contrivit venenatum, quæ omnimodam maligni suggestionem tam de carnis illecebra, quàm de mentis superbia deduxit ad nihilum.

N. 5. Quid deindè Rubus ille quondam Mosaïcus portendebat, (*Exod.* III.) flammas quidem emittens, sed non ardens, nisi Mariam parientem, et dolorem non sentientem ? Quid rogo, virga Aaron florida, nec humectata (*Num.* XVII. 8.), nisi ipsam concipientem, quamvis virum non cognoscentem ? Hujus magni miraculi majus mysterium Isaïas edisserit, dicens : *egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet* (*Isai.* XI. 1.) ; virgam, Virginem ; florem, Virginis partum intelligens.

N. 9... Ibi agnoscitur longitudo brevis, latitudo angusta, altitudo subdita, profunditas plana. Ibi agnoscitur lux non lucens, verbum infans, aqua sitiens, panis esuriens. Videas, si attendas, potentiam regi, sapientiam instrui, virtutem sustentari : Deum denique lactentem, sed Angelos reficientem ; vagientem, sed miseros consolantem.

N. 11. Femina circumdans virum, Virgo est concipiens Deum.

N. 15. *Viro, cui nomen erat Joseph.* (*Luc.* I. 27.) Virum nominat, non quia maritus, sed quòd homo virtutis erat : vel potiùs quia, juxta alium Evangelistam, non vir simpliciter, sed vir ejus dictus est, meritò appellatur quod necessariè putatur. Debuit ergo vir ejus appellari, quia necesse fuit et putari : sicut et pater Salvatoris non quidem esse, sed dici meruit, ut putaretur esse.... Nec vir ergo matris, nec filii pater exstitit, quamvis certâ... et necessariâ dispensatione utrumque ad tempus et appellatus sit, et putatus.

N. 17. O quisquis te intelligis in hujus seculi profluvio magis inter procellas et tempestates fluctuare, quàm per terram ambulare : ne avertas oculos à fulgore hujus sideris (*Mariæ*), si non vis obrui procellis. Si insurgant venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum : respice stellam, voca Mariam. Si jactaris superbiæ undis, si ambitionis, si detractionis, si æmulationis, respice stellam, voca Mariam. Si iracundia, aut avaritia, aut carnis illecebra naviculam concusserit mentis, respice ad Mariam. Si criminum immanitate turbatus, conscientiæ fœditate confusus, judicii horrore perterritus, barathro incipias absorberi tristitiæ, desperationis abysso, cogita Mariam. In periculis, in angustiis, in rebus dubiis, Mariam cogita, Mariam invoca. Non recedat ab ore, non recedat à corde : et ut impetres ejus orationis suffragium, non deseras conversationis exemplum. Ipsam sequens, non devias : ipsam rogans, non desperas : ipsam cogitans, non erras. Ipsâ tenente non corruis, ipsâ protegente non metuis. Ipsâ duce non fatigaris, ipsâ propitiâ pervenis.

Homil. 3. *super* Missus est, *n.* 8.... Facturus est tibi magna qui potens est, in tantum ut, pro maledictione Israël, beatam te dicant omnes generationes, nec suspectam habeas, virgo prudens, fecunditatem, quia non auferet integritatem. Concipies, sed sine peccato : gravida eris, sed non gravata : paries, sed non cum tristitia : nescies virum, et gignes filium. Qualem filium ? Illius eris mater, cujus Deus est Pater. Filius paternæ claritatis erit corona tuæ castitatis. Sapientia paterni cordis erit fructus uteri virginalis. Deum denique paries, et de Deo concipies.

N. 13. Magnificetur et à nobis parvulis magnus Dominus, quos ut faceret magnos, factus est parvulus. *Parvulus*, ait, *natus est nobis, et filius datus est nobis :* (*Isaï.* IX. 6.) nobis, inquam, non sibi, qui utique ante tempora multò nobiliùs natus ex Patre, nasci temporaliter non indigebat ex matre. Non Angelis quoque, qui cùm magnum haberent, parvulum non requirebant. Nobis ergo natus, nobis et datus, quia nobis necessarius.

N. 14. Jam de nobis nato et dato faciamus ad quod natus est et datus. Utamur nostro in nostram utilitatem, de Salvatore salutem operemur. Ecce parvulus in medio statuitur :... studeamus effici sicut parvulus iste : discamus ab ipso, quia *mitis* est *et humilis corde :* (*Matth.* XI. 29.) ne magnus videlicet Deus sine causa factus sit homo parvus, ne gratis mortuus, ne in vacuum crucifixus ; discamus ejus humilitatem, imitemur mansuetudinem, ampleclamur dilectionem, communicemus passionibus, lavemur in sanguine ejus. Ipsum offeramus propitiationem pro peccatis nostris ; quoniam ad hoc ipse natus et datus est nobis. Ipsum oculis Patris, ipsum offeramus et suis. Quia et Pater *proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis tradidit illum*, (*Rom.* VIII. 32.) et ipse Filius *semetipsum exinanivit formam servi accipiens.* (*Philip.* II. 7.) Non possunt perire pro quibus Filius rogat ne pereant, pro quibus Pater tradidit Filium in mortem ut vivant.

De Laudib. Virg. Matr. homil. 4. *n.* 4. *Spiritus sanctus supervenit in te*, (*Luc.* I. 35.) qui utique suâ potentiâ fecundabit te. *Et virtus Altissimi obumbrabit tibi :* hoc est, illum modum quo de Spiritu sancto concipies, Dei virtus, et Dei sapientia Christus, sic in suo secretissimo consilio

§. 4. De Tempore Adventûs.

I. Cur Adventum nuncupamus quatuor illas hebdomadas quæ occurrunt ante Christi nativitatem ?

R. Quia hoc tempore præparat se Ecclesia ad celebrandam memoriam primi Adventûs Christi, id est, solemnitatem Nativitatis Christi, quæ Natale Christi dicitur. (A)

obumbrando conteget et occultabit, quatenùs sibi tantùm notus habeatur et tibi. Ac si Angelus respondeat ad Virginem : Quid ad me requiris, quod in te mox experieris ? Scies, scies, et feliciter scies, sed illo doctore, quo et auctore... *Et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* (*Ibid.*) Quod est dicere : Quoniam non de homine, sed de Spiritu sancto concipies, concipies autem Altissimi virtutem, hoc est Filium Dei : *Ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei :* id est, non solùm qui de sinu Patris in uterum tuum veniens obumbrabit tibi, sed etiam id quod de tua substantia sociabit sibi, ex hoc jam vocabitur Filius Dei, quemadmodum et is qui à Patre est ante secula genitus, tuus quoque amodò reputabitur filius. Sic autem et quod natum est ex ipso Patre, erit tuus, et quod nascetur ex te, erit ejus ; ut tamen non sint duo filii, sed unus. Et licèt aliud quidem ex te, aliud ex illo sit ; jam non tamen cujusque suus, sed unus utriusque erit filius.

N. 8. Ecce offertur tibi pretium salutis nostræ : statim liberabimur si consentis.... Ex ore tuo pendet consolatio miserorum, redemptio captivorum, liberatio damnatorum, salus denique universorum filiorum Adam, totius generis tui.

N. 9... Mater Dei eligitur, et ancillam se nominat.... Non magnum est esse humilem in abjectione ; magna prorsùs et rara virtus, humilitas honorata.

(A) R. P. Edm. Martenne *Lib. de antiquâ Eccles. Discip. in divinis celebrandis offic. cap.* 10. *n.* 1. Adventûs nomine omne illud temporis spatium intelligimus, quo ad celebrandum, eâ, quâ par est, reverentiâ ac devotione, incarnati Verbi natalem diem sese præparat Ecclesia, quod quidem à Dominica quarta ante Christi Domini nativitatem incipere solemus ; idque, si Amalario *lib.* 3. *de Ecclesiasticis officiis c.* 40. et Bernoni Augiensi Abbati in libello *de ritibus Missæ cap.* 4. fides sit, ex S. Gregorii Papæ instituto. Quibus suffragatur ejusdem sancti Pontificis sacramentorum liber à Pamelio editus, cum MSS. codicibus benè multis, in quibus quatuor tantùm designatæ leguntur Dominicæ ad præveniendam Domini nativitatem. Sed in libro Comitis, qui S. Hieronymo tribuitur, ubi Evangelia per totum anni circulum legenda describuntur, in Gelasii sacramentario, immò in Gregoriano ipso quem Menardus edidit, in codicibus Vaticanis, in Remensi ab annis circiter 900. scripto, in Gellonensi et Colbertino *n.* 1348. ejusdem ætatis et in Colbertino alio *n.* 1364. cujus caracter annos 800. repræsentat, in Pontificali Egberti, Eboracensis Episcopi, et quibusdam aliis quinque leguntur Dominicæ *ante Domini natale* : quin et Guillelmus Durandus auctor non ita antiquus fatetur Dominicam quintam ante nativitatem Domini ad Adventum aliquo modo pertinere. Nam in *lib.* 6. Rationarii *cap.* 2. ita habet : *In quinta igitur hebdomada ante nativitatem Domini inchoatur præparatio Adventûs quoad quædam : ... nam ab illa Dominica usque ad nativitatem Domini sunt quinque officia Dominicalia, quinque Epistolæ, et quinque Evangelia*, quæ Christi adventum apertè prædicant.

N. 2. Sed major exstitit Ecclesiæ Mediolanensis hac in parte religio, utpote quæ sex in adventu Domini Dominicas numerat, uti videre est in Breviario anno 1588. à S. Carolo edito, cui concinit illud quod anno 1487. regnante Joanne Galeazeo Maria Vicecomite Duce prelo commissum est, in quo Adventus incipit à festo S. Martini, si in sabbato acciderit ; aut si alià die, sabbato festum S. Martini sequente. Eadem exstitit Ecclesiæ Tolelanæ consuetudo, ac proindè veteris Hispaniæ ; id quod probat missale Mozarabum : nec dubium quin viguerit etiam in Gallicana, à qua suos ritus illa desumsisse videtur, antequam jussu Pippini Regis

I. Quid facto opus, ut præparemus nos ad hoc festum ritè celebrandum ?

R. 1. Sentiamus non posse nos sine Christi interiore auxilio à peccatis et ab infirmitate liberari.

2. Christum suspiremus, et postulemus ab eo enixè ut ipse veniat et salvet nos.

3. Verbum incarnatum sæpiùs adoremus.

4. Pœnitentia, secessus, assiduitas orationis et lectionis, et frequentatio Ecclesiarum, in quibus fit sermo ad populum, aliaque id genus pia opera adhiberi debent, ut præparatio ad suscipiendum in nobis Christum in die natali illius. (B)

Romanum missale reciperet : idque non obscurè innuit auctor Epistolæ ad Bibianum sub nomine S. Augustini, quem Gallum fuisse suspicamur, tametsi ipse (ordinem Adventûs Dominici ab octavo Kalendas Octobris velit incipi), pro eo quòd eàdem die Joannes præcursor Domini à majoribus nostris, inquit, traditur, et Angelo nuntiante conceptus, et Herodis funesti gladio trucidatus.

(B) S. Leo. *Serm.* 18. *de Jejunio* 10. *mensis* VIII. *c.* 1. Cùm de adventu Regni Dei, et de mundi fine ac temporum discipulos suos Salvator instrueret, totamque Ecclesiam suam in Apostolis erudiret, * *Cavete*, inquit, *ne fortè graventur corda vestra in crapula et ebrietate et cogitationibus secularibus.* (*Luc.* XXI. 34.) Quod utique præceptum, dilectissimi, ad nos specialiùs pertinere cognoscimus : quibus denuntiatus dies, etiam si est occultus, non dubitatus esse vicinus. Ad cujus adventum omnem hominem convenit præparari : ne quem aut ventri deditum, aut curis secularibus inveniat implicatum.

S. Bernard. *Serm.* 1. *in Adventu Domini*, *n.* 1. Vos, circa ea quæ verè salutaria sunt, sedulà cogitatione versamini, et diligenter pensate rationem Adventûs hujus, quærentes nimirùm quis sit qui veniat, undè, quò, ad quid, quando, et quà.

N. 2. Primo igitur loco cum Apostolo stupente et admirante intueamini et vos, quantus sit iste, qui ingreditur : ipse enim et secundùm Gabrielis testimonium, *Altissimi Filius*, (*Luc.* I. 32.) ac proindè coaltissimus ipse. Neque enim fas est Dei Filium degenerem suspicari : sed æqualis fateri necesse est altitudinis et ejusdem penitùs dignitatis.

N. 6. Audistis quis sit qui veniat : considerate jam undè veniat, et quò. Venit utique de corde Dei Patris in uterum Virginis Matris ; venit à summo cœlo in inferiores partes terræ.... Porrò quò veniat intuentibus, apparuit inæstimabilis dignatio et penitùs inexcogitabilis, quòd in carceris hujus horrorem tanta descendere dignata est celsitudo.

N. 7. Jam quis dubitet magnum aliquid in causa fuisse, ut majestas tanta, de tam longinquo, in locum tam indignum descendere dignaretur ? Planè magnum aliquid, quia misericordia magna, quia miseratio multa, quia charitas copiosa. Ad quid enim venisse credendus est ?.... Ad quærendam ovem.... centesimam, quæ erraverat, de montibus properavit ; et ut confiteantur manifestiùs Domino misericordiæ ejus, et mirabilia ejus filiis hominum, propter nos venit, mira quærentis Dei dignatio, magna dignitas hominis sic quæsiti ! in qua si gloriari voluerit, non erit insipiens : non quòd aliquid esse videatur tanquam à seipso, sed quòd tanti eum fecerit ipse qui fecit. Omnes enim divitiæ, omnis gloria mundi, et quidquid in eo concupiscitur, minus est ad hanc gloriam, immò nec est aliquid in comparatione ejus. *Domine*, *quid est homo*, *quia magnificas eum*, *aut quid apponis erga eum cor tuum.* (*Job.* VII. 17.)

N. 8. Nos magis ad eum venire dignum fuit ; sed duplex erat impedimentum. Nam et caligabant oculi nostri : ille verò *lucem habitat inaccessibilem* ; (1. *Tim.* VI. 16.) et jacentes paralytici in grabato divinam illam non poteramus attingere celsitudinem. Propterea benignissimus Salvator et medicus animarum descendit ab altitudine sua, et claritatem suam infirmis oculis temperavit.

N. 9.... Verè sapienter disposuit sapientia, ut cùm magis esset necessarium, tunc primò ferret auxilium, pronos ad ingratitudinem Adæ filios non ignorans.... Nam et lux divinæ notitiæ parva admodum erat, et abundante iniquitate fervor refrigerat charitatis.... At ego, ait Filius, *Tunc dixi : Ecce venio...* (*Ps.* XXXIX. 8.) Quod et Apostolus innuens aiebat : *Quando venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum.* (*Galat.* IV. 4.) Nimirùm plenitudo et abundantia temporalium oblivionem et inopiam fecerat æternorum. Opportunè ergo tunc venit æternitas, quando magis temporalitas prævalebat.

N. 10. Via.... per quam venit.... diligenter requirenda : ut possimus, sicut dignum est, ei occurrere. Verumtamen sicut ad operandam salutem in medio terræ venit semel in carne visibilis, ita quotidie ad salvandas animas singulorum in spiritu venit et invisibilis.... Propterea dignum est, ut, si non valet infirmus in occursum tanti medici procedere longiùs, saltem conetur erigere caput, et aliquatenùs assurgere venienti.... Usque ad temetipsum occurre Deo tuo.... usque ad cordis compunctionem, et oris confessionem occurre, ut saltem exeas de sterquilinio miseræ conscientiæ ; quoniam indignum est illùc auctorem puritatis intrare.

Serm. 2. *n.* 1. Signum bonitatis et charitatis domui David ipse Dominus promittit, ut quos nec potestas nec sapientia terruit, alliciat saltem exhibitio charitatis... Ne timeas, ô homo, nec audito Dei nomine terrearis : quia nobiscum Deus (*Matth.* I. 23.) ; nobiscum carnis similitudine, nobiscum unitate. Propter nos venit, tanquam unus ex nobis, similis nobis, passibilis.

N. 3.... Ad nos veniens solum mel attulit, et non aculeum, id est, misericordiam, et non judicium ; ita ut suadentibus quandoque Discipulis, ut civitatem, quæ suscipere eum noluit, præciperet igne consumi, responderit Filium hominis non venisse ut judicaret, sed ut salvaret mundum. (*Joan.* XII. 27.).... Sed *nolite sperare in iniquitate*, (*Psal.* LXI. 11.) nolite peccare in spe. Habet enim apis nostra quandoque assumere aculeum suum ; et acriter nimis infigere illum in medullas hominum peccatorum : quoniam *Pater non judicat quemquam, sed Filio dedit omne judicium.* (*Joan.* V. 22.)

N. 5. Studeamus et nos, dilectissimi, ad ipsum, per eam ascendere, qui per ipsam ad nos descendit : per eam venire in gratiam ipsius, qui per eam in nostram miseriam venit.... Per te accessum habeamus ad Filium, ô benedicta inventrix gratiæ, genitrix vitæ, mater salutis : ut per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis. Excuset apud ipsum integritas tua culpam nostræ corruptionis, et humilitas Deo grata nostræ veniam impetret vanitati. Copiosa charitas tua nostrorum cooperiat multitudinem peccatorum, et fecunditas gloriosa fecunditatem nobis conferat meritorum. Domina nostra, mediatrix nostra, advocata nostra, tuo filio nos commenda, nos tuo filio repræsenta.

Serm. 3. *n.* 1. In adventu Domini quem celebramus, si personam venientis intueor, non capio excellentiam majestatis. Si attendo ad quos venerit, dignationis magnitudinem expavesco. Stupent certè Angeli de novo, videntes infra se, quem supra se semper adorant, manifestè jam ascendentes, et descendentes ad Filium hominis. Si considero propter quid venerit, amplector, quoad possum, inæstimabilem latitudinem charitatis. Si modum cogito, exaltationem agnosco humanæ conditionis. Venit siquidem universitatis Creator et Dominus, venit ad homines, venit propter homines, venit homo,.... ut qui fecerat hominem ad imaginem et similitudinem suam, ipse hominibus innotesceret factus homo.

N. 2. Hujus ergo adventûs..... ab universa Ecclesia semel in anno solemnis memoria celebratur. Sed utinam ita semel ageretur, ut semper ! Id quippe dignius. Quantæ enim insaniæ est, ut post tanti Regis adventum, aliis quibuslibet negotiis homines velint, seu audeant occupari, et non magis omissis omnibus, soli ejus cultui vacent, nec in ejus præsentia cujusquam meminerint cæterorum.

N. 3. Suavis est Dominus, et mitis, et multæ misericordiæ, et verax : Hæc autem undè nosti, nisi quia non solùm ad te, sed etiam in te venit ?

N. 4. Triplicem enim ejus adventum novimus ; ad homines, in homi-

nes, contra homines. Ad omnes quidem indifferenter, non autem ita in omnes, aut contra omnes. Sed quia primus et tertius noti sunt, utpote manifesti, de secundo, qui spiritualis et occultus est, ipsum audi dicentem : *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* (*Joan.* XIV. 23.) Beatus apud quem mansionem facies, Domine Jesu.... Beata anima, quæ sedes est sapientiæ. Quænam est illa ? Anima utique justi. Merito planè, quia *justitia et judicium præparatio sedis tuæ.* (*Ps.* LXXXVIII. 15.)

Serm. 7. *n.* 1. Si devotè celebramus adventum Domini, id facimus, quod oportet : siquidem non modò ad nos, sed et propter nos venit, qui bonorum nostrorum non eget.... Faciles sumus ad seducendum, et debiles ad operandum, et fragiles ad resistendum. Si discernere volumus inter bonum et malum, decipimur : si tentamus facere bonum, deficimus : si conamur resistere malo, dejicimur et superamur.

N. 2. Necessarius proindè Salvatoris adventus ; necessaria sic præoccupatis hominibus præsentia Christi.... *Si* ille *pro nobis, quis contra nos* ? (*Rom.* VIII. 31.) Fidelis consiliarius est, qui neque falli omninò, neque fallere queat : fortis auxiliarius, qui non lassescat ; patronus efficax, qui et ipsum *Satanam sub pedibus nostris velociter conterat*, (*Rom* XVI. 20,) et omnia ejus machinamenta confringat. Nimirùm ipse est Dei sapientia, cui semper in promptu sit instruere ignorantes : ipse Dei virtus, cui facile sit et deficientes reficere, et eripere periclitantes. Ad hunc ergo tantum eruditorem, in omni deliberatione curramus : hunc tam strenuum adjutorem in omni operatione invocemus : huic tam fido propugnatori in omni colluctatione commilitamus animas nostras : quia ad hoc ipsum venit in mundum, ut habitans in hominibus, cum hominibus, pro hominibus, et tenebras nostras illuminaret, et labores levaret, et pericula propulsaret.

Apud S. AMBROS. *in Appendice*, *Serm.* 1. *n.* 1. Hoc tempus, fratres charissimi, non immeritò Domini adventus vocatur, nec sine causa sancti Patres adventum Domini celebrare cœperunt, sermones de his diebus ad populum habuerunt ; id namque ideò instituerunt, ut se unusquisque fidelis præpararet et emendaret, quò dignè Dei, ac Domini sui nativitatem celebrare valeret.... Se mundare debet creatura, ut suo Creatori apparenti in carne non displiceat. Ille justus venit ad nos peccatores, ut ex peccatoribus faceret justos : pius venit ad impios, ut nos faceret pios, humilis venit ad superbos, ut ex superbis faceret humiles.

N. 2. Quapropter hortamur vos ut his diebus abundantiùs eleemosynas faciatis, ad Ecclesiam frequentiùs conveniatis, confessionem peccatorum vestrorum purissimè faciatis, et non solùm ab omni immunditia, sed etiam ab uxoribus propriis studiosissimè vos contineatis, odium nihilominùs, iram et indignationem, clamorem et blasphemiam, superbiam, atque jactantiam, cum omni carnali delectatione procul à vobis repellatis ; ut cùm dies Dominicæ nativitatis advenerit, salubriter ipsum celebrare possitis.

Serm. 2. *n.* 1. Hæc gratia natalis est Domini Salvatoris, ut in futurum ad prædestinatos transeat, in præteritum remaneat ad devotos. Oportet ergo esse nos sanctitate puros, mundos pudicitiâ, nitidos honestate, ut quò diem festum advenire propinquiùs cernimus, eò accuratiùs incedamus. Si enim mulierculæ solent aliquas ferias suscepturæ maculas vestium suarum aquâ diluere, cur non magis nos excepturi natalem Domini, maculas animarum nostrarum fletibus abluamus.

N. 2. Nos quoque si tam grave peccatum fuerit, ut id minimè solis fletibus, abluatur, addamus misericordiæ oleo acrimoniam jejunii. Nullum enim tam grave delictum est, quod non purgetur abstinentiâ, eleemosynis exstinguatur : ait enim sanctus Propheta : *Sicut aqua exstinguit ignem, ita eleemosyna exstinguit peccatum.* (*Eccli.* III. 33.)

N. 6. Natalem Domini suscepturi, ab omni conscientias nostras fæce mundemus ; ac curemus nos non sericis vestibus, sed operibus pretiosis. Vestimenta enim nitida membra operire possunt, conscientiam ornare non possunt ; nisi quòd majori verecundiæ est nitidum membris incedere, et pollutum sensibus ambulare. Interioris igitur hominis priùs ornemus affectum, ut exterioris quoque sit amictus ornatus.

Olim in pluribus Ecclesiis servabatur Adventûs tempore jejunium. (C)

(C) THOMASSIN. *Traité des jeûnes*, *Part.* 1. *c.* 23. *n.* 1. Dans le Concile I. de Mâcon en 581. Can. 9. on ordonna de jeûner la 2. la 4. et la 6. ferie de chaque Semaine, depuis la fête de S. Martin jusqu'à celle de Noël..... *ut à feriâ sancti Martini usque ad natale Domini, secundâ, quartâ, et sextâ sabbati jejunetur...* Voilà les premiers commencemens de l'Avent.

N. 2. Il y a beaucoup d'apparence que ce fut un écoulement et une imitation de la piété des Moines, qui donna naissance à cette loi de l'Avent pour les Laïques.

Part. 2. *c.* 19. *n.* 2. Ratherius Episcopus Vercellens. *In adventu Domini nisi festivitas intercedat, quatuor hebdomadibus à carne noveritis abstinendum...* Le Concile de Salingestad en 1022... *In abstinentia sint carnis et sanguinis, et ut ante Nativitatem Domini sint similiter.*

N. 3. C'est peut-être le tempérament qu'il faut prendre de reconnoître que l'Avent a été de précepte en quelques Eglises, mais pour l'abstinence seulement, non pour le jeûne.

N. 4. Le Concile de Clermont en 1095. parla de l'Avent pour y faire garder la trêve des guerres particulières... Le Concile d'Avranches en 1172. *Item in Adventu Domini omnibus qui poterunt, maximè autem clericis et militibus jejunium et abstinentia carnium indicatur.*

N. 5. Pierre le vénérable, Abbé de Cluni.. *Statutum est ut in omni die Adventûs Domini, exceptâ primâ dominicâ, ab adipe, quæ in duodecim lectionum festis in usu esse solebat, omnes abstineant. Causa instituti hujus fuit ipsorum dierum ab omni penè Ecclesia solito major ob præparationem Domini natali servata abstinentia; ut sacros dies illos quos multi alii majoribus jejuniis dedicant, nostri saltem mediocribus dedicarent.*

N. 6. *Cap.* Consilium de observatione jejunii... *Jejunium etiam apud nos in Adventu Domini agitur.*

N. 7. Concile de Salsbourg en 1281... *A festo S. Martini ab omnibus Religiosis usque ad Nativitatem Domini jejunium observetur.* Le Pape Boniface VIII. dans la Bulle de la Canonisation de S. Louis Roi de France, assure que ce S. Roi passoit les 40. jours de l'Avent en jeûnes et en prières. *Quadraginta dies festum Nativitatis præcedentes in jejuniis et orationibus existebat.* Le Pape Urbain V. *Volensque Curiales Ecclesiasticos sic honestè vivere, quòd essent cæteris in exemplum, à principio suæ creationis pœnaliter ordinavit, quòd omnes generaliter et indistinctè in Adventu Domini ab esu carnium abstinerent...* Gerson... *Quòd sacerdotes Adventum Christi jejunent...* S. François de Paule n'obligea lui-même ses Religieux qu'à jeûner les Mercredis et les Vendredis depuis la Toussaints jusqu'à Noel : *A festo omnium Sanctorum exclusivè usque ad festum Nativitatis Domini : cæterisque temporibus, quartâ et sextâ feriâ solliciti simus jejunare.* Le Concile IV. de Milan ne prescrit aussi que le jeûne des Mercredis et Vendredis en Avent aux Domestiques des Evêques. *In Adventu item curetur, ut familia jejunet saltem feriâ quartâ et sextâ.* Dans les instructions particulières que S. Charles dressa pour ses domestiques, il obligea les Ecclesiastiques à l'abstinence de tout l'Avent. *Per Adventum autem secundùm antiquam Ecclesiasticorum hominum consuetudinem cibis quadragesimalibus utantur.* Giussano dit que S. Charles leur prescrivit encore quelques jeûnes par semaines ; qu'il jeûnoit lui-même tout l'Avent, et que par une excellente lettre Pastorale, il renouvela tellement dans tout son troupeau l'ancienne dévotion de l'Avent, que plusieurs embrasserent l'abstinence, d'autres le jeûne au moins de quelques jours, tous témoignèrent de la ferveur pour la prière, pour les Sacremens, pour les Sermons et pour les bonnes œuvres.

N. 8. Le Moine Grégoire qui de Protosyncelle devint enfin Patriarche de Constantinople... *Nescit ergo, ut planè videtur, eximius hic vir varios in hac etiam magna urbe Constantinopolitana servari mores, jejuniorumque et rituum Ecclesiasticorum esse diversitates : namque ante Christi natalem sunt qui ordiuntur jejunium ex die quintodecimo Novembris, alii ex die sexto Decembris, alii ex vicesimo.*

R. P. EDM. MARTENNE *Lib. de antiqua Eccles. Discipl. in divinis celebran-*

dis offic. c. 10. *n.* 2. *versùs finem.* In Calendario quod præfigitur Sacramentario Ratoldi Abbatis Corbejensis XVIII. Calendas Novembris notatur quadragesima ante natale Domini.

N. 3. Ex hocce Calendario apparet qualis fuerit majorum nostrorum religio, apud quos adventus Domini quadragesimæ rationem obtinebat, tam in jejuniis quàm in sacrificiis, id quod ampliùs constat ex Concilio Matisconensi I. anno 582. celebrato, cujus Canon 9. præscribit (ut à feriâ S. Martini usque ad natalem Domini, secundâ, quartâ et sextâ sabbati jejunetur, et sacrificia quadragesimali debeant ordine celebrari.) Ante istud Concilium S. Perpetuus Turonensis Episcopus jam instituerat, ut (a depositione domni Martini usque ad natale Domini terna in septimana jejunia) fierent, teste Gregorio Turonensi item Episcopo in Hist. lib. 10. c. 31. Concilium Turonense II. anno 570. addit (ut in Decembri usque ad natale Domini jejunent) monachi quotidiè. Verùm non modò monachis, sed ipsis etiam clericis, immò et laïcis quotidianum haud multò post indictum est jejunium, nec solùm in Decembri, sed etiam ab ipso S. Martini festo, uti videre est in præcitata ad Bibianum sub nomine S. Augustini Epistola, ubi postquam auctor statuit apud nonnullos Adventum Domini à festo S. Martini incipere, addit (apud nos itaque ex ejus solemnitate abstinentia à carnibus vel conjugali copula filiis Ecclesiæ indicitur, ut ad natalem Domini securiùs communicent.) Hinc et Grodegangus Metensis Episcopus in regula Canonicorum cap. 35. decernit (ab ipso transitu S. Martini usque ad natalem Domini à carne omnes abstineant, et usque ad nonam jejunent.) Et Capitula Regum Francorum lib. 6. cap. 187. (Admoneant Sacerdotes, ut jejunia tria legitima in anno agantur, id est, quadraginta dies ante nativitatem Domini, et quadraginta ante Pascha, ubi decimas anni solvimus, et post Pentecosten quadraginta dies.) Similia videre est apud Rabanum lib. 2. de institutione cleric. cap 22. Vigebatque adhuc seculo XIII. laudabilis ista consuetudo, quo Ordericus Vitalis in Historiæ lib. 12. ad annum 1118. conqueritur violatum fuisse à militibus Adventûs Dominici jejunium, cùm è contrario Willelmus Antissiodorensis Episcopus etiam infirmus (totâ quadragesimâ à festo videlicet Beati Martini ad Nativitatem Domini quotidiè jejunans, nullum omninò cibum sumpserit nisi quadragesimalem,) uti legere est in Hist. Episcoporum Antissiodorensium cap. 57. Quibus adde quod Theodinus et Albertus Cardinalis in synodo Abricensi anni 1172. (in Adventu Domini omnibus qui poterunt, maximè autem clericis, et militibus jejunium et abstinentiam) indixerunt. Denique Joannes Belethus rationem reddens cur in vigilia S. Thomæ jejunium non sit indictum; (quia, inquit, festum ejus est in Adventu, in quo quasi continuum jejunium debemus observare.) Ita ille in libro de divinis officiis capite II.

N. 4. Hæc quæ de jejunio Adventûs diximus, Ecclesiam potissimùm Gallicanam respiciunt: verùm haudquaquam mihi dubium est, quin apud alias nationes similis observantia fuerit in usu. De Anglia eximia habemus duo testimonia Bedæ Presbyteri; unum in Historiæ gentis Anglorum lib. 3. c. 37. ubi de Egberto Presbytero ita habet: (Addidit autem votis quæ diximus, ut in quadragesima semper non plus semel in die reficeret, non aliud quàm panem et lac tenuissimum, et hoc cum mensura gustaret... Cujus modum continentiæ etiam quadraginta dies Lus ante nativitatem Domini, totidemque post peracta solemnia Pentecostes, hoc est, quinquagesimæ, semper observare curabat.) Alter locus est in lib. 4. c. 30. ubi S. Guthbertus Lindisfarnensis Episcopus in remoto loco (quadraginta ante Dominici natalis dies in magna continentia) transegisse memoratur.

N. 5. Idem etiam in Italia obtinuisse non minùs constat. Nam Aistulfus Rex Longobardorum in Diplomate Monachis Nonantulensibus ann. 753. concesso, ab eis exigit quadraginta Lucios *in quadragesima S. Martini* sibi reddendos. Et Nicolaus Papa I. ad Bulgaros scribens, (Hæc jejunia, inquit, sancta Romana Ecclesia suscepit antiquitùs et tenet; quadragesimali videlicet tempore, quod est ante Pascha; post Pentecosten, ante Assumptionem S. Mariæ Dei genitricis: necnon ante natalis Domini festivitatem.) Et Ratherius Veronensis Episcopus in synodica ad Pres-

I. Nunquid et postremum Christi Adventum Ecclesia recolit et meditatur tempore Adventûs ?

R. Et illum recolit ; nam legitur in Missa Dominicæ primæ Adventûs, Evangelium in quo sermo est de futuro hoc Christi Judicis Adventu. Ideò autem hunc nobis ponit ob oculos Ecclesia, 1. Ut salutari judiciorum Dei metu perciti, moveamur ad pœnitentiam, atque ita paremus viam Christo in nobis nascituro. 2. Ut ultimum hunc Christi Judicis Adventum appetamus, ceu diem in quo perfectè liberandi ab omni planè miseriâ, ad Christum caput reducemur, unum cum ipso corpus in æternum futuri.

Neque verò solius extremi Judicii intuitu vocat nos ad Christum per pœnitentiam Ecclesia, sed et Præcursoris voce ad hanc nos hortatur et impellit ; ut quemadmodum Joannes Baptista baptizabat Judæos in pœnitentiam, ut plebem perfectam hâc viâ pararet Christo ; ita et nos sumentes nobis verba Præcursoris, per salutarem pœnitentiam expiati, eamus obviam Christo puriores. Atque hæc quidem ratio est, cur Dominicis, secundâ, tertiâ et quartâ Adventûs, legantur in Missâ Evangelia in quibus sermo est de Joanne Baptista Christi Præcursore, ut norunt omnes. (D)

byteros : (In Adventu Domini, nisi festivitas intercedat, quatuor hebdomadibus à carne noveritis abstinendum ac cœitu.)

N. 6. Paulò remissiores fuisse videntur Germani, quibus in Concilio Salingestadiensi anno 1022. quatuordecim duntaxat diebus ante nativitatem Domini abstinentia à carne et sanguine indicitur, uti videre est in vita S. Meinverci cap. 76. apud Surium. In Hispania verò ineunte seculo XIII. magnam jam pia hæc Christianorum consuetudo jacturam passa erat, quo Bracarensis Episcopus Innocentium III. consuluit, (utrum jejunandum sit in Adventu, cùm indè sentiant diversi diversa ; quibusdam dicentibus, sed paucioribus, jejunandum esse ; pluribus verò se ad hoc asserentibus non teneri.) Respondit Innocentius : (Jejunium etiam apud nos in adventu Domini tenetur.) Illibatum ergo perseverabat adhuc in Ecclesia Romana Dominici Adventûs jejunium, illibatum sane ut in Gallia etiam multis post Innocentium annis, uti discimus ex Chronici Senonensis libro 5. cap. 2. ubi agitur de quodam perverso Presbytero, qui neque in Adventu, neque in Quadragesima, neque in aliis jejuniis volebat jejunare ; id quod refert ad annum 1258. et ex Durandi Rationario, in cujus lib. 6. cap. 2. ita legere licet : (In Adventu est jejunium, nec tunc nuptiæ celebrantur :) et cap. 7. (De Beato quoque Thoma non est jejunium statutum, quia ejus festum est in Adventu Domini, ubi continuum est jejunium.

(D) S. BERNARD. *De Adv. Dom. Serm. 4. n. 1.* Dignum est, fratres, ut totâ cum devotione Domini celebretis Adventum, delectati totâ consolatione, stupefacti tantâ dignatione, inflammati tantâ dilectione. Nec verò solùm cogitetis Adventum, quo venit quærere et salvum facere quod perierat ; sed et illum nihilominus, quo veniet et assumet nos ad seipsum. Utinam circa hos duos Adventus jugi meditatione versemini, ruminantes in cordibus vestris, quantum in priore præstiterit, quantum promiserit in secundo.

N. 3. Nos autem si perfectè judicamur nunc, securi *Salvatorem exspectemus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* (*Philipp.* III. 20. *et* 21.)

N. 4.... Quicunque enim judicari dissimulant eo judicio quod nunc est, in quo princeps hujus mundi ejicitur foras ; judicem exspectent, vel magis timeant, à quo cum ipso principe suo foràs ejicientur et ipsi.

Serm. 5. *n.* 1. In priori quidem (Adventu) *in terris visus, et cum homi-*

I. **Edissere nobis quid sint O Adventûs ?**

R. **Sunt Antiphonæ solemnes in quibus preces ad Chris-**

nibus conversatus est.. (*Luc.* III. 6.) in posteriore verò, *videbit omnis caro salutare Dei nostri ; et videbunt in quem transfixerunt.* (*Joan.* XIX. 37.) Medius occultus est, in quo soli eum in seipsis vident electi, et salvæ fiunt animæ eorum. In primo ergo venit in carne, et infirmitate : in hoc medio in spiritu et virtute : in ultimo in gloria et majestate... Adventus siquidem iste medius, via quædam est, per quam à primo venitur ad ultimum. In primo Christus fuit redemptio nostra ; in ultimo *apparebit vita nostra :* in isto, ... requies est et consolatio nostra.

N. 3. Veniet enim Filius ad te cum Patre, veniet Propheta magnus, qui *renovabit Jerusalem*, et ille *nova faciet omnia.* (2. *Cor.* V. 17.) Hoc enim faciet hic adventus, ut *sicut portavimus imaginem terreni, sic portemus et imaginem cœlestis.* (2. *Cor.* XV. 49.) Sicut fuit vetus Adam effusus per totum hominem, et totum occupavit : ita modò totum obtineat Christus, qui totum creavit, totum redemit, totum et glorificabit.... Erat in nobis aliquando vetus homo, prævaricator ille erat in nobis, tam in manu, quàm in ore, et in corde. In manu dupliciter, per facinus et flagitium. In ore similiter per arrogantiam et detractionem. In corde quoque per desideria carnis, et desideria gloriæ temporalis. Nunc autem *si qua nova creatura in ipso, vetera transierunt* (2. *Cor.* V. 17.), et contra facinus in manu, innocentia ; contra flagitium, continentia est. In ore contra arrogantiam, verbum confessionis ; contra detractionem, verbum ædificationis, ut *recedant vetera de ore nostro.* In corde verò contra carnis desideria, charitas : humilitas, contra gloriam temporalem.

Serm. 6. *n.* 1. Nolo vos, fratres, ignorare tempus visitationis vestræ : sed ne illud quidem, quid hoc tempore visitetur in vobis. Animabus enim hoc tempus est, non corporibus assignatum, quòd videlicet longè dignior anima corpore, priorem sibi sollicitudinem naturali vindicet dignitate. Sed et prior reparanda est, quam constat corruisse priorem. Anima siquidem corrupta in culpam, fecit ut corpus quoque corrumperetur in pœnam. Denique si Christi membra volumus inveniri, sequendum nobis est proculdubio caput nostrum, ut videlicet prima nobis reparandarum sit sollicitudo animarum, pro quibus ipse jam venit, et quarum priùs mederi studuit corruptioni. Corporis verò curam illi tempori magis reservemus, et differamus in illum diem, quo reformandi corporis gratiâ, est venturus, sicut meminit Apostolus, dicens : *Salvatorem exspectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* (*Philip.* III. 20. *et* 21.) In priori siquidem Adventu, tanquam præco, vel magis verè præco ipsius Joannes-Baptista clamat : *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi,* (*Joan.* I. 10.) non dicit morbos corporis, non molestias carnis, sed *peccatum*, quod est morbus animæ et corruptio mentis.

N. 5... Ipse Dominus Sabaoth, Dominus virtutum, et Rex gloriæ, ipse descendet ad reformanda corpora nostra, et configuranda corpori claritatis suæ. Quanta erit illa gloria, quàm ineffabilis exsultatio, quando creator universitatis, qui pro animabus justificandis humilis antè venerat, et occultus, pro te glorificandâ, ô misera caro, sublimis veniet et manifestus, non jam in infirmitate, sed in gloriâ et majestate sua ?

N. 6. Quo usque igitur caro misera, insipiens, cæca, demens, et prorsùs insana caro, transitorias et caducas quærit consolationes, immò desolationes, si forte contingat repelli, et indignam judicari hâc gloriâ, magis autem nihilominùs ineffabili in æternum excruciari pœnâ ? Non sic obsecro, Fratres mei, non sic, quin imò delectetur in hujusmodi meditationibus anima nostra : quin etiam caro nostra requiescat in spe, Salvatorem exspectans Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit illam configuratam corpori claritatis suæ.... Tunc enim implebuntur desideria nostra, et plena erit majestate Domini omnis terra, ad quam gloriam, ad quam beatitudinem, ad quam denique pacem quæ exsuperat omnem sensum, ipse suâ nos misericordiâ perducat, nec confundat nos ab exspectatione nostra, Salvator quem exspectamus, Jesus Christus Dominus noster.

tum dirigentes, verbis ex Scriptura sacra desumptis satagimus ipsi demonstrare quàm vehementer et cupidè illius Adventum exspectamus. Quælibet ex his Antiphonis ab Apostrophe O incipit : hinc nomen suum traxêre. (E)

§. 5. De Nativitatis Domini solemnitate.

I. Quo die celebratur anniversaria solemnitas Natalis Domini ?

R. Octavo Kalendas Januarii. (A)

I. Quæ mens, quis scopus Ecclesiæ in hac solemnitate ?

R. Ut Christum Infantem adoremus, cum gratissimi animi memoria pro tanto beneficio. Deindè ut quod nos vel nascendo docuit, id sequamur. (B)

(E) *Harum Antiphonarum explicationem videre est in libro Gallico qui inscribitur :* Explication des O de l'Avent ; *prostat apud Guill. Desprez, Parisiis.*

(A) S. Aug. *Lib. 4. de Trinit. cap.* 5. *n.* 9. *Vide suprà* §. 3. *hujusce cap. litt.* (A)

D. Le Nain de Tillemont, *Tom.* 1. *comment. in Hist. Eccles. notâ* 9 *in D. N. J. C. vitam. Vide suprà* §. 4. *Cap.* 1. *Sect.* 2. *Partis* 1. *litt.* (G)

(B) S. Aug. *Serm.* 184. *aliàs de diversis* 56. *in Natali Dom.* 1. *c.* 2. *n.* 2. Natalem Domini frequentiâ et festivitate debitâ celebremus. Exsultent viri, exsultent feminæ : Christus vir est natus, ex feminâ est natus, et uterque sexus est honoratus.... Mortem nobis persuaserat femina : vitam nobis peperit femina. Nata est similitudo carnis peccati, quâ mundaretur caro peccati. Non itaque caro culpetur, sed ut natura vivat, culpa moriatur : quia sine culpa natus est, in quo is qui in culpa fuerat renascatur.... Exsultate virgines sanctæ : Virgo vobis peperit, cui sine corruptione nubatis : quæ nec concipiendo, nec pariendo potestis perdere quod amatis. Exsultate justi : natalis est justificatoris. Exsultate debiles et ægroti : natalis est Salvatoris. Exsultate captivi : natalis est Redemptoris.... Exsultent omnes Christiani : natalis est Christi.

N. 3. Natus est Christus et de patre et de matre ; et sine patre, et sine matre : De Patre Deus, de matre homo ; sine matre Deus, sine patre homo. * *Generationem ergo ejus quis enarrabit ?* (*Isai.* Liii. 8.) Sive illam tempore, sive istam sine semine ; illam sine initio, istam sine exemplo.

Cap. 3. Meritò ergo Prophetæ nuntiaverunt nasciturum, cœli verò atque Angeli natum. Jacebat in præsepio continens mundum : et infans erat et Verbum. Quem cœli non capiunt, unius feminæ sinus ferebat. Illa Regem nostrum regebat ; in quo sumus, illa portabat ; Panem nostrum illa lactabat.

Serm. 185. *aliàs de diversis* 62. *in natali Domini* 2. *c.* 1. *n.* 1.... Pro te Deus factus est homo. In æternum mortuus esses, nisi in tempore natus esset. Nunquam liberareris à carne peccati, nisi suscepisset similitudinem carnis peccati.... Defecisses, nisi subvenisset. Periisses, nisi venisset.

Serm. 186. *in natali Domini* 3. *aliàs de tempore* 19. *c.* 1. *n.* 1.... Istum diem nobis Creator ipsius invisibilis consecravit ; quando cum pro nobis visibilem factum, à quo invisibili et ipsa creata est, visceribus fecundis et genitalibus integris virgo mater effudit. Concipiens virgo, pariens virgo, virgo gravida, virgo fœta, virgo perpetua. Quid miraris hæc, ô homo ? Deum sic nasci oportuit, quando esse dignatus est homo. Talem fecit illam, qui est factus ex illâ. Antequam enim fieret, erat : et quia omnipotens erat, fieri potuit manens quod erat. Fecit sibi matrem, cùm esset apud Patrem : et cùm fieret ex matre, mansit in Patre. Quomodo Deus esse desisteret, cùm homo esse cœpit, qui genitrici suæ præstitit, ne desisteret virgo esse, cùm peperit. Proindè quòd Verbum caro factum est, non Verbum in carnem pereundo cessit ; sed caro ad verbum, ne ipsa periret, accessit : ut quemadmodum homo est anima et caro, sic esset Christus Deus et homo. Idem Deus qui

homo, et qui Deus idem homo : non confusione naturæ, sed unitate personæ. Denique qui Filius Dei generanti est coæternus semper ex Patre, idem Filius hominis esse cœpit ex virgine. Ac sic et Filii divinitati est addita humanitas ; et tamen non est personarum facta quaternitas ; sed permanet Trinitas.

Cap. 2. *n.* 2. Qui erat Dei Filius factus est hominis Filius, assumptione inferioris, non conversione potioris ; accipiendo quod non erat, non amittendo quod erat.

Serm. 187. *in natali Domini* 4. *aliàs de tempore* 27. *c.* 1. *n.* 1. Verbum Deus ante omnia tempora, Verbum caro opportuno tempore : conditor solis, conditus sub sole. Cuncta secula ordinans de sinu Patris, hodiernum diem consecrans de utero matris : ibi manens, hinc procedens : effector cœli et terræ, sub cœlo exortus in terra : ineffabiliter sapiens, sapienter infans : mundum implens, in præsepio jacens : sidera regens, ubera lambens ; ita magnus in forma Dei, brevis in forma servi, ut nec istà brevitate magnitudo illa minueretur, nec illà magnitudine ista brevitas premeretur. Neque enim quando membra humana suscepit, opera divina deseruit : nec *attingere à fine usque ad finem fortiter, et disponere omnia suaviter* destitit ; (*Sap.* VIII. 1.) quando infirmitate carnis indutus, virginali utero receptus est, non inclusus ; ut nec Angelis subtraheretur sapientiæ cibus, et nos *gustaremus quàm suavis est Dominus.* (1. *Petri* II. 3.)

Serm. 188. *in natali Domini* 5. *aliàs de tempore* 25. *c.* 2. *n.* 2. Quas laudes charitati Dei dicamus, quas gratias agamus ? Qui nos ita dilexit, ut propter nos fieret in tempore, per quem facta sunt tempora.... homo fieret, qui hominem fecit ; crearetur ex matre quam creavit, portaretur manibus quas formavit, sugeret ubera quæ implevit, in præsepi mutà vagiret infantià Verbum, sine quo muta est humana eloquentia.

Cap. 3. *n.* 3. Vide, ô homo, quid pro te factus est Deus : doctrinam tantæ humilitatis agnosce, etiam in nondum loquente doctore.... Ille obediens in angustissimum diversorium mortalis venit, ut mortuum quæreret moriendo.... Ille cùm esset Deus, homo esse voluit, ut quod pericrat inveniret. Tantùm te pressit humana superbia, ut te non posset nisi humilitas sublevare divina.

Serm. 189. *in natali Domini* 6. *aliàs de diversis* 55. *c.* 2. *n.* 2. Dormiebas, (Christus) venit ad te : gravi opprimebaris somno, excitavit te : viam tibi fecit per se, ne perderet te.... (*Psal.* LXXXIV. 12.) *Veritas de terra orta est*, quia Christus de Virgine natus est : *justitia de cœlo prospexit*, ut per justitiam homines resipiscerent, qui per injustitiam desipuerunt.

Cap. 3. *n.* 3. Mortales eramus, peccatis opprimebamur, pœnas nostras portabamus.... Cùm hæc esset in terra Dei indignatio, qualis subitò facta est dignatio ? *Veritas de terra orta est*.... In principio Verbum, qui nisi haberet humanam generationem, nos ad divinam non perveniremus regenerationem, natus est, ut renasceremur. Christus natus est, nemo dubitet renasci.... Portavit eum mater in utero : portemus et nos in corde. Gravidata est Virgo in incarnatione Christi : gravidentur pectora nostra fide Christi. Peperit Virgo Salvatorem : pariat anima nostra salutem, pariamus et laudem. Non simus steriles : animæ nostræ Deo sint fecundæ.

Cap. 4. *n.* 4. Parumne pro te humiliatus est Deus ? Qui Deus erat, factus est. Angustum erat diversorium, involutus pannis, in præsepe positus est, quis non admiretur ? Ille qui mundum implet, in diversorio locum non invenit. In præsepio positus, cibus noster est factus.... Ipso ducente, non errabimus, per ipsum ad ipsum camus.

Serm. 190. *in natali Domini* 7. *aliàs de diversis* 61. *c.* 2. *n.* 2. Quoniam utrumque sexum, id est, masculi et feminæ, ipse utique creavit ; ideo utrumque sexum etiam nascendo voluit honorare, quem venerat liberare.... In nullo igitur sexu debemus injuriam facere creatori : utrumque ad sperandam salutem commendavit nativitas Domini. Honor masculini sexùs est in carne Christi : honor femini est in matre Christi. Vicit serpentis astutiam gratia Jesu Christi.

Cap. 3. *n.* 3. Uterque ergo sexus in eo qui hodie natus est renascatur,

et celebret hodiernum diem.... Concipitur, nascitur, infans est.... et infans, et Verbum est. Per carnem tacet, per angelos docet. Nuntiatur pastoribus princeps pastorque Pastorum : et in præsepi jacet fidelium cibaria jumentorum.... Et nos agnoscamus, ad præsepe accedamus, cibaria manducemus, Dominum rectoremque portemus, ut ad cœlestem Jerusalem, illo ducente, veniamus.

N. 4. *Annuntiemus in gentibus gloriam ejus, in omnibus populis mirabilia ejus.* (*Psal.* XCV. 3.) In præsepi jacet, sed mundum continet : ubera sugit, sed angelos pascit : pannis involvitur, sed immortalitate nos vestit : lactatur, sed adoratur ; locum in diversorio non invenit, sed templum sibi in credentium cordibus facit. Ut enim fieret fortis infirmitas, infirma facta est fortitudo.... Indè accendamus charitatem, ut perveniamus ad ejus æternitatem.

Serm. 191. *aliàs de diversis* 60. *in natali Domini* 8. *c.* 1. *n.* 1. Homo factus (est) hominis factor : ut sugeret ubera, regens sidera ; ut esuriret panis, ut sitiret fons, dormiret lux, ab itinere via fatigaretur, falsis testibus veritas accusaretur, judex vivorum et mortuorum à judice mortali judicaretur, ab injustis justitia damnaretur, flagellis disciplina cæderetur, spinis botrus coronaretur, in ligno fundamentum suspenderetur, virtus infirmaretur, salus vulneraretur, vita moreretur. Ad hæc atque hujusmodi sustinenda pro nobis indigna, ut liberaret indignos ; quando nec ille aliquid mali, qui propter nos tanta pertulit mala, nec nos boni aliquid merebamur, qui per eum tanta accepimus bona : propter hæc ergo qui erat ante omnia secula, sine initio dierum Dei Filius, esse in novissimis diebus dignatus est hominis Filius ; et qui de Patre natus, non à Patre factus erat, factus est in matre quam fecerat : ut ex illa ortus hic aliquando esset, quæ nisi per illum nunquam et nusquam esse potuisset.

Serm. 192. *aliàs de tempore* 16. *in nativit. Domini* 9. *c.* 1. *n.* 1. Propter vos creatus est creator. Quid adhuc mortales mortalibus rebus oblectamini ?.... Spes longè clarior effulsit in terris, ut terrenis vita promitteretur in cœlis.... Deos facturus qui homines erant, homo factus est qui Deus erat : nec amittens quod erat, fieri voluit ipse quod fecerat.

Cap. 2. *n.* 2. Exsultate virgines Christi, consors vestra est mater Christi.... En Maria Christum pia virginitas peperit. Proindè quia veritas et pax et justitia Christus est, hunc fide concipite, operibus edite ; ut quod egit uterus Mariæ in carne Christi, agat cor vestrum in lege Christi. Quomodo autem non ad partum Virginis pertinetis, quando Christi membra estis ? Caput vestrum peperit Maria, vos Ecclesia : nam ipsa quoque et mater et virgo est : mater visceribus charitatis, virgo integritate fidei et pietatis. Populos parit, sed unius membra sunt, cujus ipsa est corpus et conjux ; etiam in hoc similitudinem gerens illius virginis, quia et in multis mater est unitatis.

N. 3. Qui ergo inclinatus est, et nos erexit ;.... ipso suo tali adventu, nos etiam tacitus tanquam sonitu magni clamoris exhortans, ut qui pauper propter nos factus est, in illo divites esse discamus ; qui propter nos formam servi accepit, in illo libertatem accipiamus ; qui propter nos de terra ortus est, in illo cœlum possideamus.

Serm. 194. *aliàs de tempore* 23. *in natali Domini* 11. *c.* 1. *n.* 1. Natus est Christus, Deus de Patre, homo de matre. De Patris immortalitate, de matris virginitate. De Patre sine matre, de matre sine patre. De Patre sine tempore, de matre sine semine. De Patre principium vitæ, de matre finis mortis.

N. 2. Ut panem angelorum manducaret homo, creator angelorum factus est homo. Illi laudant videndo, nos credendo : illi fruendo, nos petendo : illi capiendo, nos quærendo : illi intrando, nos pulsando.

N. 3. Ille æqualis Patri in forma Dei, in forma servi factus similis nobis, reformat nos ad similitudinem Dei ; et factus filius hominis unicus Filius Dei, multos filios hominum facit filios Dei. *Filii* enim *Dei sumus, et nondum apparuit quod erimus.* (1. *Joan.* III. 2.)

Serm. 196. *in natali Domini* 13. *aliàs de diversis* 59. *cap.* 1. *n.* 1. Quis dignè enarret generantem Deum ? Quis dignè enarret Virginis partum ? Illud sine die, hoc certo die : utrumque sine humana æstimatione, et cum

magna admiratione.... Nunquam Pater sine Filio, et tamen qui nunquam sine Filio genuit Filium : et genuit, et non cœpit. Sine initio generato nullum est initium : et tamen Filius, et tamen genitus... Angelus nuntiat, Virgo audit, credit, et concipit. Fides in mente, Christus in ventre. Virgo concepit, miramini : virgo peperit, plus miramini : post partum virgo permansit.

Cap. 3. *n.* 3. O cibus et panis Angelorum : de te implentur Angeli, de te satiantur, et non fastidiunt ; de te vivunt, de te sapiunt, de te beati sunt. Ubi es propter me ? In diversorio angusto, in pannis, in præsepio. Propter quem ? Qui regit sidera, sugit ubera, implet angelos, fatur in sinu Patris, tacet in sinu matris. Sed locuturus est competente ætate, impleturus Evangelium nobis. Propter nos passurus, propter nos moriturus, ad exemplum præmii nostri resurrecturus, ante oculos discipulorum in cœlum ascensurus, ad judicium de cœlo venturus. Ecce qui in præsepi jacebat, diminutus est, sed non perdidit se : accepit quod non erat, sed mansit quod erat. Ecce habemus infantem Christum, crescamus in illo.

S. Leo. *Serm.* 20. *de nativ. Domini* 1. *c.* 1. Salvator noster, dilectissimi, hodie natus est, gaudeamus. Neque enim locum fas est ibi esse tristitiæ, ubi natalis est vitæ.... Nemo ab hujus alacritatis participatione secernitur. Una cunctis lætitiæ ratio. Quia Dominus noster, peccati, mortisque destructor, sicut nullum à reatu liberum reperit, ita liberandis omnibus venit. Exsultet sanctus, quia propinquat ad palmam : gaudeat peccator, quia invitatur ad veniam : animetur gentilis, quia vocatur ad vitam.... Dum omnipotens Dominus cum sævissimo hoste, non in sua majestate, sed in nostra congreditur humilitate, objiciens ei eamdem formam, eamdemque naturam, mortalitatis quidem nostræ participem, sed peccati totius expertem. Alienum quippe ab hac nativitate est quod de omnibus legitur, *Nemo mundus à sorde, nec infans cujus est unius diei vita super terram.* (*Job.* xiv. 4. *juxta* 70.) Nihil ergo in istam singularem nativitatem de carnis concupiscentia transivit, nihil de peccati lege manavit. Virgo regia Davidicæ stirpis eligitur, quæ sacro gravidanda fœtu, divinam humanamque prolem prius conciperet mente, quàm corpore. Et ne superni ignara consilii ad inusitatos paveret effectus, quod in ea operandum erat à Spiritu sancto, colloquio discit angelico.

Cap. 2. Verbum igitur Dei, Deus Filius Dei, qui *in principio erat apud Deum : per quem facta sunt omnia, et sine quo factum est nihil,* (*Joan.* i. 1. *etc.*) propter liberandum hominem ab æterna morte, factus est homo : ita se ad susceptionem humilitatis nostræ sine diminutione suæ majestatis inclinans, ut manens quod erat assumensque quod non erat, veram servi formam ei formæ, in qua Deo Patri est æqualis, uniret : et tanto fœdere naturam utramque consereret, ut nec inferiorem consumeret glorificatio, nec superiorem minueret assumptio. Salvâ igitur proprietate utriusque substantiæ, et in unam coëunte personam, suscipitur à majestate humilitas, à virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas, et ad dependendum nostræ conditionis debitum, natura inviolabilis naturæ est unita passibili, Deusque verus, et homo verus in unitatem Domini temperatur : ut quod nostris remediis congruebat, unus atque idem Dei hominumque mediator, et mori posset ex uno, et resurgere posset ex altero. Meritò igitur virginæ integritati nihil corruptionis intulit partus salutis : quia custodia fuit pudoris edilio veritatis. Talis igitur, dilectissimi, nativitas decuit Dei virtutem, et Dei sapientiam Christum : quæ nobis et humanitate congrueret, et divinitate præcelleret. Nisi enim esset Deus verus, non afferret remedium ; nisi esset homo verus, non præberet exemplum.

Cap. 3. Agamus ergo, dilectissimi, gratias Deo Patri, per Filium ejus, in Spiritu sancto, qui propter multam misericordiam suam, quâ dilexit nos, misertus est nostri : *et cùm essemus mortui peccatis, convivificavit nos Christo,* (*Rom.* vi. 11.) ut essemus in ipso nova creatura, novumque figmentum. Deponamus ergo veterem hominem cum actibus suis : et adepti participationem generationis Christi, carnis renuntiemus operibus. Agnosce, ô Christiane, dignitatem tuam : et divinæ consors factus

naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire. Memento cujus capitis, et cujus corporis sis membrum. Reminiscere, quia erutus de potestate tenebrarum, translatus es in Dei lumen et regnum.

Serm. 21. *de nativitate Domini* 2. *c.* 1. Exsultemus in Domino, dilectissimi, et spiritali jucunditate lætemur: quia illuxit nobis dies redemptionis novæ, præparationis antiquæ, felicitatis æternæ. Reparatur enim nobis salutis nostræ annuâ revolutione sacramentum, ab initio promissum, in fine redditum, sine fine mansurum. In quo dignum est nos erectis sursùm cordibus, divinum adorare mysterium: ut quod magno Dei munere agitur, magnis Ecclesiæ gaudiis celebretur.... Opus fuit, dilectissimi, secreti dispensatione consilii, ut incommutabilis Deus, (cujus voluntas non potest suâ benignitate privari) primam pietatis suæ dispositionem sacramento occultiore compleret, et homo diabolicæ iniquitatis versutiâ actus in culpam, contra Dei propositum non periret.

Cap. 2. Advenientibus ergo temporibus, dilectissimi, quæ redemptioni hominum fuerant præstituta, ingreditur hæc infima Jesus Christus Filius Dei, de cœlesti sede descendens, et à paterna gloria non recedens, novo ordine, novâ nativitate generatus. Novo ordine, quia invisibilis in suis, visibilis factus est in nostris; incomprehensibilis, voluit comprehendi; ante tempora manens, esse cœpit ex tempore; universitatis Dominus servilem formam, obumbratâ majestatis suæ dignitate, suscepit; impassibilis Deus non dedignatus est homo esse passibilis, et immortalis mortis legibus subjacere. Novâ autem nativitate genitus est conceptus à virgine, natus ex virgine, sine paternæ carnis concupiscentia, sine maternæ integritatis injuria: quia futurum hominum salvatorem talis ortus decebat, qui et in se haberet humanæ substantiæ naturam, et humanæ carnis inquinamenta nesciret. Auctor enim Deo in carne nascenti Deus est, testante Archangelo ad beatam Virginem Mariam: quia *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi: ideoque quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* (*Luc.* I. 35.) Origo dissimilis, sed natura consimilis: humano usu et consuetudine, quod credimus, caret; sed divinâ potestate subnixum est, quod virgo conceperit, quod virgo pepererit, et virgo permanserit. Non hîc cogitetur parientis conditio, sed nascentis arbitrium, qui sic homo natus est, ut volebat et poterat. Si veritatem quæris naturæ, humanam cognosce materiam: si rationem scrutaris originis, virtutem confitere divinam. Venit enim Dominus Jesus Christus contagia nostra auferre, non perpeti; nec succumbere vitiis, sed mederi.

Cap. 4. Vidit enim (diabolus) vagientem atque lacrymantem, vidit panis involutum, circumcisioni subditum, et legalis sacrificii oblatione perfunctum. Agnovit deinceps solita puerilitæ incrementa, et usque in viriles annos de naturalibus non dubitavit augmentis. Inter hæc intulit contumelias, multiplicavit injurias, adhibuit maledicta, opprobria, blasphemias, convicia. Omnem postremò vim furoris sui effudit, omnia tentamentorum genera percurrit: et sciens quo humanam naturam infecisset veneno, nequaquam credidit primæ transgressionis exsortem, quem tot documentis didicit esse mortalem. Perstitit ergo improbus prædo, et avarus exactor in eum qui nihil ipsius habebat insurgere.... per injustitiam plus petendi, totius debiti summa vacuatur. Fortis ille nectitur suis vinculis, et omne commentum maligni, in caput ipsius retorquetur. Ligato mundi principe, captivitatis vasa rapiuntur. Redit ad honorem suum ab antiquis contagiis purgata natura, mors morte destruitur, nativitas nativitate reparatur, quoniam simul et redemptio aufert servitutem, et regeneratio mutat originem, et fides justificat peccatorem.

Cap. 5. Tibi enim quondam abjecto, tibi extruso à Paradisi sedibus, tibi per longa exilia morienti, tibi in pulverem et cinerem dissoluto, cui jam non erat spes ulla vivendi, per Incarnationem Verbi potestas data est, ut de longinquo ad tuum revertaris auctorem, recognoscas parentem, liber efficiaris ex servo, de extraneo proveharis in filium: ut, qui ex corruptibili carne natus es, ex Dei spiritu renascaris, et obtineas per gratiam, quod non habebas per naturam: ut si te Dei Filium per spiritum adoptionis agnoveris, Deum Patrem audeas nuncupare.

Serm. 22. *in nativit. Domini* 3. *c.* 1. Nota quidem sunt nobis, dilectissimi, et frequenter audita, quæ ad sacramenta pertinent solemnitatis hodiernæ: sed sicut illæsis oculis voluptatem affert lux ista visibilis, ita cordibus sanis æternum dat gaudium Nativitas Salvatoris, quæ à nobis nunquam est reticenda. Non enim ad illud tantummodò Sacramentum, quo Filius Dei consempiternus est Patri, sed etiam ad hunc ortum, quo *Verbum caro factum est*, (*Joan.* I. 14.) credimus pertinere quod dictum est: *Generationem ejus quis enarrabit?* (*Isaï.* LIII. 8.) Deus itaque Dei Filius, par atque eàdem de Patre et cum Patre naturâ, universitatis creator, ac Dominus, totus ubique præsens, et universa excedens, in ordine temporum, quæ ipsius dispositione decurrunt, hunc sibi diem quo in salutem mundi ex beata Virgine nasceretur, elegit, integro per omnia pudore generantis, cujus virginitas sic non est violata partu, ut non fuerat temerata conceptu: ut impleretur.... quod dictum est à Domino per Isaïam Prophetam: *Ecce Virgo concipiet in utero, et pariet Filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuël, quod interpretatur nobiscum Deus.* (*Isaï.* VII. 14.) Hic enim mirabilis sacræ Virginis partus, verè humanam, verè divinam unà edidit prole naturam: quia non ita proprietates suas tenuit utraque substantia, ut personarum in eis possit esse discretio: nec sic natura in societatem sui creatoris est assumpta, ut ille habitator, et illa habitaculum esset; sed ita, ut naturæ alteri altera misceretur, et quamvis alia sit quæ suscipitur, alia verò quæ suscipit, in tantam tamen unitatem convenit utriusque diversitas, ut unus idemque sit Filius, qui se, et secundum quòd verus est homo, Patre dicit minorem, et secundùm quòd verus est Deus, Patri profitetur æqualem.

Cap. 2.... In forma enim servi, quam nostræ reparationis causâ in fine seculorum suscepit, minor est Patre; in forma autem Dei, in qua erat ante secula, æqualis est Patri. In humilitate humana factus est ex muliere, factus sub lege, in majestate divina manens Dei Verbum, per quod *facta sunt omnia.* (*Joan.* I. 3.) Proinde qui in forma Dei fecit hominem, in forma servi factus est homo: sed utrumque Deus de potentia suscipientis, utrumque homo de humilitate suscepti. Tenet enim sine defectu proprietatem suam utraque natura: et sicut formam servi forma Dei non adimit, ita formam Dei servi forma non minuit.... In integra igitur veri hominis perfectaque natura, verus natus est Deus, totus in suis, totus in nostris. Nostra autem dicimus, quæ in nobis ab initio creator condidit, et quæ reparanda suscepit. Nam illa quæ deceptor invexit, et homo deceptus admisit, nullum habuerunt in Salvatore vestigium.

Cap. 3. Ut ergo ad æternam beatitudinem ab originalibus vinculis, et à mundanis revocemur erroribus, ipse ad nos descendit, ad quem nos non poteramus ascendere.... Adjicienda erat veritas redemptionis moralibus institutis, et corruptam ab initio originem novis renasci oportebat exordiis. Offerenda erat pro reconciliandis hostia, quæ et nostri generis socia, et nostræ contaminationis esset aliena: ut hoc propositum Dei, quo peccatum mundi in Jesu Christi placuit nativitate ac passione delere, ad omnium generationum secula pertinere.

Cap. 4.... Verbi Incarnatio hoc contulit facienda quod facta; et sacramentum salutis humanæ in nulla unquam antiquitate cessavit. Quod prædicaverunt Apostoli, hoc annuntiaverunt Prophetæ, nec serò est impletum, quod semper est creditum. Sapientia verò et benignitas Dei hac salutiferi operis morâ, capaciores nos suæ vocationis effecit; ut quod multis signis, multis vocibus, multisque mysteriis per tot fuerat secula pronuntiatum, in his diebus Evangelii non esset ambiguum: et nativitas, quæ omnia miracula, omnemque intelligentiæ erat excessura mensuram, tantò constantiorem in nobis gigneret fidem, quantò prædicatio ejus et antiquior præcessisset, et crebrior. Non itaque novo consilio Deus rebus humanis, nec serâ miseratione consuluit: sed à constitutione mundi, unam eamdemque omnibus causam salutis instituit. Gratia enim Dei, quâ semper est universitas justificata sanctorum, aucta est Christo nascente, non cœpta. Et hoc magnæ pietatis sacramentum, quo totus jam mundus impletus est, tam potens etiam in suis significationibus fuit, ut non minus adepti sint, qui in illud credidère promissum, quàm qui suscepère donatum.

Cap. 5.... Non segni atque carnali lætitiâ diem Dominicæ nativitatis celebrare debemus. Quod dignè ac intelligenter fiet à singulis, si meminerit quisque cujus corporis membrum sit, et cui capiti coaptatum; ne sacræ ædificationi discors compago non hæreat. Considerate.... quis nos in se susceperit, et quem susceperimus in nobis : quoniam sicut factus est Dominus caro nostra nascendo, ita et nos facti sumus ipsius renascendo. Ideò et membra Christi, et templum sumus Spiritûs sancti.

Serm. 23. *in Nativit. Domini* 4. *c.* 1. Semper quidem, dilectissimi, diversis modis, multisque mensuris, humano generi bonitas divina consuluit, et plurima providentiæ suæ munera omnibus retrò seculis clementer impertiit, sed in novissimis temporibus omnem abundantiam solitæ benignitatis excessit, quando in Christo ipsa ad peccatores misericordia, ipsa ad errantes veritas, ipsa ad mortuos vita descendit : ut Verbum illud cœternum et coæquale Genitori ad unitatem Deitatis suæ naturam nostræ humilitatis assumeret, et Deus de Deo natus, idem etiam homo de homine nasceretur. Promissum quidem hoc à constitutione mundi, et multis significationibus rerum atque verborum semper fuerat prophetatum.... Jam ergo nos non signis, neque imaginibus ad fidem deducimur, sed Evangelicâ historiâ confirmati, quod factum credimus adoramus; accedentibus ad eruditionem nostram propheticis instrumentis, ut nullo modo habeamus ambiguum, quod tantis oraculis scimus esse prædictum.

Cap. 5.... Ad hoc itaque peccati et mortis vinculum resolvendum omnipotens Filius Dei, omnia implens, omnia continens, æqualis per omnia Patri, et in una ex ipso et cum ipso consempiternus essentia, naturam in se suscepit humanam, et creator ac Dominus omnium rerum dignatus est unus mortalium, electâ sibi matre, quam fecerat : quæ salvâ integritate virgineâ, corporeæ esset tantùm ministra substantiæ, ut humani seminis cessante contagio, novo homini et puritas inesset et veritas. Non ergo in Christo ex utero virginis genito, quia nativitas est mirabilis, ideò est natura dissimilis. Qui enim verus est Deus, idem verus est homo; et nullum est in utraque substantia mendacium. *Verbum caro factum est* (*Joan.* 1. 14.) provectione carnis, non defectione Deitatis : quæ sic potentiam suam bonitatemque moderata est, ut et nostra suscipiendo proveheret, et sua communicando non perderet.

Serm. 24. *de Nativ. Dom.* 5. *c.* 3. Exsultet rectarum mentium fides, et verum unumque Dei Filium, non solùm secundùm Deitatem, quâ à Patre genitus, sed etiam secundùm humanitatem, quâ de virgine est natus, intelligat. Ipse est enim in humilitate nostra, qui est in majestate divina; verus homo et verus Deus; sempiternus in suis, temporalis in nostris; unum cum Patre in substantia quæ nunquam fuit minor Patre, unum cum matre in corpore quod creavit. In assumptione enim naturæ nostræ nobis factus est gradus, quo ad ipsum per ipsum possimus ascendere. Nam illa essentia, quæ semper ubique tota est, locali descensione non eguit, et tam ei proprium fuit, totam homini inseri, quàm ei proprium est, totam à Patre non dividi.... Sempiternè enim Filius, Filius est, et sempiternè Pater, Pater est.... Fides catholica in Deitate vera, nihil temporalitatis agnoscit, sed unius sempiternitatis et Patrem confitetur, et Filium : quia splendor ex luce ortus, non est luce posterior, et lux vera nunquam est sui splendoris indiga : sic substantiale semper habens fulgere, sicut substantiale semper habet existere. Hujus autem splendoris manifestatio, missio dicitur, quâ Christus mundo apparuit.

Cap. 4. Quamvis enim etiam prioribus seculis ad illuminationem sanctorum Patrum et Prophetarum lumen veritatis emissum sit, *Emitte lucem tuam et veritatem tuam* : (*Psal.* XLII. 3.) et diversis modis multisque signis opera præsentiæ suæ Deitas Filii declaravit; omnes tamen illæ significationes, cunctaque miracula, testimonia fuerunt istius missionis, de qua dicit Apostolus : *Cum ergo venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, natum ex muliere, factum sub lege.* (*Galat.* IV. 4.) Quid verò hoc est ? nisi Verbum carnem fieri, conditorem mundi per uterum virginis nasci, Dominum majestatis humanis se coaptare primordiis : et licèt conceptui spiritali nullæ sint terreni seminis mixta contagia, ad suscipiendam tamen veræ carnis substantiam solam sumere

de matre naturam. Hac missione, qua Deus unitus est homini, Filius impar est Patri. Non in eo, quòd ex Patre, sed in eo, quòd est factus ex homine. Æqualitatem enim quam inviolabilem habet Deitas, non corrupit humanitas; et creatoris ad creaturam descensio, credentium est ad æterna subvectio.

Cap. 5. Agnoscat igitur catholica fides in humilitate Domini gloriam suam.... Solus itaque inter filios hominum Dominus Jesus innocens natus est: quia solus sine carnalis concupiscentiæ pollutione conceptus. Factus est homo nostri generis, ut nos divinæ naturæ possimus esse consortes. Originem, quam sumpsit in utero Virginis, posuit in fonte baptismatis.... Quid autem sanandis ægris, illuminandis cæcis, vivificandis mortuis aptius fuit, quàm ut superbiæ vulnera humilitatis remediis curarentur? Adam præcepta Dei negligens, peccandi induxit damnationem: Jesus factus sub lege, reddidit justitiæ libertatem. Ille diabolo obtemperans usque ad prævaricationem, meruit ut in ipso omnes morerentur; hic Patri obediens usque ad crucem, fecit ut in ipso omnes vivificarentur: et infirmitatis nostræ suscipiens conditionem, propter quos ad inferna descendit, eosdem in cœlestibus collocavit.

Cap. 6.... Frustrà enim appellamur Christiani, si imitatores non simus Christi: qui ideò se viam dixit esse, ut conversatio magistri forma esset discipuli: et illam humilitatem eligeret servus, quam sectatus est Dominus.

Serm. 25. *in nativit. Domini* 6. *c.* 1. Omnibus quidem diebus, dilectissimi, atque temporibus, animis fidelium divina meditantium Domini et Salvatoris nostri ex matre virgine ortus occurrit: ut mens ad confessionem sui auctoris erecta, sive in gemitu supplicationis, sive in exsultatione laudis, sive in sacrificii oblatione verselur, nihil crebrius, nihilque fidentius spiritali attingat intuitu, quàm quod Deus Dei Filius, genitus de Patre cœterno, idem etiam partu est natus humano. Sed hanc adorandam in cœlo et in terra nativitatem, nullus nobis dies magis quàm hodiernus insinuat, et nova etiam in elementis luce radiante, totam sensibus nostris mirabilis sacramenti ingerit claritatem... Hodie enim auctor mundi editus est utero virginali; et qui omnes naturas condidit, ejus est factus filius, quam creavit. Hodie Verbum Dei carne apparuit vestitum, et quod nunquam fuit humanis oculis visibile, cœpit etiam manibus esse tractabile. Hodie genitum in nostræ carnis animæque substantia Salvatorem Angelicis vocibus didicere pastores.

Cap. 2. Quamvis igitur illa infantia, quam Filii Dei non est dedignata majestas, in virum perfectum ætatis adjectione provecta sit, et consummato passionis et resurrectionis triumpho, omnes susceptæ pro nobis humilitatis transierint actiones; renovat tamen nobis hodierna Festivitas nati Jesu ex Maria Virgine sacra primordia: et dum Salvatoris nostri adoramus ortum, invenimur nos nostrum celebrare principium. Generatio enim Christi, origo est populi Christiani; et natalis capitis, natalis est corporis.... Cum ipso sumus in hac nativitate congeniti.

Cap. 3. Nascitur ergo... non de carnis semine, sed de Spiritu sancto Salvator, quem primæ transgressionis condemnatio non teneret... Quid enim in thesauro Dominicæ largitatis ad honorem præsentis festi tam congruum possumus invenire, quàm pacem, quæ in nativitate Domini prima est Angelico prædicata concentu? Ipsa enim est, quæ parit filios Dei, nutrix dilectionis, et genitrix unitatis; requies beatorum, et æternitatis habitaculum; cujus hoc opus proprium et speciale beneficium est, ut jungat Deo, quos secernit de mundo.... Quid est autem, dilectissimi, pacem habere ad Deum, nisi velle quod jubet, et nolle quod prohibet?.... Quomodo divinæ particeps erit pacis, cui ea placent, quæ Deo displicent.

Cap. 4. Magnum est, dilectissimi, hujus muneris sacramentum, et omnia dona excedit hoc donum, ut Deus hominem vocet Filium, et homo Deum nominet Patrem.... Quoniam si in eadem sententia sumus, si quod vult volumus, et quod improbat improbamus; ipse jam pro nobis omnia bella conficiet, ipse qui dedit velle, donabit et posse: ut simus cooperatores operum ejus.

Cap. 5. Natalis Domini, natalis est pacis. * *Ipse est pax nostra, qui fecit*

utraque unum : quoniam sive Judæus, sive Gentilis, per ipsum habemus accessum in uno Spiritu ad Patrem. (*Ephes.* II. 18.)

Serm. 26. *in nativ. Domini* 7. *c.* 1. Festivitatis hodiernæ, dilectissimi, verus venerator est et pius cultor, qui nec de Incarnatione Domini aliquid falsum, nec de Deitate aliquid sentit indignum. Paris enim periculi malum est, si illi aut naturæ nostræ veritas, aut paternæ gloriæ negatur æqualitas. Cùm ergo ad intelligendum sacramentum nativitatis Christi, quâ de matre virgine est ortus accedimus ; abigatur procul terrenarum caligo rationum, et ab illuminatæ fidei oculo mundanæ sapientiæ fumus abscedat. Divina enim auctoritas, cui credimus ; divina est doctrina, quam sequimur... In utraque ergo natura idem est Dei Filius nostra suscipiens, et propria non amittens ; in homine hominem renovans, in se incommutabilis perseverans. Deitas enim, quæ illi cum Patre communis est, nullum detrimentum omnipotentiæ subiit, nec Dei formam servi forma violavit.

Cap. 2. Majestati igitur Filii Dei corporea nativitas nihil abstulit, nihil contulit : quia substantia incommutabilis nec minui potuit, nec augeri... Nascens itaque Dominus noster Jesus Christus homo verus, qui nunquam destitit esse Deus verus, novæ creaturæ in se fecit exordium, et in ortûs sui forma dedit humano generi spiritale principium, ut ad carnalis generationis abolenda contagia, esset regenerandis origo sine semine criminis.... Quæ hoc sacramentum mens comprehendere, quæ hanc gratiam valeat lingua narrare ? Redit ad innocentiam iniquitas, et in novitatem vetustas : in adoptionem veniunt alieni, et in hæreditatem ingrediuntur extranei. De impiis justi, de avaris benigni, de incontinentibus casti, de terrenis incipiunt esse cœlestes. Quæ est autem ista mutatio, nisi dexteræ Excelsi ? Quoniam venit Filius Dei dissolvere opera diaboli : (1. *Joan.* III. 8.) et ita se nobis, nosque inseruit sibi, ut Dei ad humana descensio, fieret hominis ad divina provectio.

Serm. 27. *in nativitate Domini* 8. *c.* 1. Cùm semper nos, dilectissimi, gaudere in Domino omnia divina eloquia exhortentur, hodiè proculdubio ad spiritalem lætitiam copiosiùs incitamur, nativitatis Dominicæ sacramento nobis clariùs coruscante : ut recurrentes ad illam divinæ misericordiæ ineffabilem inclinationem, quâ Creator hominum homo fieri dignatus est, in ipsius nos inveniamur natura, quem adoramus in nostra. Deus enim Dei Filius, de sempiterno et ingenito Patre unigenitus, sempiternus manens in forma Dei, et incommutabiliter et intemporaliter habens non aliud esse quam Pater, formam servi sine suæ detrimento majestatis accepit, ut in sua nos proveheret, non ipse in nostra deficeret. Ut quidquid ibi est Dei, non sit ab humanitate disjunctum ; quidquid autem est hominis, non sit à Deitate divisum.

Cap. 2. Celebrantes igitur, dilectissimi, natalem diem Domini Salvatoris, partum beatæ Virginis integrè cogitemus : .... ut in uno Dei atque hominis filio, et sine matre Deitas, et sine Patre esset humanitas.

Cap. 3. Majestas autem Filii Dei æqualis Patri, vestiens se humilitate servili, nec metuebat minui, nec indigebat augeri.... Dominus David, factus est filius David, et de promissi germinis fructu proles est orta sine vitio, in unam personam geminâ conveniente naturâ : ut eodem conceptu eodemque partu gigneretur Dominus noster Jesus Christus cui vera inesset Deitas ad miracula operum, et vera humanitas ad tolerantiam passionum.

Cap. 4.... Quidquid Deo minus est, Deus non est.

Serm. 28. *in nativit. Domini* 9. *c.* 2... Indesinenter tamen ipsum partum salutiferæ Virginis adoramus, et illam Verbi et carnis indissolubilem copulam non minùs suscipimus in præsepe jacentem, quàm in throno paternæ altitudinis considentem.

Serm. 29. *de nativit. Domini* 10. *c.* 4. Agnoscendum sanè, dilectissimi, et toto corde est confitendum, quòd hæc generatio, quâ et Verbum et caro, id est, Deus et homo unus Dei Filius unusque Christus efficitur, supra omnem originem humanæ creationis excellit.... Nativitas autem Domini nostri Jesu Christi omnem intelligentiam superat, et cuncta exempla transcendit. Nec potest ulli esse comparabilis, quæ est inter omnes singularis. Electæ namque virgini de semine Abrahæ, et de ra-

dice Jesse, per Propheticas voces et per mystica signa promissæ, denuntiatur ab Archangelo sine damno pudoris beata fecunditas, sacram virginitatem nec conceptu violatura nec partu. Superveniente quippe in eam Spiritu sancto, et Altissimi obumbrante virtute, incommutabile Dei Verbum de incontaminato corpore habitum sibi humanæ carnis assumpsit: quæ et nullum contagium de concupiscentia carnis traheret, et nihil eorum, quæ ad animæ corporisque naturam pertinent, non haberet.

S. Gregor. Magn. *Homil.* 8. *in Evangelia.* In die natalis Domini, largiente Domino, missarum solemnia ter hodiè celebraturi sumus.... Vindicemus moribus dignitatem nostram, nulla nos luxuria inquinet, nulla nos turpis cogitatio accuset, non malitia mentem mordeat, non invidiæ rubigo consumat, non elatio inflet, non ambitio per terrena oblectamenta dilaniet, non ira inflammet.

S. Bernard. *In nativit. Domini serm.* 1. *n.* 1. *A seculo*, ait Propheta, *et in seculo tu es Deus* (*Ps.* lxxxix. 2.): et ecce factus est infans diei unius. Ad quid hoc fratres; aut quæ necessitas fuit, ut sic exinaniret se, sic humiliaret se, sic abbreviaret se Dominus majestatis, nisi ut vos similiter facialis; jam clamat exemplo, quod postmodum prædicaturus est verbo: *Discite à me, quia mitis sum et humilis corde.* (*Matth.* xi. 29.) Intolerabilis impudentiæ est, ut ibi sese exinanivit majestas, vermiculus inflctur et intumescat.

Serm. 3. *n.* 1. Puer qui nascitur, Deus est: et Mater de qua nascitur, virgo est: et partus ipse sine dolore est. Fulget in tenebris lux nova de cœlo, gaudium magnum Angelus evangelizat, laudat multitudo cœlestis militiæ; datur gloria Deo, pax hominibus bonæ voluntatis. Currunt pastores, inveniunt quod ad eos dictum est Verbum, nuntiant aliis: quicunque audiunt, admirantur. Hæc et his similia, dilectissimi, divinæ virtutis sunt, non fragilitatis humanæ.... Agnosco mea esse nativitatis hujus tempus et locum, infantilis corporis teneritudinem, parvuli vagitus et lacrymas, sed et ipsorum quibus primò annuntiatur nativitas Salvatoris pauperlatem pastorumque vigilias. Mea sunt hæc, pro me faciunt, mihi apponuntur, mihi proponuntur imitanda. Hyeme natus est, nocte natus est Christus. Nunquid credimus casu factum, ut in tanta aëris inclementia, et in tenebris nasceretur, cujus est hyems et æstas, dies et nox? Non eligunt parvuli cæteri quando nascantur, quippe quibus adhuc vix incipientibus vivere nullus subest rationis usus, nulla eligendi libertas, facultas nulla deliberandi. Christus, Fratres, etsi homo erat, erat tamen in principio apud Deum, et Deus erat ejusdem, cujus nunc est, sapientiæ et potestatis, utpotè Dei virtus, et Dei sapientia. Nasciturus itaque Dei Filius, (cujus in arbitrio erat quodcumque vellet eligere tempus,) elegit quod molestius est præsertim parvulo, et pauperis matris filio, quæ vix pannos haberet ad involvendum, præsepe ad reclinandum:.... Non est tale judicium mundi. Aut iste fallitur, aut mundus errat. Sed divinam falli impossibile est sapientiam. Meritò proinde et carnalis prudentia (mors siquidem et ipsa) inimica est Deo, et seculi quoque prudentia stultitia nominatur. (* 1. *Cor.* iii. 14.) Quid enim? Christus utique qui non fallitur, elegit quod carni molestius est. Id ergo melius, id utilius, id potiùs eligendum: et quisquis aliud docet, vel suadet, ab eo tanquam à seductore cavendum.

N. 2. Jam verò etiam nocte voluit nasci. Ubi sunt qui tam impudenter ostentare gestiunt semetipsos? Christus elegit quod salubrius judicat, vos eligitis quod reprobat ille. Quis prudentior è duobus? Cujus judicium justius? Cujus sententia sanior? Denique tacet Christus, non se extollit, non magnificat, non prædicat, et ecce annuntiat eum Angelus, laudat multitudo cœlestis exercitûs. Et tu ergo qui Christum sequeris, inventum absconde thesaurum. Ama nesciri, laudet te os alienum, sileat tuum. Adhuc autem in stabulo nascitur Christus, et in præsepio reclinatur.... Quid ergo stabulum elegit? Planè ut reprobet gloriam mundi, damnet seculi vanitatem.... Malum ergo voluptas corporis, bonum verò afflictio est. Siquidem et hanc eligit, et illam reprobat puer sapiens, Verbum infans.

N. 3. Fuge voluptatem, quia posita est mors secùs introitum delecta

I. Quî fieri potuit ut doceret nos nascendo Jesus Christus?
R. Ipso silentio suo, ipsâ Verbi æterni ad statum infantitionis ; age pœnitentiam, quia per hanc appropinquat regnum Dei. Hoc tibi prædicat stabulum istud, hoc præsepe clamat, hoc membra illa infantilia manifestè loquuntur, hoc lacrymæ et vagitus evangelizant. Parvulus factus est : vel in hoc scies quia non venit perdere te, sed salvare : eripere, et non ligare. Jam adversùs hostes tuos dimicat, jam superborum et sublimium colla tanquam Dei virtus et sapientia calcat.

N. 4. Duo sunt tibi hostes, peccatum et mors, id est, mors corporis, et animæ. Utrumque debellaturus advenit, et ab utroque salvabit te, noli timere. Et jam quidem peccatum in propria persona vicit : quando humanam naturam sine ulla contagione suscepit. Grandis enim peccato facta est violentia, et reverà expugnatum esse cognoscitur, quando natura, quam se totam infecisse et occupasse gloriabatur, ab eo penitùs aliena in Christo inventa est. Dehinc persequitur inimicos suos, et comprehendit eos, nec convertitur donec deficiant. Contra peccatum dimicans in conversatione sua, verbis pariter et exemplis oppugnat, sed in passione sua alligat illud, alligat planè fortem, et diripit vasa ei. Jam verò eodem ordine mortem quoque superat priùs in seipso, cùm resurgit primitiæ dormientium, et primogenitus mortuorum : postmodum debellaturus eam pariter in omnibus nobis, quando videlicet suscitabit mortalia corpora nostra, et destruetur novissima inimica mors.

N. 5. Sane accedit ad consolationem ipsa quoque quæ pastoribus vigilantibus exhibita est visitatio et allocutio Angelorum. Væ vobis divites qui habetis consolationem vestram, ut jam non mereamini habere cœlestem. Quàm multi enim nobiles secundùm carnem, quàm multi potentes, quàm multi sapientes hujus seculi, horâ illâ in stratis mollibus quiescebant, et nemo eorum dignus habitus est novam videre lucem, scire magnum illud gaudium, Angelos audire cantantes, *Gloria in excelsis Deo* ? (*Luc.* II. 14.) Agnoscant igitur homines, quia qui in labore hominum non sunt, visitari ab Angelis non merentur. Agnoscant quàm placeat supernis civibus labor, cujus spiritualis intentio est : quandoquidem et eos qui pro victu corporis, corporali urgente necessitate laborant, suo dignantur alloquio, et alloquio tam felici. Nimirùm humanam in eis agnoscant ordinationem, quâ constituit Deus, ut in sudore vultûs sui vescatur Adam pane suo.

Serm. 5. *n.* 1. Benedictus, qui propter nimiam charitatem suam, quâ dilexit nos, misit nobis Filium suum dilectum, in quo ei benè complacuit, per quem reconciliati pacem habeamus ad eum, et idem sit in nobis reconciliationis hujus et mediator, et obses. Non est quod vereamur, fratres mei, sub tam pio mediatore, non est quod de tam fido obside dubitemus, ... qui in stabulo nascitur, in præsepio ponitur ; pannis involvitur sicut cæteri, plorat ut cæteri, denique infans jacet, ut cæteri consueverunt. Magnus planè mediator est etiam in his omnibus, quæ ad pacem sunt, non perfunctorie, sed efficaciter quærens. Infans quidem est, sed Verbum infans, cujus ne ipsa quidem infantia tacet : *Consolamini*, *consolamini*, *dicit Dominus Deus vester*, (*Isai.* XL. 1.) dicit hoc Emmanuël *vobiscum Deus* : clamat hoc stabulum, clamat præsepe, clamant lacrymæ, clamant panni.... Nullo horum Christus eguit ; nihil horum illi propter se, magis autem omnia propter electos. *Verebuntur filium meum*, ait Pater misericordiarum. (*Matth.* XXI. 37.) Verum id quidem Domine, reverentur eum : sed qui ? Non planè Judæi, ad quos missus, sed electi propter quos missus.

N. 2. Reveremur eum nos in præsepio, reveremur in patibulo, reveremur in sepulcro. Devotè suscipimus tenerum propter nos, cruentum propter nos, pallidum propter nos, sepultum propter nos reveremur. Devotè adoramus cum Magis, devotè amplectimur cum Simeone sancto infantiam Salvatoris.

N. 5.... Non consolatur Christi infantia garrulos, non consolantur Christi lachrymæ cachinnantes, non consolantur panni ejus ambulantes in stolis, non consolantur præsepe et stabulum amantes primas cathedras in synagogis.

Legendi aliorum SS. Patrum serm. de Nativit. Domi :

lem demissione ; singulisque nativitatis suæ circumstantiis nos docuit multa et gravia.

I. Nativitatis Christi circumstantias edissere ?

R. 1. Propter Edictum Cæsaris Augusti B. Virgo partui proxima se se dedit itineri, ut nomen suum referret apud Bethlehemitas in acta publica. 2. Intereà Christus mediâ nocte tempore frigidissimo, in stabulo natus est, et repositus in præsepio, cùm non esset locus in diversorio. (C)

Jam diximus divinà planè providentiâ factum fuisse ut exierit tum temporis Edictum à Cæsare Augusto ad descriptionem universi orbis. Sic enim, Deo rem mirabiliter disponente, factum est, ut et Christus in Bethlehem nasceretur, quod Prophetæ prædixerant, et Nativitas illa ex publicis Romanorum tabulis, apud Senatum depositis, constaret. (D)

I. Quid docuit nos Christus his omnibus nativitatis suæ circumstantiis ?

R. 1. Docuit nos ut subjecti, humiles, tanquam advenæ et peregrini, abstineamus nos à carnalibus desideriis, quæ militant adversùs animam.

2. Ut diligamus paupertatem, contemnamus divitias, fastum, et quidquid ad vitæ mollis et delicatæ rationem confert.

3. Ut cruces et pœnitentiam ultrò amplectamur, ineamusque vitæ rationem ab omni voluptate corporea prorsùs liberam. (E)

I. Cur sic nasci voluit Christus ?

R. Ut ipsâ suâ nativitate obsisteret concupiscentiæ carnis, concupiscentiæ oculorum, et superbiæ vitæ.

I. Cur huic triplici concupiscentiæ vel nascens obsistere voluit ?

R. Quia qui peccatum erat morte suâ expiaturus et deleturus, voluit vel nascens peccatorum omnium fontem concupiscentiam exemplo suo reprimere : simul et exhibere uno veluti intuitu hominibus summam eorum omnium, quæ erat posteà dicturus ad eorum eruditionem. Rem explico.

Quidquid nos docuit in Evangelio Christus, quod spectat

(C) Luc. II. 1. Factum est autem in diebus illis, exiit edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis.... 3. Et ibant omnes, ut profiterentur singuli in suam civitatem. 4. Ascendit autem et Joseph à Galilæa de civitate Nazareth in Judæam in civitatem David, quæ vocatur Bethlehem : eò quòd esset de domo et familia David, 5. ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante. 6. Factum est autem, cùm essent ibi, impleti sunt dies ut pareret. 7. Et peperit filium suum primogenitum, et pannis eum involvit, et reclinavit eum in præsepio : quia non erat eis locus in diversorio. *v.* 8. *et seq. Vide suprà Part.* 1. *Sect.* 2. *Cap.* 1. *§.* 4. *titt.* (H)

(D) Mich. v. 2. Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israël, et egressus ejus ab initio à diebus æternitatis.

Matth. II. 5. At illi dixerunt ei : In Bethlehem Judæ : sic enim scriptum est per Prophetam.

(E) Tit. II. 11. Apparuit enim gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, 12. erudiens nos, ut abnegantes impietatem, et secularia desideria : sobriè, et justè, et piè vivamus in hoc seculo.

ad mores, hùc redit ut abstineamus nos ab omni cupiditate, et soli Deo per charitatem adhæreamus. Erant tunc temporis corruptissimi mores omnium hominum, *magnus de cœlo descendit medicus, quia magnus in terra jacebat ægrotus.* Ut sanaret hunc morbum, Christus fontem totius mali præcludere voluit. Erat concupiscentia triplex et est etiamnum fons et radix omnium peccatorum : voluit itaque Christus huic concupiscentiæ vel nascens obsistere : contemnendo divitias, honores, voluptates, et sectando paupertatem, subjectionem, dolores ; quidquid homines concupiscentiâ illecti dilexerant, expetierant, quæsierant hactenùs, id omne exemplo suo damnavit, meliora secutus.

Ut non poterat Christus rem docere magis necessariam ; ita ne unum quidem instans vitæ suæ vacuum esse voluit ab hujus tam necessarii præcepti traditione. Videant nunc homines an Christum ducem et doctorem reipsâ sequantur. Eheu nimiùm cæci, nimiùm et miseri, si quod Christus toties docuit vel negligant vel contemnant, idque appetant et diligant et aliquo in numero habeant, quod ipse tam solemniter contempsit. (*Vide Caput Prælim. hujusce Partis.*)

I. Cur in festo Nativitatis, ter Missarum solemnia celebrantur à quolibet Sacerdote ?

R. 1. Hoc vestigium est antiqui ritùs, quò diebus solemnibus plures ab eodem Sacerdote Missæ agebantur, quia omnes uni adesse non poterant. De hoc infrà fusiùs ubi de Sacrosancto Missæ sacrificio. (*Part.* 3. *Sect.* 2. *Cap.* 7. §. 18.)

2. Tribus his Missarum solemniis triplicem Christi nativitatem celebrari non abs re dixerimus.

I. Quæ est nativitas illa triplex ? Quid narras ?

R. Nascitur ab æterno Filius Dei in sinu Patris. Natus est semel in utero Virginis. Nascitur quotidiè in corde justorum in quibus habitat per fidem, ut ait Apostolus. (F) Hanc triplicem Christi nativitatem intelligo.

I. Quam nativitatem recolimus in Missa quæ mediâ nocte celebratur ?

R. Temporalem Christi nativitatem ex Virgine. Et Christus ipse idemque reponitur in altari per consecrationem, quemadmodum olim hàc ipsâ ferè horâ repositus est in præsepio Bethlehemitano.

I. Quâ mente hanc Missam celebrari expedit ?

R. Adorandus Christus in stabulo nascens, et maximè eo tempore quo per consecrationem præsens sistitur.

(F) Ephes. III. 17. Christum habitare per fidem in cordibus vestris : in charitate radicati, et fundati, 18. ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, et longitudo, et sublimitas, et profundum, 19. scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei.

Galat. IV. 19. Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.

I. Quam Christi nativitatem recolimus in Missa quæ celebratur in aurora.

R. In hac Missa, ut patet ex ejus Evangelio, recolitur Christi manifestatio Pastoribus facta per Angelos. Adeòque nihil vetat in hac Missa celebrari spiritualem Christi nativitatem in corde justorum.

I. Quâ mente hanc Missam celebrari expedit?

R. Maximè expedit ut adjungamus nos et Pastoribus, qui Christum recèns natum adorarunt, et Angelorum choro, qui ad annuntiandam hominibus Christi nativitatem faustum cecinêre Canticum.

I. Quale Canticum?

R. Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. (*Luc.* II. 14.) Id est, hominibus quibus suam Deus bonam voluntatem, benignitatem, benevolentiam ortu Christi significat; vel hominibus qui bonâ suâ voluntate benevolentiam hanc Dei consecuti fuerint.

I. Quam Christi nativitatem recolimus in tertia Missa quæ hâc die celebratur?

R. Æternam Christi nativitatem in sinu Patris in hâc maximè Missa celebrari colligitur ex Epistola et Evangelio hujus Missæ. Epistola enim sumitur ex capite primo Epistolæ ad Hebræos, ubi æterna illa nativitas fusè explicatur: Evangelium autem sumitur ex primo capite S. Joannis, ubi Aquilæ instar insurgit Apostolus ad altissima; et generationem Verbi à Patre divinitùs planè tradit.

I. Quâ mente celebranda est hæc Missa?

R. Id maximè postulat Ecclesia ut adjungamus nos mente Angelorum et Sanctorum omnium choris, qui Christum Filium Dei in cœlis adorant, et pro collatis hominibus beneficiis gratias agunt, et cùm primùm introductus est in orbem terræ illum, Deo Patre jubente, adoraverunt, ut ait Apostolus. (*Hebr.* I. 6.) (G)

I. Tenenturne omnes adesse Missarum trium celebrationi?

R. Ad præceptum Ecclesiæ implendum satis est uni interesse. Sed magis pium est, et menti Ecclesiæ magis consonum, tribus adesse.

§. 6. De Circumcisione Christi.

I. Quâ die celebratur Festum Circumcisionis Christi?

R. Kalendis Januarii, in die octava Nativitatis.

I. Quid erat Circumcisio?

R. Circumcisio ritus fuit, à Domino præscriptus Abrahæ ejusque posteris; in eo positus ut abscinderetur præputium a singulis masculis octavo post nativitatem die. (A) Ideò

(G) HEBR. I. 6. Et cùm iterùm introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei.

(A) GENES. XVII. 10. Hoc est pactum meum quod observabitis inter me et vos, et semen tuum post te, circumcidetur ex vobis omne masculinum. 11. Et circumcidetis carnem præputii vestri, ut sit in signum

autem fuit institutus ille ritus, ut distingueretur hoc signo populus Dei à cæteris gentibus. Fuit enim Circumcisio, ut jam diximus, (*Part.* 1. *Sect.* 1. *Cap.* 4. §. 5.) signum fœderis Deum inter et Abrahamum initi. (B)

I. Cur Deus hunc ritum positum esse voluit in abjectione præputii?

R. Ut vel ex hoc intelligeretur originem hominum fuisse vitiatam peccato, quod originale dicitur. (C)

fœderis inter me et vos. 12. Infans octo dierum circumcidetur in vobis, omne masculinum in generationibus vestris: tam vernaculus, quàm emptitius circumcidetur, et quicunque non fuerit de stirpe vestra: ..... 14. Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit.

(B) GENES. XVII. 10. 11. 12. *Vide suprà hocce §. litt.* (A) 13. Eritque pactum meum in carne vestra in fœdus æternum.... 14. Masculus cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit... 23. Tulit autem Abraham Ismaël filium suum, et omnes vernaculos domûs suæ: universosque quos emerat, cunctos mares ex omnibus viris domûs suæ: et circumcidit carnem præputii eorum statim in ipsa die, sicut præceperat ei Deus. 24. Abraham nonaginta et novem erat annorum quando circumcidit carnem præputii sui. 25. Et Ismaël filius tredecim annos impleverat tempore circumcisionis suæ. 26. Eâdem die circumcisus est Abraham et Ismaël filius ejus. 27. Et omnes viri domûs illius, tam vernaculi, quàm emptitii et alienigenæ, pariter circumcisi sunt.

ROM. II. 25. Circumcisio quidem prodest, si legem observes: si autem prævaricator legis sis, circumcisio tua præputium facta est. 26. Si igitur præputium justitias legis custodiat: nonne præputium illius in circumcisionem reputabitur? 27. Et judicabit id, quod ex natura est præputium, legem consummans te, qui per litteram, et circumcisionem prævaricator legis es? 28. Non enim qui in manifesto, Judæus est: neque quæ in manifesto, in carne, est circumcisio: 29. Sed qui in abscondito, Judæus est: et circumcisio cordis in spiritu, non littera: cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est.

S. JOAN. CHRYS. *Homil.* 39. *in Genes.* Volebat eos qui ex ipso propagandi erant, facere suum peculiarem populum: et ut posteà cùm multitudo propagaretur, non se gentibus illis, quarum hæreditatem occupatura erat, commisceret. Et aliàs quia juxta prædictionem suam in Ægypto servituri erant, ne gentibus se commiscerent in Ægypto, circumcisionem signi gratiâ justo præcepit, et inquit: *Hoc est testamentum quod servabis inter me et vos, et inter semen tuum post te in generationibus illorum: circumcidetur in vobis omne masculinum, circumcidetis carnem præputii vestri.* (*Genes.* XVII. 10. 11.) Deindè ut doceat et illos et omnes nos quare hoc injunxit, et quòd non alterius cujuspiam gratiâ, quàm ut esset assignatus et sibi segregatus populus, inquit: *et erit in signum testamenti inter me et vos.* (*Id. Ibid.*) Et posteà etiam de tempore imperat, quo conveniat hoc fieri. *Puellus*, inquit, (*Ibid.* 12.) *octo dierum circumcidetur, et vernaculus, et emptitius*, et omnes in summa, ut ita dicam, qui apud vos sunt, hoc signum suscipient. Et quisquis non circumcidetur in die constituto, perdetur: (*Ibid.* 14.) quia testamentum meum dissipavit, quia transgressus est (dicit) præceptum. Vide sapientiam Domini, quomodo, cùm sciret eos non admodùm bonæ mentis futuros, signum circumcisionis quasi frenum quoddam imposuit, ad indomitos eorum impetus cohibendos, ut ne gentibus commiscerentur. Nam quia sciebat eorum lasciviam, et quòd licèt infinities moniti ut se ab illicito contineant, non parerent: ideò dato eis perpetuo memoriali, injecit eis circumcisionis signum, quasi vinculum quoddam: deditque eis terminos et regulas ultra quas transire eis non liceat: ut in nullo cum gentibus se commiscerent, sed suâ gente contenti essent: ut Patriarchæ semen impermixtum maneret, atque ita promissa in eis compleri possent.

(C) *Catech. de* M. DE MEAUX (JACQ. BEN. BOSSUET) *Leçon* 3. *des Fêtes.*

I. Ergo Christus, cujus sanè origo vitiata non fuit, non erat obnoxius legi Circumcisionis ?

R. Non fuit certè. Idcircò autem huic legi sese ultrò sub-

D. Que signifiait particulièrement la Circoncision ? R. Que l'Origine du genre humain était impure. *D.* Comment impure ? R. Par le péché originel. *D.* Pourquoi J. C. a-t-il voulu être circoncis puisqu'il était saint ? R. Pour montrer qu'il venait porter la peine de nos péchés, et les expier. *D.* Pourquoi répandre son sang dès son enfance ? R. Pour montrer qu'il nous venait laver par son sang.. *D.* Que nous apprend la Circoncision de Notre-Seigneur ? R. A circoncire notre cœur, c'est-à-dire, à retrancher les mauvais désirs, et particulièrement l'attache aux plaisirs des sens.

S. Aug. *Tract.* 30. *in Joan. n.* 4... Circumcisio pertinet ad aliquod signaculum salutis, et non debent homines sabbato vacare à salute.

A. 5. Quid est Circumcisio, nisi carnis exspoliatio ? Significat ergo ista Circumcisio exspoliationem à corde cupiditatum carnalium. Non ergo sine causa data est, et in eo membro jussa fieri : quoniam per illud membrum procreatur creatura mortalium..... Omnis homo cum vitio propaginis nascitur : et non mundat Deus sive à vitio cum quo nascimur, sive à vitiis quæ male vivendo addimus, nisi per cultellum petrinum Dominum Christum. *Petra enim erat Christus.* (1. *Cor.* x. 4.) Cultellis enim petrinis circumcidebant, et Petræ nomine Christum figurabant..... Resurrexit Christus, abstulit vobis desideria carnalia, abstulit concupiscentias malas, abstulit superfluum cum quo nati eratis, et multò pejus quod malè vivendo addideratis : circumcisi per petram, quare adhuc sapitis terram ?

S. Bernard. *in Epiphan. Dom. serm.* 4. *n.* 1. Populo duræ cervicis cultellus erat necessarius, et lapideis cordibus meritò cultri lapidei debebantur ; qualibus à Jesu Nave facta Circumcisio memoratur. (*Josuë.* v. 2.) Noster autem Jesus tanquam agnus mansuetus omnem austeritatem abstulit..... Duritiam duris congruam servis, filiis commutavit in mansuetudinem, ut rubiginem originalis peccati, quam vix cultellus eradere poterat, ex hoc jam cum unctione gratiæ facilè lavet aqua. Nihil ergo mirum, si pro diversitate temporum mutata sint sacramenta : ut daretur utrisque quod congruum erat eis. Ipse verò Christus utrumque suscepit, ut tanquam lapis angularis utrique parieti cohæreret, ac si duarum capita corrigiarum consuendo connecteret : sicut et pascha figuratum ipse complevit, et verum protinùs inchoavit.

N. 2. Sed et propterea voluit circumcidi, ut ostenderet auctorem se esse veteris Legis, sicut et Evangelii : quoniam qui per seipsum ait : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto*, etc. (*Joan.* III. 5.) ipse idem per servum suum priùs dixerat : *Omnis anima cujus præputii caro circumcisa non fuerit, peribit de populo suo.* (*Gen.* XVII. 14.) Quòd si solùm baptisma suscepisset, videri poterat refugisse circumcisionem, tanquam nihil ad se pertinentem. Si verò circumcideretur, et non baptizaretur, quomodo mihi persuaderi posset baptizari, circumcisione relictâ ? Nunc itaque post circumcisionem baptisma suscipiens, illud mihi tenendum tradidit, quod ultimò suscepit.

N. 3. Denique communitatis amator et commendator, qui habitare facit unius moris in domo, quomodo communitatem desereret et alios scandalizaret ? Sic enim scandalizarentur videntes eum non circumcidi, sicut hodiè scandalizaretur Ecclesia, si infantem videret non baptizari. Nec solùm communitatis et unitatis bonum commendare, sed humilitatem voluit exhibere, ut ligaturam vulneratorum susciperet, qui solus erat absque vulnere. Hinc enim Apostolus dicit : *Misit Deus Filium suum in mundum, natum ex muliere, factum sub lege.* (*Galat.* IV 4.)

Serm. in Cœna Domini, n. 2. Hujus (Baptismi) gratiæ sacramentum priùs erat circumcisio, ut originalis rubiginem culpæ, quæ manaverat à parentibus primis, cultellus eraderet.

Petrus Bles. *Serm.* 7. *in Circumcis. Domini versùs finem.* Quare cum cultello raditur, vel abscinditur putredo vulneris originalis : cùm per aquam baptismalem meliùs et suaviùs possit ablui, et gratiæ unctione sanari ?

cidit, quia cùm ipse *propter nimiam charitatem suam quâ dilexit nos*, (*Ephes.* II. 4.) formam hominis peccatoris induisset, sumpsit in se peccatorum nostrorum pœnas, eaque voluit suo sanguine vel statim ab ortu suo expiare. (D)

I. Ubinam Christus circumcisus fuit ?

R. Apud Bethlehem, ubi natus fuerat.

I. Acciditne aliquid singulare in ejus Circumcisione ?

R. Nihil. Hoc solùm notandum quod ex more gentis Judaïcæ, quo nomina pueris imponebantur in ritu Circumcisionis, sicut apud nos imponuntur in ritu Baptismi, impositum est hac die Christo nomen, JESUS, *quod vocatum* fuerat *ab Angelo priusquam in utero conciperetur.* (*Luc.* II. 21.) Est autem vox, JESUS, Hebræa vox quæ Salvatorem significat. Magnum sanè nomen. Hoc quidem et aliis impositum fuerat in veteri lege, eò quòd gererent typum Christi : sed uni Christo nomen illud propriè competit ; solus enim ipse Salvator hominum. (E) Undè maxima debetur huic no-

(D) ISAI. LIII. 5. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras... 6... et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrùm.

PHILIP. II. 7. Sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo.

PETR. BLESENS. *Serm.* 7. *in die Circumcis.* Et si lex Moysi dicat : *anima cujus præputii caro circumcisa non fuerit, peribit de populo suo ;* (*Genes.* XVII. 14.) sententia quæ contra peccatum lata est, non facit eum sibi obnoxium qui immunis est à peccato. Quòd non contraxit peccatum probat Patris divinitas, attestatur matris integritas : quod peccatum non fecerit ipsa ætas, et divina natura confirmat... *Domine quid est homo quòd reputas eum :* (*Psal.* VIII. 5.) *aut quid apponis erga eum cor tuum*, (*Job.* VII. 17.) ut pro homine iniquo tot et tanta sustineas ?... Circumciditur ergo ut nobis sit forma humilitatis. Circumciditur etiam, ut qui per triginta annos operatus erat salutem in medio terræ, jam ab ipsis cunabulis negotium nostræ salutis incipiat ab uberibus matris suæ, degustans primitias passionis... Circumciditur ergo caput Ecclesiæ Christus Jesus, non pro se, sed pro membris.

(E) MATTH. I. 21. Pariet autem Filium : et vocabis nomen ejus Jesum ; ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.

LUC. II. 21. Et postquam consummati sunt dies octo ut circumcideretur puer : vocatum est nomen ejus Jesus, quod vocatum est ab Angelo priùs quàm in utero conciperetur.

S. BERNARD. *in Epiphan. Dom. serm.* I. *n.* 4. Ad Joseph veniens Angelus non solùm nomen protulit : sed et causam ejus interpretatus edocuit dicens : *Et vocabis nomen ejus Jesum : ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum*, (*Matth.* I. 21.) sed et pastoribus quoque annuntiatur *gaudium magnum : natum illis salvatorem Christum Dominum.* (*Luc.* II. 10. *et* 11.) Simile aliquid Paulus loquitur : *apparuit benignitas et humanitas salvatoris nostri Dei.* (*Tit.* III. 4.) Benè dulce nomen nullus ex ipsis tacuit, quia hoc mihi maximè necessarium fuit... Quæ verò major consolatio poterat esse quàm in dulci vocabulo, in nomine consolatorio ? Jam confidenter accedo, jam supplico fiducialiter. Quid enim timeam, quando Salvator venit in domum meam ? Ei soli peccavi, donatum erit quidquid indulserit ille. Utique enim licet ei quod vult facere. Deus est *qui justificat, quis est qui condemnet ? aut quis accusabit adversùs electos Dei ?* (*Rom.* VIII. 33. 34.)

PETRUS BLESENS. *in Circumcis. Serm.* 8. Hoc est nomen *quod os Domini nominavit.* (*Isaï.* LXII. 2.) *Non est aliud nomen sub cœlo in quo oporteat nos salvari.* (*Act.* IV. 12.) Scribat qui voluerit caracteres, nomina barbara, nomina etiam quæ (sicut plerique asserunt) nominare non licet : nomen tuum Jesu, semper sit in corde, et ore meo : in memoria, et in lingua...

mini reverentia. *In nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum*, inquit Apostolus. (*Philip.* II. 10.)

I. Quid facto opus ut celebretur festum hoc ex mente Ecclesiæ ?

R. 1. Ineunte anno cum novo fervore suscipiamus, ut par est, quidquid ad Dei cultum pertinet, et renovemur, ut ait Apostolus, spiritu mentis nostræ, exuentes veterem hominem et induentes novum. (*Ephes.* IV. 22. 23. 24.)

2. Nunquam nisi cum reverentia appellemus sacro-sanctum JESU nomen.

3. Vacemus spirituali Circumcisioni. (F)

Loquitur Gabriël ad Mariam : *Et vocabis*, inquit, *nomen ejus Jesum.* (*Matth.* I. 21.) Ad Joseph eliam dicit : *Et vocabis nomen ejus Jesum :* atque subjungens causam et effectum nominis dicit : *ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.* (*Id. Ibid.*) Pastoribus etiam loquens : *annuntio vobis gaudium magnum : quia natus est hodie salvator qui est Christus Dominus.* (*Luc.* II. 10. *et* 11.) Magnæ fiduciæ materia est nomen Jesu : nomen tuum desiderabile, tam amabile, tam dulce, tam salubre... Quid jam igitur timeamus ? venit Jesus : venit Salvator *quærere et salvare quod perierat.* (*Luc.* XIX. 10.) Venit non ut judicet, sed ut salvet ; non ut perimat, sed ut redimat : sicut scriptum est : *venit Filius hominis non ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.* (*Joan.* III. 17.)

(F) S. BERNARD. *in Circumcisione Domini serm.* 1. *n.* 1. Quem nemo potest arguere de peccato, ipse peccati remedium, et verecundum pariter et austerum, sine ulla necessitate suscepit ; nec repulit cultrum lapideum, in quo solo vetus illa quæ eraderetur rubigo non fuit. Nos è contra inverecundi ad obscœnitatem culpæ, erubescimus agere pœnitentiam, quod extremæ dementiæ est ; malè proni in vulnera, pejùs in remedia verecundi. Qui peccatum non fecit, non dedignatus est se peccatorem reputari.... Christus verò quæ non rapuit patienter exsolvit, qui venerat purgationem facere, non suscipere delictorum.

N. 2. Circumcisio veritatem susceptæ probat humanitatis ; et nomen quod est super omne nomen (*Philipp.* II. 9.), gloriam indicat majestatis.

N. 3. Nos circumcidi necesse est, et sic nomen salutis accipere : circumcidi sanè non litterâ, sed spiritu et veritate : circumcidi non uno membro, sed toto corpore simul.

N. 4. Optimè circumcidit nos, et superflua resecat universa, voluntaria hæc paupertas, pœnitentiæ labor, regularis observatio disciplinæ.

Serm. 2. *n.* 3. Meritò sanè dum circumciditur puer qui natus est nobis, Salvator vocatur ; quòd videlicet ex hoc cœperit operari salutem nostram, immaculatum illum pro nobis sanguinem fundens.

Serm. 3. *n.* 1. In Circumcisione Domini, Fratres, habemus quod amemus et admiremur : habemus etiam quod imitemur. Patet in ea magnum dignationis beneficium, undè gratiam agamus : latet aliquid clausum, quod in nobis implere debeamus. Venit namque Dominus propter nos non solùm redimendos sanguinis effusione, sed et docendos verbis ; et exemplis nihilominùs instruendos.

N. 3. Quid est enim Circumcisio, nisi superfluitatis et peccati indicium ? In te Domine Jesu quid est superfluum quod circumcidatur ?.. Sed quid mirum si caput pro membris accepit curationem, quam tamen in seipso non habuit necessariam ?

N. 4. Quid mirum, si pro nobis dignatus est circumcidi, pro quibus dignatus est mori ? Totus siquidem mihi datus, et totus in meos usus expensus est.... Sanguinem agni fuderunt, nos accessimus, et bibimus illum. Accepimus calicem salutaris : *et calix* noster *inebrians quàm præclarus est !* (*Psal.* XXII. 5.) Ecce undè gratias agamus. Nam ante paucos dies celebravimus adventum ejus in carcerem hujus mundi, id est, diem natalis : hodie verò celebramus quòd catenas et vincula nostra suscepit. Hodie enim qui peccatum non fecit, ut reos absolveret, inno-

I. In quo posita est Circumcisio spiritualis ?

R. (2. *Petr.* I. 4.) « Ut fugiamus ejus quæ in mundo est » concupiscentiæ corruptionem : (*Hebr.* XII. 1.) deponamus » omne pondus et circumstans nos peccatum ; (*Rom.* XIII. 12.) » abjiciamus opera tenebrarum et induamur arma lucis ; » id est, (*Tit.* II. 12. 13.) ut abnegantes impietatem et se- » cularia desideria, sobriè et justè et piè vivamus in hoc » seculo, exspectantes beatam spem et adventum gloriæ » magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi. » (G)

§. 7. De Epiphania Domini.

I. Quæ solemnitas celebratur octavo idus Januarii ?

R. Solemnitas Epiphaniæ Domini nostri Jesu Christi. (A)

I. Quid est vox hæc *Epiphania ?*

xias manus eorum catenis inseruit : hodie sub lege factus est, qui legem dedit.

IVO CARNOTENSIS *Serm.* 9. *de Circumcisione Domini.* Dominici natalis hodie diem celebramus octavum, in quo puer Jesus à parentibus carnis suæ, carnale suscepit circumcisionis sacramentum. Non enim sicut ipse ait, *legem venerat solvere, sed adimplere.* (*Matth.* V. 17.) Legem quidem adimplevit, quia de fæce carnalium observationum spiritualem intellectum eliquavit... Indè est quod puer à parentibus octavâ die circumcisus, quadragesimo die ab iisdem cum legalibus hostiis in templo est præsentatus. (*Luc.* II. 21. *et seq.*) Juvenis etiam ad diem dedicationis, et ad cæteros dies festos Hierosolymis, sicut in Evangelio legimus, frequenter occurrit, et in nullo sacramenta illa legalia refutavit : Donec in sancto die cœnæ, immolato veteri paschâ, vetus sacerdotium in novum commutavit, quando seipsum convivam et convivium exhibuit Discipulis.... Hæc est vera circumcisio, per quam non cutem carnis petrinis cultris exspoliamus, sed veterem hominem, id est, veteris hominis similitudinem Christo conformati cum suis actibus deponimus.... De qua alibi dicit Apostolus : *non enim circumcisio quæ fit in manifesto*, id est, *in carne : sed circumcisio cordis, non litterâ, sed spiritu circumcisio vera...* (*Rom.* II. 28. *et* 29.) Circumcidamus igitur aures ab illicito auditu, oculos ab illicito visu, nares ab illicito olfactu, os ab illicito gustu, cor ab illicita cogitatione, tanquam ab illicitâ locutione, manus ab illicito tactu, pedes ab illicito incessu.

(G) DEUTERON. X. 16. Circumcidite igitur præputium cordis vestri, et cervicem vestram ne induretis amplius.

XXX. 6. Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum, et cor seminis tui : ut diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, et in tota anima tua, ut possis vivere.

JEREM. IV. 4. Circumcidimini Domino, et auferte præputia cordium vestrorum viri Juda, et habitatores Jerusalem : ne forte egrediatur ut ignis indignatio mea, et succendatur, et non sit qui exstinguat, propter malitiam cogitationum vestrarum.

ROM. II. 29. Sed qui in abscondito, Judæus est : et circumcisio cordis in spiritu, non litterâ ; cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est.

PHILIP. III. 3. Nos enim sumus circumcisio, qui spiritu servimus Deo, et gloriemur in Christo Jesu, et non in carne fiduciam habentes.

COLOS. II. 11. In quo et circumcisi estis circumcisione non manu factâ in exspoliatione corporis carnis, sed in circumcisione Christi.

(A) M. DE TILLEMONT *Hist. Eccles. tom.* 1. *note* 9. *sur J. C.* Elle est quelquefois appelée la Fête des lumières, à cause du baptême, à qui on donne souvent le nom d'illumination : mais son titre le plus commun est celui de l'Epiphanie. Saint Jérôme prétend qu'il lui est tellement propre, qu'il ne veut pas qu'on le donne aussi à la fête de la Naissance de Notre-Seigneur comme quelques-uns le faisaient, etc. *Voyez toute cette note dans l'Auteur.*

R. Vox græca est, quæ *manifestationem* significat. (B)

I. Cur dicitur festum hoc *Epiphania?*

R. Quia celebramus hâc die tria miracula quibus gloriam suam Christus manifestavit hominibus : 1. Magorum adorationem ; 2. Christi Baptismum ; 3. Primum Christi miraculum quod edidit in Cana Galilææ, ubi vocatus ad nuptias, aquam in vinum transmutavit. (C)

(B) S. Aug. *Serm.* 203. *aliàs de diversis* 64. *in Epiphania* 5. *c.* 1. *n.* 1. Epiphania Græcæ linguæ vocabulo, Latinè manifestatio dici potest. Hodierno igitur die manifestatus Redemptor omnium gentium, fecit solemnitatem omnibus gentibus. Dominus ergo noster Jesus Christus ante dies tredecim natus, à Magis hodie traditur adoratus. (*Matth.* II.) Quia factum est, Evangelii loquitur veritas : quo die autem factum sit, ubique clamat tam præclaræ istius solemnitatis auctoritas....

Cap. 3. *n.* 3. Ideò fortasse post natalem Domini duodecim diebus additis, Magi primitiæ gentium ad Christum videndum adorandumque venerunt, et non solùm accipere propriam, sed omnium quoque gentium salutem significare meruerunt.

(C) S. Bernard. *Serm.* 1. *in Epiphan. Dom. n.* 5. Voluit non solùm ad terras descendere, sed etiam innotescere : non solùm nasci, sed et agnosci.

N. 6. Denique propter hanc agnitionem dies ista celebris habetur, et insignis dies apparitionis. Hodiè enim Magi ab Oriente venerunt, ortum solem justitiæ requirentes, eum de quo legitur : *Ecce vir, Oriens nomen illi.* (*Zach.* VI. 12.) Hodie adoraverunt novum Virginis partum, sequentes novi sideris ductum.... Nonne timendum erat, Fratres, ne scandalizarentur viri isti, et illusos se crederent, cùm tanta indigna viderent ? A regia civitate ubi regem quærendum conjectabant, ad Bethlehem villam parvulam diriguntur : ingrediuntur stabulum, inveniunt involutum pannis infantulum. Non illis sordet stabulum : non pannis offenduntur : non scandalizantur lactentis infantiâ : procidunt, venerantur ut regem, adorant ut Deum. Sed profectò qui illos adduxit, ipse et instruxit : et qui per stellam foris admovit, ipse in occulto cordis edocuit. Hæc igitur Domini declaratio clarificavit hanc diem : et Magorum devota veneratio devotam fecit et venerabilem.

N. 7. Nec sola hæc apparitio, sed altera quædam, sicut à Patribus nostris accepimus, hodie celebratur : quæ etsi longo post tempore, facta creditur hoc ipso die. Cùm enim jam Christus triginta annorum tempus exegisset in carne, qui secundùm divinitatem *idem ipse est, et anni ejus non deficiunt :* (*Psal.* CI. 28.) inter populares turbas ad baptismum Joannis advenit. Venit tanquam unus è populo, qui solus erat sine peccato. Quis eum tunc crederet Filium Dei ? quis putaret Dominum majestatis ?... Sed Joannem latere non poteras. Nonne ipse est, qui per maternum uterum te nondum natus agnovit ? nonne ipse est qui per utriusque materni uteri parietes te agnovit ? Et quia turbis clamare non potuit, saltem matrem suam motu exultationis edocuit ? Nunc autem quid ? *Vidit eum Joannes* (ait Evangelista) *venientem ad se, et ait : Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* (*Joan.* I. 29.) Verè agnus, verè humilis, verè mansuetus. *Ecce*, inquit, *agnus Dei : ecce qui tollit peccata mundi.* (*Ibid.*) En ipse qui purgationem faciet delictorum, ecce sentinam nostram purgaturus advenit : et tamen post hoc testimonium baptizari vult à Joanne. Tremuit ille. Quid mirum ? Quid, inquam, mirum, si tremit homo, nec audet attingere sanctum Dei verticem, caput adorandum Angelis, reverendum potestatibus, tremendum principatibus ? Baptizari vis Domine Jesu ! Ad quid enim, aut quid tibi opus fuit baptismate ? nunquid sano opus est medicinâ, ac mundatione mundo ? Undè tibi peccatum ut baptisma sit necessarium ? nunquid à patre ? At patrem quidem habes, sed Deum : et æqualis es illi, Deus de Deo, lumen de lumine. Nam in Deum peccatum cadere non posse quis nesciat ?

N. 8. Ecce testimonium majus Joanne : testimonium advenientis columbæ.... Sed ne fortuito casu id evenisse causeris : ecce testimonium

I. Magorum nomine quos intelligis ?

R. Intelligo Gentiles Philosophos, qui Christum recèns natum adoraturi venerunt Jerusalem primùm, deindè Bethlehem. Illi vulgò dicuntur Reges, licèt ignoretur quæ fuerit horum conditio. Sed verisimile est eos fuisse saltem viros magnates et potentes opibus, ut videtur non paucis Evangeliorum expositoribus eruditissimis. Ideò autem illi Reges dicti sunt, quia in prophetia Davidis quæ de ipsis videtur maximè intelligenda, hæc habentur : *Reges Tharsis et insulæ munera offerent. Reges Arabum et Saba dona adducent.*

Dei Patris. Ecce Deus majestatis intonuit ; *Dominus super aquas multas ;* (*Ps.* XXVIII. 3.) et, *vox Patris audita est : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* (*Matth.* III. 17.)

N. 9. Tertia quoque apparitio ejus in Evangelio invenitur : et hæc nihilominus hodiè celebratur. Invitatus enim ad nuptias Dominus, vino deficiente, compassus eorum verecundiæ, aquam mutavit in vinum. *Hoc et iam* (sicut ait Evangelista) *signorum ejus fuit initium.* (*Joan.* II. 11.) Itaque in prima apparitione homo verus innotuit, ubi inter ubera matris infans apparuit. In secunda verò, verum esse Dei Filium, Patris indicat testimonium. In tertia verò, verus esse Deus demonstratur : ad cujus imperium natura mutatur. Tot testimoniis hodie confirmatur fides nostra, tot indiciis roboratur spes nostra, tot incentivis inflammatur charitas nostra.

Serm. 2. *n.* 1. Tres apparitiones Domini legimus, unâ quidem die, sed non uno tempore factas. Et quidem mirabilis secunda, mirabilis tertia, sed prima apparitio mirabiliùs admiranda. Mirabilis aquarum mutatio : mirabilis Joannis et Columbæ pariter et Paternæ vocis attestatio ; sed illud mirabile magis, quòd agnitus est à Magis. Nam quòd Deum agnoscant, indicat adoratio, indicat thuris oblatio. Nec solùm Deum, sed et Regem agnoscunt, quod designatur in auro. Et in his non latet eos magnum pietatis sacramentum : undè et myrrha indicat moriturum.

Serm. 3. *n.* 2. Solemnitas igitur hodiernæ dici ab apparitione nomen accepit. Epiphania quidem apparitio est. Hodie ergo apparitio Domini celebratur : non tantùm una, sed trina, sicut à Patribus nostris accepimus. Hodie enim parvulus Rex noster, paucis à nativitate diebus transactis, stellâ declarante primitiis gentium apparuit. Hodie quoque, cùm jam triginta fermè in dispensatione carnis egisset annos : qui secundùm divinitatem *idem ipse est, et anni ejus non deficiunt :* (*Psal.* CI. 28.) inter populares turbas absconditus, ad Jordanem baptizandus advenit : sed testimonio Dei Patris innotuit. Hodie nihilominus, cùm discipulis suis vocatus ad nuptias, deficiente vino, signo admirabili suæ potentiæ, aquas in vinum mutavit.

N. 7. Quid in eo quòd cum matre parvulus invenitur, nisi verus homo et verus hominis filius declaratur ? Jam verò et in secunda apparitione vide si non manifestè vocis paternæ testimonio Dei Filius approbatur ? Cœli namque aperti sunt super eum, et descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in illum, (*Matth.* III. 16.) et vox Patris audita est : *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* (*Ibid.* 17.) Satis equidem manifestum est ex hoc ipso, satis evidens et indubitabile, quoniam Dei Filium necesse est Deum esse.... Qui in prima apparitione verus homo et filius hominis est declaratus, et in secunda verus nihilominus Dei Filius : in tertia jam verus Deus et auctor naturæ probatur, ad cujus nutum natura mutatur. Nos ergo, dilectissimi, Christum Jesum diligamus ut verum hominem et fratrem nostrum, honoremus ut Dei filium, adoremus ut Deum : securè credamus in eum, securè credamus ei nos ipsos, fratres mei, cui nec potestas deest salvandi nos, cùm sit verus Deus et Dei Filius ; nec bona voluntas, cùm sit tanquam unus ex nobis verus homo, et hominis filius. Quomodo namque nobis erit inexorabilis, propter quos factus est similis nobis passibilis ?

(*Ps.* LXXI. 10.) (*Vide suprà Part.* 1. *Sect.* 2. *Cap.* 2. §. 4.) (D) Quanquam hæc de vocatione quoque gentium in genere intelligi nihil vetat.

(D) M. DE TILLEMONT, *Note* 12. *sur la Vie de J. C.* Tertullien semble favoriser l'opinion du peuple qui les appelle des Rois. Mais il est si obscur à son ordinaire, que Baronius même n'a pas osé assurer que ce fût son sens : c'est pourquoi il ne fonde la Royauté des Mages que sur la pieuse tradition des fidèles, et sur Théophylacte, qui n'a pas assez d'autorité pour rendre cette piété solide. On la trouve dans un Sermon qui peut être de saint Césaire : mais le mot de *Reges* y est entre des crochets. Baronius dit qu'ils pouvaient être Rois ou Princes de quelque ville, sous les Romains ou les Parthes. Il ne reste qu'à montrer qu'ils l'étaient effectivement.

MENOCHIUS *in c.* 2. *Matth. v.* 1.... *Magi.* Sapientes apud Persas Magi dicebantur ; quo sensu etiam Evangelistam hanc vocem usurpasse probabilissimum est, et quia ab Oriente venerunt, ubi celebre Magorum nomen erat, et quia stellâ sunt ducti, quasi homines qui astrorum contemplatione delectarentur, in qua omnis tunc Magorum sapientia versabatur. Quare Evangelista, honoris causâ, Magos videtur appellasse : alioqui nemo nescit, Magi nomen incantatoribus etiam, præstigiatoribus, et maleficis tribui. Reges fuisse, multi et graves Patres tradiderunt, Athanasius, Nazianzenus, Chrysostomus, Theophylactus, Cyprianus, Tertullianus, Hieronymus, Isidorus et alii, et veteres picturæ adstipulantur, receptaque passim opinio inter Christianos ; ut etiam tres fuisse.

JANSENIUS IPRENSIS *hîc*.... Fuit autem sapientibus Persis peculiare, ut Magi dicerentur, sicut apud Græcos dicebantur Philosophi ; apud Indos Bragmanes ; aut Gymnosophistæ ; apud Babylonios Chaldæi ; apud Ægyptios Hierophantæ ; apud Gallos Druidæ. Hinc teste Cicerone l. 1. de Divinit. apud Persas Rex esse nemo poterat, nisi qui Magorum disciplinam, scientiamque antè percepisset. Quia igitur stellâ duce usi sunt,.... et honoris causâ videntur Magi vocari, hinc verius est, non fuisse ex infami illo maleficorum genere, ut videntur voluisse quidam, sed ut Hieronym. hîc, suæ gentis philosophiæ, maximèque astrologiæ dediti.

JANSENIUS GANDAV. *Concord. c.* 9. *pag.* 63. *edit. Lugduni fol. ann.* 1582... Autumant alii Sapientes, plerique etiam Reges....

MALDONAT. *Comm. in Matth. cap.* 2. *cùm Magos non maleficos, sed sapientes fuisse probasset, addit :* Illud minùs est certum, an fuerint reges. Ridet Ecclesiam Catholicam hæreticus Interpres, quòd Reges fuisse credat ; quasi locum Psalmi malè de illis interpretetur, *Reges Tharsis, et insulæ munera offerent ;* (*Ps.* LXXI. 10.) et ex Meridie, et Occidente Orientem fecerit. Rideat ergo Tertullianum. Rideat Cyprianum. Rideat Chrysostomum. Rideat Hilarium. Rideat Basilium. Rideat Idacium. Rideat Hieronymum, aut Hieronymo æqualem ætate auctorem. Rideat Augustinum, aut vetustum certè quisquis est auctorem. Rideat Isidorum, Bedam, et Strabum, ut alios non nominem quos liberiore fortassè impudentiâ ridebit. Hi enim omnes Reges fuisse credunt, et illo Psalmi loco fidem faciunt. Non quòd credant Reges fuisse Tharsis, sed quòd Reges Tharsis pro quibusvis Gentilium regibus, quasi exempli loco à Davide positos putent, ut Tertullianus exemplis etiam Scripturarum docet, eodemque sensu Ecclesia in festo Epiphaniæ illum Psalmi locum usurpat. Solet enim sæpè, quæ de una persona dicta sunt, ad aliam, propter similitudinem, non ignoranter, sed prudenter accommodare. Nec enim ignorat quod scriptum est, *Maria optimam partem elegit,* (*Luc.* X. 42.) non de Maria Christi matre, sed de Maria Lazari sorore dictum esse ; tamen ad Christi matrem in ejus festo prudenter accommodat, quia et ipsa Maria est, et verè optimam partem elegit. Præterquàm quòd Ecclesia Magos fuisse Reges non certâ et Catholicâ fide, sed probabili opinione credit. Licuit enim Christiano Poetæ Patrum nostrorum memoriâ salvâ religione dicere : Nec Reges, ut opinor, erant. Licuit multis nostro tempore Catholicis, et eruditis Theologis idem scribere, suamque opinionem non ut ille risu, sed

I. Quot numero fuêre Magi illi ?

R. Hos fuisse numero tres scripsit S. Leo. De hoc tamen nihil certi statui potest. (E)

magnis argumentis confirmare ; non fuisse Evangelistam silentio nomen Regum, si Reges fuissent, præteriturum, cùm id ad honorem adorandi Christi magnoperè pertineret ; majore apparatu excipiendos ab Herode, Reges à Rege. Ista nos non ignoramus, et malumus tamen credere fuisse Reges : non illos quidem Persarum nobilissimos, sed tamen Principes, qui Regem aut Regulorum nomen merentur, sicut ille Joannis et sicut amici Job, qui ad consolandum eum venerant. Reges appellantur, et ut Marcus Herodem magni Herodis filium Regem appellavit, cùm non Rex, sed Tetrarcha esset Galilææ.

Certè Poëta Juvencus Primores gentis suæ, et Proceres appellat. Conjecturæ sunt, quòd ab Oriente usque veniant, undè privati profectò Philosophi tam longo suscepto itinere non venissent : quòd Regem natum adoraturi ; quod facere soli Principes solent : quòd thesauros habuerint ; quod Herode simul ut venerunt, comprehensi non sint, et in crucem acti ; quòd ipse Herodes dicat, se quoque adorandi causâ, cùm ubi sit intellexerit, iturum esse. Simulatè : quis neget ? Tamen veritatem certè simulabat, quasi omnes Reges deberent Magorum exemplo novum Regem adorare. Quòd privati homines nunquam ausi fuissent coram Tyranno profiteri, legitimum Judæorum Regem natum esse. At cur Evangelista Reges non appellavit ? Cur auctor libri Job amicos ejus Reges non appellat : Tobiæ verò libri auctor appellat ? Si alius Evangelista illam eamdem scripsisset historiam, quam Joannes scripsit, illum fortassè, quem Joannes Regulum vocat, alio nomine vocavisset. Neque ratio quærenti omninò deerit, cur Matthæus Magos potiùs, quàm Reges, cùm utrumque essent, appellaverit. Voluit enim facilè rationem reddere, cur ex stella Christum natum esse cognovissent. Hoc enim Magorum, non Regum fuit.

De numero minùs constat. Hic etiam ridet nos hæreticorum Interpres, quod tres fuisse credamus, indè in errorem ducti, quòd tria fuerint munera. Quasi singuli singula, non cuncti cuncta communiter obtulerint. Ipse quatuordecim fuisse nescio apud quem auctorem legerit, certè non nisi apud Catholicos legit. Undè potuit facilè cognoscere, nos non certò fuisse tres, sed probabiliter credere. Auctor operis imperfecti ex apocrypha quadam scriptura, quam suo tempore nomine Seth exstitisse dicit, duodecim fuisse tradit. Strabus plures tantùm fuisse ex modo loquendi Evangelistæ colligit. Communis non solùm vulgi, sed veterem etiam auctorum opinio est, fuisse tres, Augustini, Leonis, Ruperti, eaque multò est cæteris probabilior.

Illud enim certum est plures fuisse, cùm Evangelista numero semper multitudinis Magos appellet ; et probabile est plures fuisse duobus, quia non duali, ut vocant, sed plurali usus est numero. Fuisse autem tres, etsi non certâ, tamen probabili conjecturâ ex donorum numero colligitur. Credibilius enim est diversa, quàm eadem omnes munera dedisse, quòd id magis sit usitatum, et gratius accipientibus, honorificentius dantibus esse soleat. Certè hæc opinio aliquâ, aliæ nullâ ratione probari possunt.

TIRINUS *comm. in Matth. cap.* 2. Erant autem hi qui ad Christum accurrerunt, tres numero, et quidem etsi rideat Calvinus Reges, ut communis habet traditio, id est, Reguli, seu Principes, phrasi Scripturæ ; quæ tamen maluit *Magos* vocare quàm Principes, quia Christum ex stella agnoscere, Sapientium erat, non Principum.

Omnes ferè sacræ Scripturæ interpretes tam veteres quàm recentiores in eadem sunt sententia.

(E) S. LEO *Serm.* 30. *in solemn. Epiphan.* 1. *cap.* 1. Tribus igitur Magis in regione Orientis stella novæ claritatis apparuit.

Cap. 2. Sequuntur tres viri superni luminis ductum.

Serm. 32. *in Epiph. Dom.* 3. *cap.* 3. Adorent in tribus Magis omnes populi universitatis auctorem.

Cap. 5. Tres Magos.... stella perduxit.

I. Quæ nomina eorum ?

R. Quæ de nominibus eorum scripsêre recentiores quidam valdè incertum est. Satius est nostram ea de re ignorantiam profiteri. (F)

I. Cur ipsi venerunt ad Christum ?

R. Quia Christo nato nova stella apparuit. Ipsi autem, Deo revelante, intellexerunt hoc signum esse Reges Judæorum, Salvatorisque hominum recèns nati.

I. Quonam se contulerunt ad adorandum Christum ?

R. Bethlehem ubi natus fuerat.

I. Quomodo didicerunt Christum fuisse natum apud Bethlehemitas ?

R. Contulerunt se primùm Jerosolymam, quæ erat urbs regni Judæorum caput, et templi toto orbe celebris sedes. Ibique didicerunt a Sacerdotibus Messiam in Bethlehem esse nasciturum ex Prophetarum oraculis.

I. Cur Deus Magos non direxit statim in Bethlehem ubi natus erat Christus ?

R. Quia voluit eos Deus doceri viam veritatis et ad Christum dirigi per ministerium Ecclesiæ illius temporis. (G)

Serm. 53. *in Epiphan. Dom.* 4. *cap.* 2. Tres itaque viri, fulgore insoliti sideris divinitùs incitati, etc.

Serm. 34. *in Epiphan. solemn.* 5. *cap.* 1. Ad.... adorandum Dei Filium tres Magos prævia stellà perduxit.

Cap. 2. Tres Magi coruscatione Evangelici fulgoris acciti, etc. *Et paulò post :* Tres viri universarum gentium personam gerentes adorato Domino, etc.

Serm. 35. *in Epiphan. solemn.* 6. *cap.* 1. Hodiè cordibus nostris concipienda sunt gaudia, quæ in trium Magorum fuêre pectoribus. *Et paulò post :* tres viri.... à remotissima Orientis parte venerunt.

Serm. 36. *in Epiphan. solemn.* 7. *cap.* 2. Cùm tres Magos ad adorandum Jesum novi sideris claritas deduxisset.

Serm. 38. *in Epiphan. solemn.* 8. In tribus viris vocatio gentium.

Vide MALDONAT. *comment. in Matth. Evang. suprà hocce* §. *litt.* (D)

M. DE TILLEMONT, *tom.* 1. *de l'Hist. Eccles. note sur J. C.* Ce sont assez vraisemblablement les trois présens offerts par les Mages, qui ont donné lieu de dire que les Mages mêmes étaient au nombre de trois : car l'Evangile ne marque point combien ils étaient. Saint Léon parle de ces trois Mages en divers sermons sur l'Epiphanie. L'Auteur appelé Eusèbe d'Emèse le fait aussi.

Plures exscribere superfluum esset, quippe omnes ferè D. Matth. Interpretes eadem sentiunt.

(F) M. DE TILLEMONT, *Note* 12. *sur la Vie de J. C.* D'autres (Auteurs) leur ont donné depuis des noms, (*aux Mages*) les uns d'une façon, et les autres d'une autre : ce qui n'a pas commencé avant la fin du XIIe siècle. Baronius n'a pas cru que cela fût digne de ses Annales, non plus que les autres choses que les Auteurs postérieurs ont écrites sur le sujet de ces Mages. Aussi après les plus exactes recherches qu'on a faites depuis, Bollandus conclut qu'il n'y a rien en tout cela de solide, et que c'est perdre le temps de chercher dans les fables des modernes la vérité des choses dont l'antiquité ne nous a rien dit. Il y en a même qui croient qu'on n'a trouvé des noms aux Mages, que pour les employer à des usages illicites ; et cela paraît par des écrits impies que l'on a encore.

(G) S. HIERONYMUS *in c.* 2. *Matth.* Vidimus stellam ejus in Oriente : ad confusionem Judæorum ; ut nativitatem Christi à gentibus discerent, oritur in Oriente stella, quam futuram Balaam cujus successores erant vaticinio noverant. Lege Numerorum librum. (*Num.* XXIV.) Deferuntur

In quo non obscurè velut in typo cernere licet, non nisi per Ecclesiam homines doceri viam salutis.

I. Sacerdotes profectine sunt cum Magis in Bethlehem ad videndum et adorandum Christum?

R. Non profecti sunt: ipsi remanserunt in Jerusalem. In quo præfigurata est Judæorum reprobatio, et vocatio gentium. Sed et aliud adumbratum est, quod eheu nimiùm usuvenit: nimirùm multos salutis viam rectè monstrare, non tenere. (H) Sed ubi id cernitur, Magorum instar stan-

autem Magi stellæ indicio in Judæam, ut Sacerdotes à Magis interrogati, ubi Christus nasceretur, inexcusabiles fierent de adventu ejus....

Aliam verò affert rationem S. BERNARD. *serm.* 3. *in Epiph. Dom. n.* 4. Ergo quærentibus Magis Regem Judæorum, et sciscitante à Scribis Herode Dominicæ nativitatis locum, illi juxta Prophetam nomen civitatis edicunt. Cùmque recessissent Magi, et reliquissent Judæos, *Ecce stella quam viderant in Oriente, antecedebat eos.* (*Matth.* II. 9.) Hinc manifestè datur intelligi, quoniam humanum flagitantes consilium, divinum amisêre ducatum: conversos ad terrenum documentum, signum cœleste deseruit.

(H) S. JOAN. CHRYS. *in cap. Matth.* 2. *hom.* 7. Confundantur cum ipsis etiam Judæi cernentes Magos ac Barbaros ipsos prævenire, ne post illos quidem venire sustinentes. Etenim quæ tunc facta sunt, futurorum expressêre figuram. Ab ipso siquidem principio declaratum est, fore ut populum illum gentiles prævenirent. Et quomodo non ab initio, dices, sed in fine ipso, *Euntes docete*, inquit, *omnes gentes?* (*Matth.* XXVIII. 19.) Quia scilicet, ut paulò antè memoravimus, figura erat id quod tunc accidit, et ceu quoddam præsagium. Erat quippe consequens, priores Judæos accedere. Quoniam verò sponte peculiare beneficium respuerunt, in contrarium versa res est.... Nam neque hic Magi priusquam Judæi accedere debuerant: neque tam longo intervallo locorum distantes prævertere eos qui ipsam accolunt urbem, nec hi qui nihil audierant, præcurrere eos qui tot innutriti sunt vaticiniis. Quia igitur domestica illa bona sua eximiè ignorarunt, à Perside oriundi Hierosolymæ civibus præripiunt. Quod certè dicit et Paulus: (*Act.* XIII. 46.) *Vobis quidem oportebat primùm annuntiari verbum Dei, sed quoniam vos indignos judicastis, ecce convertimur ad Gentes.* Et si enim anteà non credebant, tamen postquam idipsum à Magis audierunt, oportebat accelerare. Sed noluerunt, et propterea istis dormientibus illi præcurrunt.

S. AUG. *Serm.* 199. *de Epiph. Dom.* 1. *aliàs de temp.* 34. *n.* 1. Nuper celebravimus diem, quo ex Judæis Dominus natus est: hodie celebramus, quo à gentibus adoratus est: *Quoniam salus ex Judæis* (*Joan.* IV. 22.); sed hæc *salus usque ad fines terræ.* (*Isaï.* XLIX. 6.) Nam et illo die pastores adoraverunt, hodie Magi: illis angeli, istis autem stella nuntiavit: utrique de cœlo didicerunt, cùm Regem cœli in terra viderunt, ut esset (*Luc.* II. 14.) *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* (*Ephes.* II. 14.) *Ipse est enim pax nostra, qui fecit utraque unum.* Jam hinc infans natus atque annuntiatus ostenditur lapis ille angularis, jam in ipso primordio nativitatis apparuit. Duos ex diverso parietes in se copulare jam cœpit, pastores à Judæa, Magos ab Oriente perducens: ut duos conderet in se in unum novum hominem, faciens pacem, pacem his qui longè, et pacem his qui propè. Ideoque illi ipso die de proximo accedentes, de longinquo isti hodiè venientes, duos dies celebrandos posteris signaverunt, unam tamen lucem mundi utrique viderunt.

N. 2. De remotis terris (Magos) fides duxit ad Christum. Venerunt enim, et quæsierunt eum, dicentes, *Ubi est, qui natus est rex Judæorum? vidimus enim stellam ejus in Oriente, et venimus adorare eum.* (*Matth.* II. 2.) Nuntiant et interrogant, credunt et quærunt; tanquam significantes eos qui ambulant per fidem, et desiderant speciem.... In Oriente Magi vident stellam, et in Judæa natum intelligunt Regem. Quis est iste

Rex tam parvus, tam magnus; nondum in terris loquens, jam in cœlis edicta proponens? Verumtamen propter nos, quibus de Scripturis suis sanctis ingotescere voluit, ipsos etiam Magos quibus tam clarum signum in cœlo dederat, et quorum cordibus se in Judæa natum esse revelaverat, Prophetis tamen suis de se credere voluit. Quærendo enim civitatem, in qua natus erat, quem videre et adorare cupiebant, necesse habuerunt percontari principes Judæorum; ut illi de sancta Scriptura, quam in ore, non in corde gestabant, infideles fidelibus de gratia fidei responderent, mendaces à se, veraces contra se. Quantum enim erat, ut illis quærentibus Christum comites fierent, cùm ab eis audissent, quòd visà stellà ejus venirent eum adorare cupientes; ipsi eos ad Bethlehem Judæ, quam de libris divinis indicæverant, ducerent, pariter viderent, pariter intelligerent, pariter adorarent? Nunc verò aliis demonstrato vitæ fonte, ipsi sunt mortui siccitate. Facti sunt eis tanquam lapides ad milliaria: viatoribus ambulantibus aliquid ostenderunt, sed ipsi stolidi atque immobiles remanserunt. Magi quærebant, ut invenirent: Herodes quærebat, ut perderet: Judæi civitatem nascentis legebant, tempus venientis non intelligebant. Inter Magorum pium amorem, et Herodis crudelem timorem, illi evanuerunt Bethlehem demonstrantes: Christum autem qui ibi natus est, non tunc quæsitum, sed visum posteà negaturi, nec tunc infantem, sed loquentem posteà necaturi.

Serm. 200. *de Epiph. Dom.* 2. *aliàs de temp.* 30. *cap.* 1. *n.* 2. Timuit enim eum rex Herodes, eisdem sibi Magis nuntiantibus, cùm adhuc quærerent parvulum, quem cognoverant cœlo teste jam natum. Quid erit tribunal judicantis, quando superbos reges cunæ terrebant infantis? Quantò consultiùs nunc reges, non sicut Herodes, interficere quærunt: sed sicut Magi potiùs, adorare delectantur.

Cap. 2. *n.* 3. Magorum illuminatio magnum testimonium cæcitatis exstitit Judæorum. In terra eorum isti requirebant, quem illi in sua non agnoscebant. Apud eos isti infantem invenerunt, quem illi apud se docentem negaverunt.... Jam verò quòd eadem stella, quæ Magos perduxit ad locum, ubi erat cum matre virgine Deus infans, quæ ubique poterat eos et ad ipsam perducere civitatem, se tamen subtraxit, nec iis prorsus apparuit, donec de civitate, in qua Christus nasceretur, iidem ipsi interrogarentur Judæi, ut ipsi eam secundùm divinæ Scripturæ testimonium nominarent, ipsi dicerent, *In Bethlehem Judæ.* (*Matth.* II. 5.) *Si enim scriptum est, Et tu Bethlehem terra Juda non es minima in principibus Juda: ex te enim exiet dux qui reget populum meum Israël.* (*Mich.* V. 2.) Quid aliud hic significavit divina providentia, nisi apud Judæos solas divinas litteras remansuras, quibus gentes instruerentur, illi excæcarentur; quas portarent non ad adjutorium salutis suæ, sed ad testimonium salutis nostræ?

Serm. 201. *de Epiph. Dom.* 3. *aliàs de temp.* 31. *c.* 1. *n.* 2. Illâ luce inchoata est fides gentium, illis tenebris accusata est perfidia Judæorum. Quid erat illa stella, quæ nec unquam anteà inter sidera apparuit, nec posteà demonstranda permansit? Quid erat, nisi magnifica lingua cœli, quæ narraret gloriam Dei, quæ insuitatum Virginis partum insolito fulgore clamaret, cui posteà non apparenti Evangelium toto orbe succederet?

Cap. 2. *n.* 2. Advertamus itaque magnum hoc et mirabile sacramentum. Magi ex gentibus erant, ipse etiam Pilatus ex gentibus: illi stellam viderunt in cœlo, ille titulum scripsit in ligno: utrique lumen non Regem gentium, sed Judæorum, vel quærebant, vel agnoscebant. Judæi verò ipsi nec stellam secuti sunt, nec titulo consenserunt. Jam igitur præsignabatur quod posteà ipse Dominus dixit, *Multi ab Oriente et Occidente venient, et recumbent cum Abraham et Isaac et Jacob in regno cœlorum: filii autem regni ibunt in tenebras exteriores.* (*Matth.* VIII. 11. *et* 12.) Nam Magi ab Oriente, Pilatus ab Occidente venerat. Undè illi Orienti, hoc est nascenti; ille autem Occidenti, hoc est morienti, attestabantur Regi Judæorum: ut cum Abraham et Isaac et Jacob, ex quibus Judæi ducebant originem, recumberent in regno cœlorum, non ex eis propagati per carnem, sed eis inserti per fidem: ut ille de quo Apostolus loquitur, (*Rom.* XI. 17.) olivæ inserendus jam præmonstraretur oleaster. Propterea quippe non Rex gentium, sed Judæo-

rum ab eisdem gentibus, vel quærebatur, vel agnoscebatur; quia oleaster ad olivam, non ad oleastrum oliva veniebat.

Cap. 3. *n.* 3. Magis quærentibus ubi Christus nasceretur, Judæi responderunt, *in Bethlehem Judæ:* (*Matth.* II. 5.) nec tamen ad eum venerunt ipsi, sed eis abscedentibus, Magos ad eum locum in quo infans erat, eadem stella perduxit: ut ostenderetur quòd et civitatem poterat demonstrare, sed ad hoc se aliquantùm subtraxerat, ut Judæi possent interrogari. Ad hoc sunt autem interrogati Judæi ut demonstraretur eos non ad suam, sed ad gentium salutem et agnitionem testimonia divina portare.

Serm. 202. *de Epiphan. Dom.* 4. *aliàs de temp.* 32. *cap.* 2. *n.* 2. Nos autem manifestationem Domini et Salvatoris nostri J. C. quà primitias gentium delibavit, in unitate gentium celebremus. Tunc enim * *puer priùs quàm sciret vocare patrem aut matrem*, sicut de illo fuerat prophetatum, *accepit virtutem Damasci, et spolia Samariæ:* (*Isai.* VIII. 4.).... Samaria namque pro idololatria posita est. Illic enim populus Israël aversus à Domino, ad idola colenda conversus est. Debellaturus scilicet Christus gladio spiritali per universum orbem regnum diaboli, hæc prima puer spolia idololatriæ dominationi detraxit, ut, ad se adorandum Magos conversos, à peste illius superstitionis averteret, et in hac terra nondum loquens per linguam, loqueretur de cœlo per stellam: ut et quis esset, et quò, et propter quos venisset, non voce carnis, sed virtute Verbi, quod caro factum est, demonstraret.

Cap. 3. *n.* 3. Jam verò quem non facit intentum, quid sibi velit quòd Magorum inquisitioni, ubi Christus nasceretur, Judæi de Scriptura responderunt, et ipsi cum eis non adoraverunt? nonne hoc videmus etiam nunc, quando ex ipsis sacramentis, quibus eorum duritia subditur, nihil aliud quàm Christus, in quem nolunt credere, ostenditur? Nonne et quando occidunt ovem, et Pascha manducant, gentibus Christum demonstrant, quem cum eis ipsi non adorant? Nam illud quale est, quod sæpè de testimoniis propheticis, quibus Christus prænuntiatus est, quibusque hominibus dubitantibus, ne fortè à Christianis illa conscripta sint, non adhuc futura, sed facta, ad Judæorum codices, provocamus, ut animos dubitantium confirmemus? Nonne etiam tunc Judæi Christum ostendunt gentibus, quem nolunt adorare cum gentibus?

Serm. 203. *in Epiph. Dom.* 5. *aliàs de divers.* 6. *c.* 1. *n.* 1. Magi primi ex gentibus Christum Dominum cognoverunt, et nondum ejus sermone commoti stellam sibi apparentem et pro infante Verbo visibiliter loquentem, velut linguam cœli, secuti sunt, ut diem salutis primitiarum suarum gentes gratanter agnoscerent, et eum Domino Christo cum gratiarum actione solemni obsequio dedicarent. Primitiæ quippe Judæorum ad fidem revelationemque Christi in illis pastoribus exstiterunt, qui ipso die quo natus est, eum de proximo veniendo viderunt. Illis Angeli, istis stella nuntiavit. Illis dictum est, *Gloria in excelsis Deo:* (*Luc.* II. 14.) in istis impletum est, *Cœli enarrant gloriam Dei.* (*Ps.* XVIII. 2.) Utrique sanè tanquam initia duorum parietum de diverso venientium, circumcisionis et præputii, ad angularem lapidem cucurrerunt: ut esset pax eorum, faciens utraque unum.

Cap. 3. *n.* 7. Veniunt ergo pastores de proximo videre, et Magi de longinquo veniunt adorare. Hæc est humilitas quà inseruit oleaster in olivam, et olivam dare contra naturam; quia naturam meruit mutare per gratiam. Nam cùm hoc oleastro totus silvesceret et amaresceret mundus, per insertionis gratiam pinguefactus enituit. Veniunt enim ab extremo terræ, secundùm Jeremiam, dicentes, *Verè mendacia coluerunt patres nostri:* (*Jerem.* XVI. 19.) et veniunt, non ab una orbis parte, sed, sicut Evangelium secundùm Lucam loquitur, *ab Oriente, et Occidente, ab Aquilone, et Meridie,* (*Luc.* XIII. 29.) qui recumbant cum Abraham et Isaac et Jacob in regno cœlorum.... Celebremus ergo devotissimè etiam istum diem; ei Dominum Jesum, quem primitiæ illæ nostræ adoraverunt jacentem in diversorio, nos habitantem adoremus in cœlo. Hoc quippe in eo illi venerati sunt futurum, quod nos veneramur impletum. Adoraverunt primitiæ gentium inhiantem uberibus matris: adorant gentes sedentem ad dexteram Dei Patris.

dum Doctorum præceptis non moribus, et attendendum his Christi verbis : *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi. Quod dixerint vobis facite ; secundùm verò opera eorum nolite facere ; dicunt enim et non faciunt.* (*Matth.* XXIII. 2. *et* 3.)

I. Quis Magos duxit in Bethlehem ad Christum ?

R. Cùm exirent Jerosolymis, *stella quam viderant in oriente antecedebat eos usque dum veniens staret supra ubi erat puer.* (*Matth.* II. 9.)

I. Quid egerunt Magi ubi Christum invenerunt ?

R. Procidentes adoraverunt eum : et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, Aurum, Thus et Myrrham. (*Matth.* II. 11.) Aurum Regi, Thus Deo, Myrrham homini mortali. (I)

S. LEO. *Serm.* 32. *in Epiph. Dom.* 3. *Cap.* 3. (*Magi*) in urbe regia ostendi sibi postulant, quem ad regnandum didicerant procreatum. Conturbatur Herodes, timet saluti suæ, meluit potestati, requirit à Sacerdotibus et Doctoribus legis, quid de ortu Christi Scriptura prædixerit, in notitiam venit quod fuerat prophetatum ; veritas illuminat Magos, infidelitas obcæcat magistros : carnalis Israël non intelligit quod legit, non videt quod ostendit ; utitur paginis, quarum non credit eloquiis. *Ubi est*, Judæe, *gloriatio tua ?* (*Rom.* III. 27.) Ubi de Abraham patre ducta nobilitas ? Nonne *circumcisio tua præputium facta est.* (*Rom.* II. 25.) Ecce major servis minori, et alienigenis in sortem hæreditatis tuæ intrantibus ejus testamenti, quod in sola littera tenes, recitatione famularis. Intret, intret in Patriarcharum familiam gentium plenitudo, et benedictionem in semine Abrahæ, quâ se filii carnis abdicant, filii promissionis accipiant. Adorent in tribus Magis omnes populi universitatis auctorem : et non in Judæa tantùm Deus, sed in toto orbe sit notus, ut ubique *in Israël sit magnum nomen ejus.* (*Ps.* LXXV. 2.) Quoniam hanc electi generis dignitatem sicut infidelitas in suis posteris convincit esse degenerem, ita fides omnibus facit esse communem.

Idem docet in aliis Serm. quos vide infrà hocce c. litt. (M)

S. BERNARD. *Serm.* 3. *in Epiphan. Dom. n.* 3. Infelix Judæa, quia lucem oderat, ad fulgorem novæ claritatis obtenebratur : et caligantes oculi ejus coruscante radio solis æterni multò magis excæcantur. Venientes ergo ab Oriente Magi, quid dixerint audiamus : *Ubi est qui natus est Rex Judæorum ?* (*Matth.* II. 2.) Quàm certa fides, et nihil penitùs hæsitans. Non quærunt utrùm natus sit : sed fiducialiter loquuntur, et interrogant sine dubitatione, ubi sit qui natus est rex Judæorum. Porrò audito (nec mirum) nomine Regis, rex Herodes successorem suspicatus expavit. Nec mirum si turbatur Herodes : sed quòd Hierusalem civitas Dei (quæ visio pacis est) cum Herode turbatur, quis non miretur ? Videte, fratres, quantùm noceat iniqua potestas, quomodo caput impium subjectos quoque suæ conformat impietati ! Misera planè civitas, in qua regnat Herodes, quoniam Herodianæ sine dubio particeps erit malitiæ, et ad novæ salutis ortum Herodianâ movebitur turbatione. Confido ego in Domino, quoniam inter nos minimè regnabit : etiam si adesse contingat, quod et ipsum Deus avertat. Nam Herodiana malitia, et Babylonica crudelitas est nascentem velle exstinguere religionem, et allidere parvulos Israëlis. Si quid enim ad salutem pertinens, si quid religionis oritur : quicunque resistit, quicunque repugnat, planè cum Ægyptiis parvulos Israëlitici germinis necare conatur : immò cum Herode nascentem persequitur Salvatorem.

(I) S. HILARIUS *in Matth. c.* 1. *n.* 5. Oblatio munerum, intelligentiam in eo (*Christo*) totius qualitatis expressit : in auro Regem, in thure Deum, in myrrhâ hominem confitendo. Atque ita per venerationem eorum, sacramenti omnis est consummata cognitio : in homine mortis, in Deo resurrectionis, in Rege judicii.

I. Quomodo solemnitatem hanc agere debemus ex mente Ecclesiæ ?

R. 1. Agere debemus gratias Deo, qui non secundùm opera quæ fecimus nos, sed secundùm misericordiam suam magnam, nos gentes olim, vocavit ad Christum : cùm Judæi gentesque aliæ tam multæ etiamnum in suis tenebris permaneant. (K)

S. Hieron. *in cap.* 2. *Matth.* Pulcherrimè munerum sacramenta Juvencus Presbyter uno versiculo comprehendit :

Thus, aurum, et myrrham, Regique, hominique, Deoque
Dona ferunt.

S. Aug. *Serm.* 202. *aliàs de temp.* 32. *in Epiphan. Dom.* 4. A Magis illis non solùm aurum honorandus, et thus adorandus, verùm etiam myrrham sepeliendus acceperat....

S. Leo. Magn. *Serm.* 30. *in Epiphan. solemn.* 1. *cap.* 2. Consummant ergo Magi desiderium suum, et ad puerum Dominum Jesum Christum eàdem stellâ præeunte perveniunt. Adorant in carne Verbum, in infantia sapientiam, in infirmitate virtutem, et in hominis veritate Dominum majestatis : utque sacramentum fidei suæ intelligentiæque manifestent, quod cordibus credunt, muneribus protestantur. Thus Deo, myrrham homini, aurum obtulerunt Regi : scienter divinam humanamque naturam in unitate venerantes : quia quod erat in substantiis proprium, non erat in persona diversum.

(K) Rom. IX. 22. Quòd si Deus volens ostendere iram, et notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia, vasa iræ, apta in interitum. 23. Ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ quæ præparavit in gloriam. 24. Quos et vocavit nos non solùm ex Judæis, sed etiam ex gentibus. 25. Sicut in Osee dicit : (II. 24.) Vocabo non plebem meam, plebem meam : et non dilectam, dilectam ; et non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam. 26. Et erit : In loco, ubi dictum est eis (I. 10.) Non plebs mea vos : ibi vocabuntur filii Dei vivi.... 30. Quid ergo dicimus : Quòd gentes, quæ non sectabantur justitiam : apprehenderunt justitiam : justitiam autem, quæ ex fide est.

X. 9. Quia si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, et in corde tuo credideris, quòd Deus illum suscitavit à mortuis, salvus eris. 10. Corde enim creditur ad justitiam : ore autem confessio fit ad salutem. 11. Dicit enim scriptura : (*Isaï.* XXVIII. 16.) Omnis qui credit in illum non confundetur. 12. Non enim est distinctio Judæi, et Græci : nam idem Dominus omnium dives in omnes qui invocant illum.... 19. Sed dico, Nunquid Israël non cognovit ? Primus Moïses dicit : (*Deut.* XXXII. 21.) Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem : in gentem insipientem, in iram vos mittam. 20. Isaïas autem audet, et dicit : (LXV. 1.) Inventus sum à non quærentibus me : palàm apparui iis, qui me non interrogabant. 21. Ad Israel autem dicit : (*Ibid.* 2.) Totâ die expandi manus meas ad populum non credentem, et contradicentem.

XI. 11. Dico ergo : Nunquid sic offenderunt ut caderent ? Absit. Sed illorum delicto, salus est Gentibus ut illos æmulentur. 12. Quòd si delictum illorum divitiæ sunt mundi, et diminutio eorum divitiæ Gentium : quantò magis plenitudo eorum. 13. Vobis enim dico Gentibus : Quandiu quidem ego sum Gentium Apostolus, ministerium meum honorificabo. 14. Si quomodo ad æmulandum provocem carnem meam, et salvos faciam aliquos ex illis. 15. Si enim amissio eorum, reconciliatio est mundi : quæ assumptio, nisi vita ex mortuis ? 16. Quòd si delibatio sancta est, et massa : et si radix sancta, et rami. 17. Quòd si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem cùm oleaster esses, insertus es in illis, et socius radicis, et pinguedinis olivæ factus es. 18. Noli gloriari adversùs ramos. Quòd si gloriaris : non tu radicem portas, sed radix te. 19. Dices ergo : Fracti sunt rami ut ego inserar. 20. Benè ; propter incredulitatem fracti sunt. Tu autem fide stas : noli altum sapere, sed time. 21. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat. 22. Vide ergo bonitatem, et severitatem Dei : in eos quidem, qui ceciderunt,

2. Christum oportet adorare Magorum instar aurum, thus, myrrham offerendo. Aurum, divitias in membrorum Christi sustentationem et templorum decus et ornamentum. Thus, orationem, quæ dirigatur sicut incensum in conspectu illius. Myrrham, cujus acerbitas designat maximè carnis mortificationem. (L)

Abstinendum hâc die ab omni profana oblectatione; et

severitatem : in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate, alioquin et tu excideris. 23. Sed et illi, si non permanserint in incredulitate, inserentur : potens est Deus iterùm inserere illos. 24. Nam si tu ex naturali excisus es oleastro, et contra naturam insertus es in bonam olivam : quantò magis ii, qui secundùm naturam inserentur suæ olivæ. 25. Nolo enim vos ignorare, fratres, mysterium hoc, (ut non sitis vobis ipsis sapientes) quia cæcitas ex parte contigit in Israël, donec plenitudo Gentium intraret.... 28. Secundùm Evangelium quidem, inimici propter vos : secundùm electionem autem, charissimi propter patres. 2. Sine pœnitentia enim sunt dona, et vocatio Dei. 30. Sicut enim aliquando et vos non credidistis Deo, nunc autem misericordiam consecuti estis propter incredulitatem illorum : 31. Ita et isti nunc non crediderunt in vestram misericordiam, ut et ipsi misericordiam consequantur. 23. Conclusit enim Deus omnia in incredulitate, ut omnium misereatur.

Vide S. Aug. *serm. in Epiphan. suprà hocce* §. *litt.* (H) *et alios Patres ibidem laudatos.*

S. Hilar. *comm. in Matth. cap.* 1. *n.* 5. Stellæ autem ortus primùm à Magis intellectus, indicat mox gentes in Christum credituras, et homines professionis longè à scientia divinæ cognitionis aversæ, lumen quod statim in ortu ejus exstitit cognituros.

Vide S. Leonis *serm. in Epiph. infrà hocce* 2. *litt.* (M)

(L) S. Bernard. *Serm.* 3. *in Epiphan. Dom. n.* 5. *Apertis thesauris suis*, ait Evangelista, *obtulerunt ei munera, aurum, thus, et myrrham.* (*Matth.* II. 11.) Si solùm obtulissent aurum, videri fortassè poterant paupertati Matris voluisse consulere, ut haberet nimirùm, undè parvulum posset filium educare. Nunc autem offerentes pariter aurum, thus, et myrrham; sine dubio spiritualis oblationis genus insinuant. Aurum enim inter divitias seculi videtur excellere, quod per ejus gratiam omnes nos devote obtulimus Salvatori, cùm pro ejus nomine ex integro derelinquimus substantiam hujus mundi. Jam verò necesse est, ut qui perfectè terrena contempsimus, flagranti desiderio cœlestia requiramus. Sic enim offerimus et thuris adoramentum; quo nimirùm, ut in Apocalypsi beati Joannis legis, significantur *orationes sanctorum.* (*Apoc.* v. 8.) Undè et Prophela in Psalmo, *Dirigatur*, inquit, *oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.* (*Psal.* cxl. 2.) Sic et in alio loco legis, *Quia oratio justi cœlos penetrat.* (*Eccli.* xxxv. 21.) Oratio, inquam, non cujuslibet, sed justi. Nam qui avertit aurem suam ne audiat legem, oratio ejus erit exsecrabilis.

N. 6. Porrò si justus esse volueris, et non avertere aurem tuam à mandatis Domini, ne avertat et ipse suam à precibus tuis : necesse est ut non solùm præsens seculum contemnas, sed et ipsam carnem castiges, et subjicias servituti. Nam qui dixit, (*Luc.* xiv. 33.) *nisi quis abrenuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus :* et alibi, (*Matth.* xix. 21.) *Si vis esse perfectus, vade et vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et veni, sequere me :* idem ipse in alio loco ait : (*Luc.* ix. 23.) *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.* Quod exponens Apostolus, *Quicunque*, inquit, *sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.* (*Gal.* v. 24.) Duas igitur alas habeat ratio nostra, contemptum mundi, et afflictionem carnis : nec dubium quin cœlos penetret, *et dirigatur sicut incensum in conspectu Dei.* (*Psal.* cxl. 2.) Erit enim gratum sacrificium, et acceptabilis oblatio nostra, in qua cum auro et thure fuerit etiam et myrrha, quæ licèt amara sit, tamen perutilis est, et conservat corpus, quod mortuum est propter peccatum, ne defluens in vitium putrefiat.

Magorum exemplo, quod vel Deo inspirante vel fide illuminante faciendum esse novimus, id sequendum prorsùs ex certo animi proposito. (M)

(M) S. Gregor. Nazian. *Orat.* 39. *in sancta lumina*, *pag.* 633. *tom.* 1. *edit. Paris. in fol. ann.* 1609. *n.* 27. Baptizat Joannes : Jesus accedit, fortassè ut ipsum quoque, à quo baptizatur, sanctitate afficiat ; procul dubio autem, ut totum veterem Adam in aquis sepeliat... Nos autem hodie Christi baptismum honore complectamur, ac festum honestè celebremus, non ventris deliciis operam dantes, sed spiritualiter nosmetipsos oblectantes.

S. Aug. *Serm.* 202. *aliàs de temp.* 32. *in Epiphan. Dom.* 4. *cap.* 3. Nos ergo, charissimi, quorum erant illi Magi primitiæ, nos hæreditas Christi usquè ad terminos terræ, propter quos *cæcitas ex parte in Israël facta est*, *ut plenitudo gentium intraret*, (*Rom.* xi. 25.) cognito Domino et Salvatore nostro Jesu Christo, qui propter nos consolandos tunc jacuit in angusto diversorio : nunc propter sublimandos sedet in cœlo ; sic eum annuntiemus in hac terra, in hac regione carnis nostræ, ut non quà venimus redeamus, nec prioris nostræ conversationis vestigia repetamus. Hoc est enim quòd et illi Magi non quà venerant redierunt. Via mutata, vita mutata est.

Alios S. Aug. Serm. revolve, *hos habes suprà hocce* §. *litt.* (H)

S. Leo. Mag. *Serm.* 30. *in Epiphan. Dom.* 1. *cap.* 1. Ab omnibus voluit agnosci, qui dignatus est omnibus nasci. Tribus igitur Magis in regione Orientis stella novæ claritatis apparuit, quæ illustrior cæteris pulchriorque sideribus, facilè in se intuentium oculos animosque converteret : ut confestim adverteretur non esse otiosum, quod tam insolitum videbatur. Dedit ergo aspicientibus intellectum, qui præstitit signum : et quod fecit intelligi, fecit inquiri, et se inveniendum obtulit requisitus.

Cap. 2. Sequuntur tres viri superni luminis ductum, et prævii fulgoris indicium intentà contemplatione comitantes, ad agnitionem veritatis, gratiæ splendore ducuntur.

Serm. 31. *in Epiphan. Dom.* 2. *cap.* 4. Agnoscamus ergo, Dilectissimi, in Magis adoratoribus Christi, vocationis nostræ fideique primitias, et exultantibus animis beatæ spei initia celebremus. Exindè enim in æternam hæreditatem cœpimus introire.. Exindè nobis Christum loquentia Scripturarum arcana patuerunt ; et veritas, quam Judæorum obcæcatio non recipit, omnibus nationibus lumen suum invexit. Honoretur itaque à nobis sacratissimus dies, in quo salutis nostræ auctor apparuit : et quem Magi infantem venerati sunt in cunabulis, nos omnipotentem adoremus in cœlis. Ac sicut illi de thesauris suis mysticas Domino munerum species obtulerunt : ita et nos de cordibus nostris, quæ Deo sunt digna promamus. Quamvis enim omnium bonorum sit ipse largitor, etiam nostræ tamen fructum quærit industriæ : non enim dormientibus provenit regnum cœlorum, sed in mandatis Dei laborantibus atque vigilantibus ; ut si dona illius irrita non fecerimus, per ea, quæ dedit, mereamur accipere quod promisit.

Cap. 4. Adorato autem Domino Magi, et omni devotione completâ, secundùm admonitionem somnii, non eodem quo venerant itinere revertuntur. Oportebat enim ut jam in Christum credentes, non per antiquæ conversationis semitas ambularent : sed novam ingressi viam à relictis erroribus abstinerent.

Cap. 5. His igitur, Dilectissimi, divinæ gratiæ mysteriis eruditi, diem primitiarum nostrarum, et inchoationem vocationis gentium, rationabili gaudio celebremus : gratias agentes misericordi Deo, *qui dignos nos fecit*, sicut ait Apostolus, (*Coloss.* i. 12. *et* 13.) *in partem sortis sanctorum in lumine : qui eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum filii dilectionis suæ :* quoniam, sicut prophetavit Isaias, (ix. 2.) *Gentium populus, qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam : et qui habitabant in regione umbræ mortis, lux orta est eis*, de quibus idem dicit ad Dominum : " *Gentes quæ te non noverunt, invocabunt te : et populi qui te nesciebant, ad te confugient.* (*Isai.* lv. 5.) Hunc diem Abraham vidit, et gavisus est, (*Joan.* viii. 56.) cùm benedicendos fidei suæ filios in semine suo, quod

est Christus, agnovit, et omnium se futurum gentium patrem credendo prospexit, *dans gloriam Deo, et plenissimè sciens, quoniam quod promisit, potens est et facere.* (*Rom.* IV. 18. 21.) Hunc diem David in Psalmis canebat, dicens : *Omnes gentes quascunque fecisti, venient et adorabunt coram te Domine, et glorificabunt nomen tuum.* (*Ps.* LXXXV. 9.) Et illud, *notum fecit Dominus salutare suum, ante conspectum gentium revelavit justitiam suam.* (*Ps.* XCVII. 2.) Quod utique exindè fieri novimus, ex quo tres Magos, de longinquitate suæ regionis excitatos, ad cognoscendum et adorandum Regem cœli et terræ stella perduxit. Cujus utique famulatus ad formam nos sui hortatur obsequii : ut huic gratiæ, quæ omnes invitat ad Christum, quantùm possumus, serviamus. Quicunque enim in Ecclesia piè vivit et castè, quia ea *quæ sursùm sunt sapit, non quæ super terram,* (*Coloss.* III. 2.) cœlestis quodammodo instar est luminis ; et dum ipse sanctæ vitæ nitorem servat, multis viam ad Dominum quasi stella demonstrat.

Serm. 33. *in Epiphan. Dom.* 4. *cap.* 1. Nova etenim claritas apud Magos stellæ illustrioris apparuit, et intuentium ánimos ita admiratione sui splendoris implevit, ut nequaquam sibi crederent negligendum, quod tanto nuntiabatur indicio. Præerat autem, sicut res docuit, huic miraculo gratia Dei ; et cùm Christi nativitatem nec ipsa adhuc Bethlehem tota didicisset, jam illam creditoris gentibus inferebat : et quod nondum poterat humano eloquio disseri, cœlo faciebat evangelizante cognosci.

Cap. 2. Quamvis autem divinæ dignationis esset hoc munus, ut agnoscibilis gentibus fieret Nativitas Salvatoris, ad intelligendum tamen miraculum signi potuerunt Magi etiam de antiquis Balaam prænuntiationibus commoneri, scientes olim esse prædictum, et celebri memoriâ diffamatum : *Orietur stella ex Jacob, et exsurget homo ex Israël, et dominabitur gentium.* (*Num.* XXIV. 17.) Tres itaque viri, fulgore insoliti sideris divinitùs incitati, prævium micantis luminis cursum sequuntur, existimantes se significatum puerum Jerosolymis in civitate regia reperturos. Sed cùm eos hæc opinio fefellisset, per Judæorum Scribas atque Doctores, quod sacra de ortu Christi prænuntiaverat Scriptura, didicerunt : ut gemino testimonio confirmati, ardentiori fide expeterent, quem et stellæ claritas, et prophetiæ manifestabat auctoritas.

Cap. 3. *Et procidentes adoraverunt eum : et apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus, et myrrham.* (*Matth.* II. 11.) O perfectæ scientiæ mirabilem fidem, quam non terrena sapientia erudivit, sed Spiritus sanctus instituit ! Undè enim hi viri, cùm proficiscerentur de patria, qui nondum viderant Jesum, nec aliquid contuitu ejus, quo eum tam ordinatè venerarentur, adverterant, hanc deferendorum munerum servavere rationem ? Nisi quia præter illam stellæ speciem, quæ corporeum incitavit obtutum, fulgentior veritatis radius eorum corda perdocuit : ut priusquam labores itineris inchoarent, eum sibi significari intelligerent, cui in auro regius honor, in thure divina veneratio, in myrrha mortalitatis confessio deberetur. Et quæ quidem, quantùm ad illuminationem fidei pertinebat, potuerunt illis credita et intellecta sufficere, ut corporali intuitu non inquirerent, quod plenissimo visu mentis inspexerant. Sed diligentia sagacis officii usque ad videndum puerum perseverans, futuri temporis populis et nostri seculi hominibus serviebat : ut sicut omnibus nobis profuit, quòd post resurrectionem Domini vestigia vulnerum in carne ejus Thomæ Apostoli exploravit manus, ita ad nostram utilitatem proficeret, quòd in infantia ipsius Magorum probavit aspectus. Viderunt itaque Magi, et adoraverunt puerum de tribu Juda, *De semine David secundùm carnem* (*Rom.* 1. 3.), *factum ex muliere, factum sub lege* (*Galat.* IV. 4.), *quam non solvere venerat, sed adimplere.* (*Matth.* V. 17.) Viderunt et adoraverunt puerum, quantitate parvulum, alienæ opis indigum, fandi impotem, et in nullo ab humanæ infantiæ generalitate dissimilem. Quia sicut fidelia erant testimonia, quæ in eo majestatem invisibilis Deitatis assererent, ita probatissimum esse decebat Verbum carnem factum, et sempiternam illam essentiam Filii Dei, hominis veram susceptisse naturam : ne vel ineffabilium operum secutura miracula, vel excipiendarum supplicia passionum, sacramentum fidei ex rerum diversitate cùm turbarent :

justificari omninò non possent, nisi qui Dominum Jesum et verum Deum et verum hominem credidissent.

Serm. 34. *in Epiphan. solemn.* 5. *cap.* 1. Hic ille est dies, quod ad cognoscendum adorandumque Dei Filium tres Magos prævia stella perduxit.... Hoc autem signum, quod Magos in longinquo positos et efficaciter movit, et ad Dominum Jesum perseveranter attraxit, illius sine dubio gratiæ sacramentum, et illius fuit vocationis exordium, quâ nimirùm non in Judæa tantùm, sed etiam in toto mundo Christi erat Evangelium prædicandum, ut per illam stellam, quæ Magorum visui splenduit, Israëlitarum verò oculis non refulsit, et illuminatio significata sit gentium, et cæcitas Judæorum.

Cap. 2. Permanet igitur, Dilectissimi, sicut evidenter apparet, mysticorum forma gestorum: et quod imagine inchoabatur, veritate completur. Radiat namque è cœlo stella per gratiam, et tres Magi coruscatione Evangelici fulgoris acciti, in omnibus quotidie nationibus ad adorandam potentiam summi Regis accurrunt. Herodes quoque in diabolo fremit, et auferri sibi iniquitatis suæ regnum in iis, qui ad Christum transeunt, ingemiscit. Undè si parvulos interficiat, Jesum sibi videtur occidere. Quod utique facere sine cessatione molitur, dum primordiis renatorum Spiritum sanctum eripere, et quamdam teneræ fidei velut infantiam tentat exstinguere. Judæi verò, qui extra regnum Christi esse voluerunt, adhuc quodammodo sub Herodis sunt principatu, et dominante sibi Salvatoris inimico, alienigenæ serviunt potestati, quasi nesciant prophetatum, dicente Jacob: *Non deficiet princeps ex Juda, et dux de femoribus ejus, donec veniat cui reposita sunt: et ipse est exspectatio gentium.* (*Gen.* XLIX. 10.) Sed nondum intelligunt quod negare non possunt et mente non capiunt quod Scripturarum narratione noverunt: quoniam insanis magistris veritas scandalum est, et cæcis doctoribus fit caligo, quod lumen est. Respondent itaque interrogati, quòd in Bethlehem nascitur Christus; et scientiam suam, quâ alios instruunt, non sequuntur. Undè quod illi tres viri universarum gentium personam gerentes, adorato Domino sunt adepti, hoc in populis suis per fidem, quæ justificat impios, totus mundus assequitur: et hæreditatem Domini ante secula præparatam accipiunt adoptivi, et perdunt qui videbantur esse legitimi.

Cap. 3. Considerantes itaque, Dilectissimi, ineffabilem erga nos divinorum munerum largitatem, cooperatores simus gratiæ Dei, operantis in nobis. Non enim dormientibus provenit regnum cœlorum, nec otio desidiaque torpentibus beatitudo æternitatis ingeritur: sed quia, sicut Apostolus ait, (*Rom.* VIII. 17.) *si compatimur et conglorificabimur*, illa nobis currenda est via, quam ipse Dominus se esse testatus est: (*Joan.* XIV. 6.) qui nobis nullis operum meritis suffragantibus, et sacramento consuluit, et exemplo: ut in adoptionem vocatos per illud proveheret ad salutem, per hoc imbueret ad laborem. Hic autem labor, Dilectissimi, piis filiis et bonis servis non solùm nec asper, nec onerosus, sed etiam suavis et lenis est, dicente Domino: (*Matth.* XI. 28. 29. *et* 30.) *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ergo reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, et discite à me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve.* Nihil ergo, Dilectissimi, arduum est humilibus, nihil asperum mitibus, et facilè omnia præcepta veniunt in effectum, quando et gratia prætendit auxilium, et obedientia mollit imperium. Intonante enim quotidie auribus nostris eloquio Dei, omnis homo, qui divinæ justitiæ placeat, scire convincitur.

Serm. 36. *in Epiphan. solemn.* 6. *cap.* 1. Dies, Dilectissimi, quo primùm gentibus Salvator mundi Christus apparuit, sacro nobis honore venerandus est: et illa hodie cordibus nostris concipienda sunt gaudia, quæ in trium Magorum fuere pectoribus; quando Regem cœli et terræ signo et ductu novi sideris incitati, quem crediderant promissum, adoravere conspicuum. Neque enim ita ille emensus est dies, ut virtus operis, quæ tunc est revelata, transierit, nihilque ad nos nisi rei gestæ fama pervenerit, quam fides susciperet, et memoria celebraret: cùm multiplicato munere Dei, etiam quotidie nostra experiantur tempora, quidquid illa habuere primordia. Quamvis ergo narratio Evangelicæ lectionis illos pro-

De Christi Baptismo, itemque de primo Christi miraculo quod in Cana Galilææ Christus edidit legantur et Evangelistæ et ea quæ de his suprà diximus. (*Primâ Parte hujusce Operis, Sect. 2. Cap. 1. §. 5. et 6.*)

§. 8. De Præsentatione Domini in Templo, et de Purificatione B. Mariæ Virginis.

I. Quæ solemnitas agitur postridiè Kalendas Februarii?

R. Solemnitas duplex. 1. *Ypapantes*, id est, præsentationis Domini in Templo. 2. Purificationis B. Mariæ Virginis Deiparæ. (A)

I. A quibus, et cur, et quando Christus in Templo præsentatus est?

R. Christus à Virgine matre oblatus est Deo in Templo quadragesimâ post nativitatem die, juxta legem Moysi, quâ præceptum erat ut singuli primogeniti sisterentur Domino à parentibus et statim pretio redimerentur. (B)

priè recenseat dies, in quibus tres viri, quos nec prophetica prædicatio docuerat, nec testificatio legis instruxerat, ad cognoscendum Deum à remotissima Orientis parte venerunt, hoc idem tamen et manifestiùs nunc et copiosiùs fieri in omnium vocatorum illuminatione perspicimus; quoniam impletur prophetia Isaïæ dicentis: *Revelavit Dominus brachium sanctum suum in conspectu omnium gentium, et viderunt omnes gentes terræ salutem, quæ à Domino Deo nostro est.* (*Isai.* LII. 10.) Et iterùm, *et quibus non est annuntiatum de eo, videbunt: et qui non audierunt, intelligent.* (*Ibid.* 15.) Undè cùm cernimus homines mundanæ sapientiæ deditos, et à Jesu Christi confessione longinquos, de profundo erroris sui educi, et ad agnitionem veri luminis advocari, divinæ procul dubio gratiæ splendor operatur; et quidquid in cordibus tenebrosis novæ lucis apparet, et ejusdem stellæ radiis micat: ut mentes, quas suo fulgore contigerit, et miraculo moveat, et ad Deum adorandum præeundo perducat. Si autem sollicito intellectu velimus aspicere, quomodo etiam triplex illa species munerum ab omnibus, qui ad Christum gressu fidei veniunt, offeratur, nonne in cordibus rectè credentium eadem celebratur oblatio? Aurum etenim de thesauro animi sui promit, qui Christum Regem universitatis agnoscit: myrrham offert, qui unigenitum Dei credit veram sibi hominis uniisse naturam: et quodam cum thure veneratur, qui in nullo ipsum Paternæ majestati imparem confitetur.

Serm. 36. *in Epiphan. solemn.* 7. *cap.* 2. Cùm tres Magos ad adorandum Jesum novi sideris claritas deduxisset, non eum imperantem dæmonibus, non mortuos suscitantem, non cæcis visum, aut claudis gressum, aut mutis eloquium reformantem, vel in aliqua divinarum virtutum actione viderunt; sed puerum silentem, quietum, et sub matris sollicitudine constitutum; in quo nullum quidem apparet de potestate signum, sed magnum præbetur de humilitate miraculum.

Serm 37. *in Epiphan. solemn.* 8. *cap.* 1. In stellæ fulgore Dei gratia, et in tribus viris vocatio gentium, et in rege impio crudelitas paganorum, et in occisione infantium cunctorum Martyrum forma præcessit.

(A) S. Bernard. *in Purific. B. Mariæ Serm.* 3. *n.* 1. *Vide infrà hocce 2. litt.* (H)

M. De Tillemont, *Note* 7. *sur J. C. tom.* 1. Nous apprenons au moins de la vie de saint Theodose Abbé, que la fête de la Purification se faisait à Jerusalem au milieu du V. Siècle: et il paraît qu'elle n'y était point nouvelle. *Lege hanc Notam apud auctorem.*

(B) Levit. XII. 2. Loquere filiis Israël, et dices ad eos: Mulier, si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit septem diebus, juxta dies separationis menstruæ. 3. Et die octavo circumcidetur infantulus. 4. Ipsa verò triginta tribus diebus manebit in sanguine purifica-

I. Cur Deus hanc legem sanxit?

R. Ut meminissent Hebræi magni illius miraculi quod factum est cùm eduxit Deus patres eorum ex Ægypto. Occidit enim Angelus omnem primogenitum Ægyptiorum, primogenitos autem Hebræorum servavit. (C)

I. Quid egit Christus in Templo dum à Matre offerretur Deo?

R. Obtulit ipse semetipsum Deo Patri hostiam sanctam, quâ solâ placari Deus posset. (D) Quin et jam tum manifestavit gloriam suam his qui aderant. Nam ipso inspirante agnovit eum ut Christum Simeon senex vir sanctissimus; agnovit et mulier sanctissima Anna nomine. (E)

Simeon accepit eum in ulnas suas gaudens; et plenus Spiritu sancto pronuntiavit Canticum Propheticum, quod canit Ecclesia quotidie.

Nunc dimittis, inquit, *servum tuum, Domine, secundùm verbum tuum in pace: Quia viderunt oculi mei salutare tuum: quod parasti ante faciem omnium populorum; Lumen ad revelationem gentium, et gloriam plebis tuæ Israël.* (*Luc.* II. 29. *et seq.*)

tionis suæ. Omne sanctum non tanget, nec ingredietur in sanctuarium, donec impleantur dies purificationis suæ.... Cumque expleti fuerint dies purificationis suæ, pro filio, sive pro filia deferet agnum anniculum in holocaustum, et pullum columbæ sive turturem pro peccato, ad ostium tabernaculi testimonii, et tradet Sacerdoti. 7. Qui offeret illa coram Domino, et orabit pro ea, sic mundabitur à profluvio sanguinis sui. Ista est lex parientis masculum.... 8. Quòd si non invenerit manus ejus, nec potuerit offerre agnum, sumet duos turtures vel duos pullos columbarum, unum in holocaustum, et alterum pro peccato. Orabitque pro ea Sacerdos, et sic mundabitur.

Luc. II. 22. Et postquam impleti sunt dies purgationis ejus (Mariæ) secundùm legem Moysi, tulerunt illum (Jesum) in Jerusalem, ut sisterent illum Domino. 23. Sicut scriptum est in lege Domini: (*Levit.* XII. 6.) Quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur. 24. Et ut darent hostiam secundùm quod dictum est in lege Domini, (*Ibid.* 8.) Par turturum, aut duos pullos columbarum.

(C) Exod. XIII. 2. Sanctifica mihi omne primogenitum quod aperit vulvam in filiis Israël, tam de hominibus quàm de jumentis: mea sunt enim omnia.

(D) Hebr. X. 6. Holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. 7. Tunc dixi; Ecce venio: in capite libri scriptum est de me: ut faciam, Deus, voluntatem tuam.

Psal. XXXIX. 7. Sacrificium et oblationem noluisti: aures autem perfecisti mihi. Holocaustum et pro peccato non postulasti. 8. Tunc dixi: Ecce venio: in capite libri scriptum est de me, 9. ut facerem voluntatem tuam. Deus meus volui, et legem tuam in medio cordis mei.

(E) Luc. II. 25. Et ecce homo erat in Jerusalem cui nomen Simeon, et homo iste justus et timoratus, exspectans consolationem Israël, et Spiritus sanctus erat in eo. 26. Et responsum acceperat à Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi priùs videret Christum Domini. 27. Et venit in spiritu in templum. Et cùm inducerent puerum Jesum parentes ejus, ut facerent secundùm consuetudinem legis pro eo: 28. et ipse accepit eum in ulnas suas et benedixit Deum, et dixit: 29. Nunc dimittis servum tuum Domine, secundùm verbum tuum in pace, 30. Quia viderunt oculi mei salutare tuum, 31. Quod parasti ante faciem omnium populorum; 32. Lumen ad revelationem gentium, et gloriam plebis tuæ Israël. 33. Et erat pater ejus, et mater mirantes super his, quæ dicebantur de illo.

Hoc dicto Simeon prædixit Christum positum esse in ruinam et in resurrectionem multorum, et in signum cui futurum erat ut contradiceretur. Animam autem B. Mariæ Virginis esse præ dolore veluti gladio transverberandam.

Anna prophetissa simul loquebatur de Christo omnibus qui exspectabant redemptionem Israël. (F)

I. Quid intelligis per Purificationem B. Mariæ Virginis ?

R. Intelligo eum ritum quem ex lege Moysi observare tenebantur die quadragesimo post partum masculi, octogesimo post partum feminæ omnes mulieres, ut oblatione sacrificii purgarentur. (G) Huic autem legi subdidit se ultrò B. Virgo Deipara, licèt ea lex non ipsi, sed cæteris mulieribus posita esset.

I. Cur huic legi non erat subdita B. Virgo Deipara, sicut et cæteræ mulieres ?

R. Quia lex ea posita fuerat Judæis, ut vel hoc ipso ritu intelligerent peccato originis vitiatam fuisse nativitatem singulorum hominum, et propterea debuisse hoc ritu ex lege purgari mulieres post partum.

Nihil autem sordis et peccati vel vitii inerat sive in conceptione Christi, sive in partu Virginis ; nihil ergo habuit purgandum Virgo Deipara. (H)

I. Cur ergo paruit huic legi Virgo Deipara ?

(F) Luc. II. 34. Et benedixit illis Simeon : et dixit ad Mariam matrem ejus : Ecce positus est hic in ruinam, et in resurrectionem multorum in Israël : et in signum, cui contradicetur. 35. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes. 36. Et erat Anna prophetissa, filia Phanuel de tribu Afer ; hæc processerat in diebus multis, et vixerat cum viro suo annis septem à virginitate sua. 37. Et hæc vidua usque ad annos octoginta quatuor : quæ non discedebat de templo, jejuniis et obsecrationibus serviens nocte ac die. 38. Et hæc, ipsâ horâ superveniens, confitebatur Domino : et loquebatur de illo omnibus, qui exspectabant redemptionem Israël. 39. Et ut perfecerunt omnia secundùm legem Domini, reversi sunt in Galilæam in civitatem suam Nazareth.

(G) Levit. xii. 2. *Vide suprà hocce §. litt.* (B)

(H) S. Bernard. *in Purif. B. Mariæ Serm.* 3. *n.* 1. Purificationem bealæ Mariæ Virginis hodie celebramus, quæ secundùm legem Moysi facta est, transactis à Nativitate Domini quadraginta diebus. In lege enim scriptum erat, ut mulier quæ suscepto semine peperisset filium, immunda esset septem diebus, et octavo die circumcideretur puer : deinc absolutioni et purificationi intenta abstineret ab ingressu templi triginta tribus diebus, quibus explelis offerret filium Domino cum muneribus. Sed quis non advertat in ipso sententiæ hujus initio liberam Matrem Domini ab hoc præcepto ? Putas enim quia dicturus Moyses mulierem, quæ peperisset filium, immundam esse, non timuerit super matre Domini blasphemiæ crimen incurrere, et idcirco præmiserit, *suscepto semine ?* Alioquin nisi parituram prævidisset sine semine Virginem, quæ necessitas erat de suscepto semine fieri mentionem ? Patet itaque quod lex ista Matrem Domini non includit, quæ non susceplo semine filium peperit, sicut prædictum erat per Hieremiam : quia novum faceret Dominus super terram. Quæris quod novum ? *Mulier*, inquit, *circumdabit virum.* (*Jerem.* xxxi. 22.) Non ab altero viro virum suscipiet, non humanâ lege concipiet hominem : sed intra viscera intacta et integra virum claudet : ita sanè ut intrante et exeunte Domino, juxta alium Prophetam, porta Orientalis clausa jugiter perseveret. (*Ezech.* xliv. 2.)

R. Præ humilitate et ut cæteris daret exemplum legis sedulò implendæ in omnibus. (I)

I. Quid lege sancitum erat ut mulieres Hebrææ in Templo ritè purgarentur?

R. Purgabantur oblatione holocausti et sacrificii pro peccato. Divites offerre tenebantur agnum anniculum in holocaustum, et columbam vel turturem pro peccato. Pauperes tenebantur offerre par turturum vel duos pullos columbarum, alterum in holocaustum, alterum pro peccato. (K) Quid autem fuerit et cujus rei typus holocaustum et sacrificium pro peccato explicabimus in tertia Parte hujus Operis. (*Part.* 3. *Sect.* 2. *Cap.* 7. §. 4. *et* 6.)

I. Quid obtulit Virgo Deipara?

R. Pauper, sacrificia pauperum obtulit. (L)

I. Quâ ratione celebranda hæc solemnitas est ex mente Ecclesiæ?

R. 1. Offeramus nosmetipsos Deo cum Christo, ad faciendam in omnibus ejus voluntatem corde magno et animo volenti. Fiat autem hæc oblatio maximè intra Missarum solemnia. (M)

2. Imitemur humilitatem et subjectionem B. Virginis Deiparæ; nec prætextis exquisitis eximamus nos unquam à lege communi.

3. Desiderium Christi videndi quo flagrabat Simeon senex imitemur: uni Christo suspiremus; præ illo cætera vilescant omnia.

(I) S. Bernard. *Serm.* 3. *in Purificat. B. Mariæ*, *n.* 2. Putas ergo non poterat moveri animus ejus et dicere, Quid mihi opus purificatione? Cur abstineam ab ingressu templi, cujus uterus nesciens virum, templum factus est Spiritûs sancti? Cur non ingrediar templum, quæ peperi Dominum templi? Nihil in hoc conceptu, nihil in partu impurum fuit, nihil illicitum, nihil purgandum: nimirùm cùm proles ista fons puritatis sit, et purgationem venerit facere delictorum. Quid in me legalis purificet observatio, quæ purissima facta sum in ipso partu immaculato. Verè, ô beata Virgo, verè non habes causam, nec tibi opus est purificatione. Sed nunquid filio tuo opus erat Circumcisione? Esto inter mulieres tanquam una earum, nam et filius tuus sic est in numero puerorum. Circumcidi voluit, et non multò magis velit offerri? Offert filium tuum Virgo sacrata, et benedictum fructum ventris tui Domino repræsenta; offer ad nostram omnium reconciliationem hostiam sanctam, Deo placentem. Omninò acceptabit Deus Pater oblationem novam, et pretiosissimam hostiam, de quo ipse ait: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* (*Matth.* III. 17.)

Vide eumdem suprà §. 6. *litt.* (C) *Serm.* 4. *in Epiphan. Dom.*

(K) Levit. XII. 2. *Vide suprà hocce* §. *litt.* (B)

(L) Luc. II. 24. *Vide suprà hocce* §. *litt.* (B)

S. Aug. *Lib.* 3. *Quæst. in Levitic. q.* 40. *n.* 3. Hîc ostenditur illa propago ex Adam, undè Apostolus dicit: *Ex uno in condemnationem:* (*Rom.* V. 16.) et quia *per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransiit.* (*Ibid.* 12.).... *Ego enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis mater mea in utero me aluit.* (*Psal.* L. 7.)

N. 4. Advertendum est quàm pauper Dominus nasci voluerit, ut non pro illo offerretur agnus, et pullus columbinus aut turtur, sed par turturum, aut duo pulli columbini, quod scriptura Levitici (XII. 8.) tunc jussit offerri, si non habuerit manus offerentis quod satis est in agnum.

(M) *Vide* S. Bern. *infrà hocce* §. *litt.* (O)

4. Christum lumen nostrum et gloriam plebis suæ oremus enixè, ut dignetur ipse magis ac magis in dies illuminare mentis nostræ oculos.

5. Sectemur et Annæ prophetissæ vestigia, ejus exemplo simus in Templo assidui, et de Christo loquamur jugiter.

I. Cur fit hâc die solemnis benedictio cereorum.

R. Is Ecclesiæ mos est ut quidquid adhibetur in usum rituum et cæremoniarum id benedicat: (cujus rei rationem dicemus infrà ubi de benedictionibus sermo erit.) (*Part.* 3. *Sect.* 2. *Cap.* 8. §. 2.) Atqui fit hâc die solemnis distributio cereorum, suumque cereum tenet ardentem quisque præ manibus, tam in Processione quàm in Missæ parte; ut hoc ritu significetur à singulis eà mente esse se affectos quâ Simeon, dum Christum in ulnas suas accipiens dixit hunc fore gentium lumen et gloriam Israël.

I. Cur fit hâc die processio?

R. 1. Quia hoc in more positum est ut ante Missam diebus dominicis et festis solemnibus processio fiat. (Cujus ritûs infrà rationem dabimus ubi de processionibus agemus ex professo. (*Ibid. Cap.* 9. §. 1.)

2. Quemadmodum B. Virgo Deipara processit olim in Templum Jerosolymitanum, Christum gestans præ manibus, ut offerret eum Domino; sic vult Ecclesia procedere nos in Ecclesiam, lumen Christi typum gestantes præ manibus, in hujus itineris memoriam. (N)

(N) S. Bernard. *Serm.* 1. *in Purif. B. Mariæ, n.* 1. Hodie templi Dominum in templum Domini Virgo mater inducit: Joseph quoque sistit Domino non suum, sed ejus *Filium dilectum, in quo ei benè complacuit.* (*Matth.* III. 17.) Agnoscit justus quem exspectabat, Anna quoque vidua confitetur. Ab his quatuor primò hodierna processio celebrata est, quæ post modum exsultatione universæ terræ in omni loco et ab omni genti celebraretur. Nec sanè mirum si tunc parva fuit, quandoquidem parvus erat qui suscipiebatur. Nullum ibi locum peccator habuit, omnes justi, omnes sancti, omnes fuêre perfecti.

Serm. 2. *in Purificat. B. M. n.* 1. Festus hodie nobis oblationis ipsius dies illuxit. Hodie namque sistitur Creatori terræ fructus sublimis: hodie placabilis et Deo placens hostia virgineis manibus offertur in templo, portatur à parentibus, à senibus exspectatur. Obtulerunt Joseph et Maria sacrificium laudis, sacrificium matutinum, Simeon et Anna suscipiunt. Ab his quatuor celebrata processio est, quæ per quatuor orbis climata solemnibus hodie gaudiis ad memoriam revocatur.... Processuri sumus bini et bini, candelas habentes in manibus ipsas quoque succensas, nec quolibet igne, sed qui priùs in Ecclesia Sacerdotali benedictione fuerit consecratus.

Nicolai Serarii. *Lib.* 2. *de processionibus, c.* 3. *n.* 4. Illustravit eumdem diem sacrâ cum luminibus processione ante annos ferè 900. Sergius Pontifex, qui anno Domini 688. Pontificatum iniit.

N. 5. Cereorum gestatio nos admonet, ut verè lumen Christum Jesum, lumen de lumine, lucem *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, (*Joan.* I. 9.) lumen mundi, lucem ineffabilem mente interiùs apprehendamus, manibusque nostris exteriùs feramus. Ut nostra nostris in manibus christiana fides luceat: id est, in nostris operibus, in studiis et actionibus omnibus.... *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.* (*Matth.* V. 16.) Ut recordemur cerei, qui nobis in baptismo datus ardens.... Accipe lampadem ardentem, irreprehensibilem custodi baptismum tuum:

Itaque eâ mente adesse debemus huic processioni, quâ B. Virgo Deipara procedebat in Templum. Id est ut in Templo Christum gentium lumen offeramus Deo, nosque purgatos offeramus cum Christo Deo Patri. (O)

§. 9. De Majori Hebdomada, ac primò quidem de Dominicâ Palmarum.

I. Quandonam Ecclesia specialiùs celebrat mystera Passionis Christi ?

R. Passionem Christi quotidiè recolit Ecclesia incruenti sacrificii oblatione. Sed eam specialiàs meditatur per hebdomadam quæ Passionis dicitur, maximèque per hebdomadam sequentem quæ major Hebdomada nuncupatur.

I. Cur ita nuncupatur hæc hebdomada ?

R. Quia celebrantur his diebus majora religionis nostræ mysteria.

serva Dei mandata.... Ut recordaremur cerei quem in hora vitæ ultima solent in hoc mundo migraturi tenere Christiani, ut eo signo protestentur se illi lumini constanter ad extremum usque spiritum adhærere, ipsius fidem quæ animi lux est, integram retinere, spem non exstinguere, charitatem erga Deum et proximum ardentem optare, in his omnibus piè, sanctèque mori velle..... Ut quemadmodum cereorum ascendit flamma, sic nobis semper et jam præsertim sursùm corda. Ut non mihi, sed Christo semper accendi velim cereos.... Ut omnes in me libidinis, invidiæ, iracundiæ, cæterorumque vitiorum tædas restingui, omnes meo ex animo erroris, pertinaciæ, ac ignorantiæ tenebras fugari, solius veræ lucis radios micare, ac splendere concupiscam, ut aliis lucis in fide ac pietate aliquid alluceam.... Ut cereorum, cum quibus Christianorum efferri solent prisco more funera, mihi catenùs fulgorem concedat Dominus salutarem, exsecutores, id est, religione in Deum et aliqua in me suum, in eodem Christi corpore membrum, ex eadem Ecclesia matre germanum fratrem, in eadem Jesu societate socium charitate fiant. Ex religione quidem dum vilissimum alioqui cadaver meum extremo isto afficiunt honore, quia fuit animæ Christo dicatæ hospitium, sacramentorum receptaculum, divinæ gratiæ domicilium, ipsius Christi Domini templum. Ex charitate verò, quatenùs eam quam profitebas vivus, profiteantur ipsi adhuc, meo veluti nomine fidem et cultum.... Lux perpetua luceat eis.... omnibus in Christo quiescentibus, locum refrigerii, lucis et pacis ut indulgeas deprecamur.

N. 6. Utilitas est quòd non parva Ecclesiæ precum vis apud Deum sit. Ut cerei valeant ad salutem animarum et corporum terrâ marique. Ut de locis ubi accensi fuerint, dæmon et quidquid dæmonis ars est machinata depellatur. Ut mentes, et corda nostra invisibili igne, ac splendore sancti Spiritûs illustrentur, omnium peccatorum et vitiorum cæcitate careant, ut cernere possimus quæ Deo sunt placita, et utilia saluti; ut ignis charitatis cum lumine fidei, in animis nostris accendatur, qui nos ad lumen indeficiens, in vitam æternam deducat.

(O) S. Bernard. *Serm.* 2. *in Purif. B. Mariæ*, *n.* 1. *Vide hocce* §. *litt.* (N)

Serm. 3. *n.* 3. Sed quid, Fratres, nos offerimus, aut quid retribuimus illi pro omnibus quæ retribuit nobis ? (*Psal.* cxv. 12.) Ille pro nobis obtulit hostiam pretiosiorem quam habuit, nimirùm, quâ pretiosior esse non potuit. Et nos ergo faciamus quod possumus, optimum quod habemus offerentes illi, quod sumus utique nosmetipsi. Ille seipsum obtulit; tu quis es qui teipsum offerre cuncteris ?... Sit in oblatione nostra constantia virilis, sit continentia carnis, sit conscientia humilis; sit in proposito perseverandi animus virilis, sit in continentia castitas virginalis, sit in conscientia simplicitas et humilitas puerilis.

I. Quâ ratione agendi sunt dies majoris Hebdomadæ ex mente Ecclesiæ ?

R. Ea Ecclesiæ mens est,

1. Ut addamus aliquid, si fieri potest, ad rigorem jejunii, 2. Ad orationis frequentiam, 3. Ad solitudinis secretum. 4. Ut meditemur quotidiè Christi passionem. (A) 6. Ut cogitemus de percipiendis his diebus Pœnitentiæ et Eucharistiæ

(A) *Hunc in finem* S. LEON. MAG. *Serm. de Pass. Dom. legendi sunt : pauca quædam hîc ex multis delibamus.*

S. LEO. M. *Serm.* 50. *de Pass. Dom.* 1. *cap.* 1.... Ut sicut per Adam mors, ita per Dominum nostrum Jesum Christum esset resurrectio mortuorum. Non enim quia secundùm inscrutabile propositum sapientiæ Dei novissimis diebus *Verbum caro factum est* (*Joan.* I. 14.), idcò salutiferæ Virginis partus, extremi tantùm temporis generationibus profuit, et non se etiam in præteritas refudit ætates. Omnis prorsùs antiquitas colentium Deum verum, omnis numerus apud secula priora Sanctorum, sacrâ fide vixit et placuit ; et neque Patriarchis, neque Prophetis, neque cuiquam omninò Sanctorum, nisi in redemptione Domini nostri Jesu Christi salus et justificatio fuit : quæ sicut exspectabatur multis Prophetarum oraculis signisque promissa, ita est etiam ipso muncre atque opere præsentata.

Cap. 2. In toto ordine Dominicæ passionis, non ita infirmitatem consideremus humanam, ut arbitremur illic potentiam defuisse divinam : neque illam ita cœternam et æqualem Patri formam Unigeniti cogitemus, ut putemus non fuisse vera, quæ Deo videntur indigna.... Totum illud sacramentum, quod simul et humanitas consummavit et deitas, dispensatio fuit misericordiæ, et actio pietatis. Talibus enim vinculis tenebamur constricti, ut nisi per hanc opem non possemus absolvi. Humilitas igitur divinitatis, nostra provectio est. Nos tanto redimimur pretio, nos tanto curamur impendio. Quis enim ab impietate ad justitiam, à miseria ad beatitudinem esset recursus, nisi et justus ad impios, et beatus inclinaretur ad miseros ?

Cap. 3. Non est ergo, dilectissimi, erubescenda Crux Christi, quæ de virtute est divini consilii, non de conditione peccati. Quamvis enim ex infirmitate nostra verè passus Dominus Jesus, verèque sit mortuus, non tamen ita se abstinuit à gloria sua, ut inter contumelias passionis, nihil divinæ operationis exerceret.... Cùm multitudo furibunda, quæ ad comprehendendum Dominum cum armata militum cohorte confluxerat, inter faces et laternas, lumen verum, tenebris obcæcata suis, non cerneret, Dominus qui exspectare potiùs turbas, quàm declinare delegerat, sicut Joannes Evangelista testatur (XVIII. 4.), quem quærant, necdum inventus interrogat : illisque dicentibus, quod Jesum quærerent : *Ego sum*, inquit. (*Ibid.* 5.)... Dominus dicit *Ego sum*, et ad vocem ejus turba prosternitur impiorum. Quid jam poterit ma jestas ejus judicatura, cujus hoc potuit humilitas judicanda ?

Cap. 4. Verumtamen Dominus sciens, quid magis mysterio suscepto conveniret, in hac potestate non perstitit : sed persecutores suos in facultatem dispositi sceleris redire permisit. Nam si teneri nollet, non alique teneretur. Sed quis hominum posset salvari, si ille non se sineret comprehendi ? Nam et beatus Petrus, qui animosiore constantia Domino cohærebat, et contra violentorum impetus fervore sanctæ charitatis exarserat, in servum principis Sacerdotum usus est gladio, et aurem viri ferociùs instantis abscidit. Sed hunc zelantis Apostoli pium motum progredi Dominus ultrà non patitur, recondi gladium jubet, nec sinit se adversùs impios manu ferroque defendi. Contra sacramentum enim erat redemptionis nostræ, ut qui mori pro omnibus venerat, capi nollet : ne dilato gloriosæ crucis triumpho, et dominatio diabolica fieret longior, et captivitas humana diuturnior. Dat ergo in se furentibus licentiam sæviendi : nec tamen etiam talibus dedignatur se indicare divinitas : aurem servi jam ipsâ sectione demortuam, et à compage viventis corporis alienam, in sedem dehonestati capitis revocat manus

Christi : reformat quod ipse formaverat : nec tardè caro sequitur ejus imperium , cujus erat ipsa figmentum.

Cap. 5. Quòd Dominus majestatis suæ potentiam comprimit, et vim in se persecutoris admittit, ex illa est voluntate , quâ *dilexit nos , et tradidit semetipsum pro nobis* (*Ephes.* v. 25.) , cooperante in hoc ipsum Patre , *qui Filio proprio non pepercit , sed pro nobis omnibus tradidit* illum. (*Rom.* VIII. 32.) Una est enim Patris et Filii voluntas , ut est una divinitas : de cujus dispositionis effectu , nihil vobis gratiæ , Judæi , nihil tibi , Juda , debemus. Salvationi quidem nostræ , non hoc vobis volentibus, impietas vestra servivit , et per vos factum est , quidquid " *manus Dei et consilium decreverunt fieri.* (*Act.* IV. 28.) Mors igitur Christi nos liberat , vos accusat. Meritò soli non habetis quod omnibus perire voluistis. Et tamen tanta est nostri bonitas Redemptoris , ut etiam vos possitis consequi veniam , si Christum Dei Filium confitendo , illam parricidalem malitiam relinquatis. Non enim Dominus in Cruce frustrà oravit , dicens : *Pater , dimitte illis , quia nesciunt quid faciunt.* (*Luc.* XXIII. 33.) Quod remedium nec te , Juda , transiret , si ad eam pœnitentiam confugisses , quæ te revocaret ad Christum , non quæ instigaret ad laqueum. Dicendo enim , *peccavi tradens sanguinem justum* (*Matth.* XXVII. 4.) , in impietatis tuæ perfidia perstitisti ; quia Jesum non Deum Dei Filium , sed nostræ tantummodò conditionis hominem inter extremum mortis tuæ periculum credidisti : cujus flexisses misericordiam , si ejus non negasses omnipotentiam.

Serm. 51. *de Pass. Dom.* 2. *cap.* 1. Crucifixi sunt cum eo , statutis utrinque patibulis , latrones duo ; quorum unus ad id usque temporis par similisque consorti „... usque ad crucem reus , fit Christi repentè confessor.... Mirà conversione mutatus , *Memento* , inquit , *mei* , *Domine* , *dum veneris in regnum tuum.* (*Luc.* XXIII. 42.) Quæ istam fidem exhortatio persuasit ? quæ doctrina imbuit ? quis prædicator accendit ? Non viderat priùs acta miracula , cessaverat tunc languentium curatio , cæcorum illuminatio , vivificatio mortuorum , ea ipsa quæ mox erant gerenda , non aderant : et tamen Dominum confitetur et Regem , quem videt supplicii sui esse consortem. Indè ergo oriebatur hoc donum , undè accepit fides ipsa responsum : ait enim ei Jesus : *Amen dico tibi , hodie mecum eris in paradiso.* (*Ibid.* 43.) Excedit humanam conditionem ista promissio ; nec tam de ligno Crucis , quàm de throno editur potestatis. Ab illa altitudine præmium fidei datur , in qua chirographum humanæ transgressionis aboletur : quia se à forma servi , Dei forma non dirimit , dum etiam inter ipsa supplicia proprietatem unitatemque suam servavit , et Deitas inviolabilis . et natura passibilis.

Cap. 2. *Vide suprà Part.* 1. *Sect.* 2. *Cap.* 1. §. 18. *litt.* (F)

Serm. 52. *de Pass. Dom.* 3. *Cap.* 1. Inter omnia , dilectissimi , opera misericordiæ Dei , quæ ab initio saluti sunt impensa mortalium , nihil est mirabilius , nihilque sublimius , quàm quòd pro mundo crucifixus est Christus. Huic enim sacramento universa præcedentium seculorum mysteria servierunt , et quidquid hostiarum differentiis in propheticis signis et legalibus institutis , sacrâ dispensatione viliatum est , hoc prænuntiavit dispositum , hoc promisit implendum : ut nunc , imaginibus figurisque cessantibus , hoc prosit credere jam effectum , quod antèà profuit credidisse faciendum.... Aliud est passibile , aliud inviolabile , et tamen ejusdem est contumelia . cujus et gloria. Ipse est in infirmitate , qui et in virtute : idem mortis capax , et idem victor est mortis.

Cap. 2. Quidquid Domino illusionis et contumeliæ , quidquid vexationis et pœnæ intulit furor impiorum , non de necessitate toleratum , sed de voluntate susceptum est : *Venit enim filius hominis quærere et salvare quod perierat* (*Luc.* XIX. 10.) ; et sic ad omnium redemptionem utebatur malitiâ persequentium , ut in mortis ejus resurrectionisque sacramento , etiam interfectores sui possent salvi esse , si crederent.

Cap. 4. Sciens Jesus adesse jam tempus gloriosæ passionis implendæ : *Tristis est* , inquit , *anima mea usque ad mortem* (*Matth.* XXVI. 38.) : et iterùm . *Pater , si fieri potest , transeat à me calix iste.* (*Ibid.* 39.) Quibus verbis quamdam formidinem profitentibus , nostræ infirmitatis affectus participando curabat , et pœnalis experientiæ metum subeundo pelle-

bat. In nobis ergo Dominus nostro pavore trepidabat, ut susceptionem nostræ infirmitatis indueret, et nostram inconstantiam suæ virtutis soliditate vestiret. Venerat enim in hunc mundum dives atque misericors negotiator cœli, et commutatione mirabili inierat commercium salutare : nostra accipiens, et sua retribuens, pro contumeliis honorem, pro doloribus salutem, pro morte dans vitam, et cui ad exterminationem persequentium poterant plusquam duodecim millia Angelicarum servire legionum, malebat nostram recipere formidinem, quàm suam exercere potestatem.

Serm. 53. *de Pass. Dom.* 4. *cap.* 1. Peractis itaque omnibus, quæ divinitas fieri carnis velamine temperata permisit, Jesus Christus Filius Dei cruci, quam etiam ipse gestarat, affixus est, duobus latronibus, uno ad dexteram ipsius, alio ad sinistram, similiter crucifixis : ut etiam in ipsa patibuli specie, monstraretur illa, quæ in judicio ipsius omnium hominum est facienda discretio : cùm et salvandorum figuram fides credentis latronis exprimeret, et damnandorum formam blasphemantis impietas prænotaret. Passio igitur Christi, salutis nostræ continet sacramentum, et de instrumento, quod iniquitas Judæorum paravit ad pœnam, potentia Redemptoris gaudium nobis fecit ad gloriam : quam Dominus Jesus ita ad omnium hominum suscepit salutem, ut inter clavos quibus ligno tenebatur affixus, pro interfectoribus suis paternæ clementiæ supplicaret, et diceret : *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* (*Luc.* XXIII. 34.)

Cap. 3. *Vide suprà Part.* 1. *Sect.* 2. *Cap.* 1. §. 16. *litt.* (R)

Cap. 4. *Consummatum est*, (*Joan* XIX. 30.) ait, hoc est, completæ sunt Scripturæ „.... peracta sunt mysteria infirmitatis, promantur documenta virtutis. *Inclinato* itaque *capite emisit spiritum*, (*Ibid.*) et in corpus die tertio suscitandum, quietem placidi soporis admisit.

Serm. 54. *de Pass. Dom.* 5. *Cap.* 1. Creator et Dominus omnium rerum Christus.... dispensationem omnium sacramentorum omniumque virtutum, salutiferà passione consummat.... Undè summum hoc et potissimum divinæ misericordiæ sacramentum, semper quidem in cordibus nostris, cum tota sui dignitate retinendum est.... Sic medicina ægris, sic reconciliatio reis, sic redemptio est impensa captivis, ut condemnationis justæ sententia, justo liberatoris opere solveretur.

Cap. 2. Nos Dei Filium, et in suis virtutibus, et in nostris infirmitatibus adoramus, nec erubescimus Crucem Christi et inter contradicentium linguas, nec de morte ipsius, nec de resurrectione dubitamus. Quoniam quod superbos ad infidelitatem trahit, hoc nos ad fidem dirigit, et quod apud illos est materia confusionis, hoc apud nos est causa pietatis.

Serm. 55. *de Pass. Dom.* 6. *Cap.* 1.... Comprehensus Christus Dominus à turbis, quas principes Sacerdotum et doctores legis armaverant, ut impleret dispensationem, cohibet potestatem.... Christi verò patientia hoc egit, ut omnes suâ passione salvaret.

Cap. 2. Perducto autem Jesu ad Caïpham principem Sacerdotum ..... falsa adversùs Dominum testimonia quærebantur : sed inter incondilas et dissonas voces hoc Jesus mirabiliter elegerat, ut taceret.... Caïphas.... *scidit vestimenta sua :* (*Matth.* XXVI. 65.) et nesciens quid hàc significaret insaniâ, Sacerdotali se honore privavit.... Ad manifestandum finem veteris instituti, pertinet eadem diruptio Sacerdotis.

Cap. 3. Hinc jam, dilectissimi, inter multiplicatas illusiones nocte transactâ, vinctum Jesum Pilato Præsidi tradiderunt. Principes enim Sacerdotum et seniores populi, hoc consilio rem gerebant, ut ab actione sceleris viderentur immunes, subtrahentes opera manuum, et exercentes tela linguarum, nolentes interficere, et clamantes, *Crucifige*, *Crucifige.* (*Luc.* XXIII. 21.) Quid hac specie religionis injustius ? quid hac clementiæ simulatione crudelius ? Quà lege, Judæi, quod vobis non licet facere, licet velle ? Quà ratione, quod corpora polluit, corda non lædit ? Contaminari occisione ejus metuitis (*Joan.* XVIII. 28.), cujus super vos et super filios vestros fundi sanguinem postulastis. (*Matth.* XXVII. 25.) Si non tantum factus vestra impietas peragit, permittite Præsidem indicare quod sentit. Sed vos etiam in ipsum graves atque

violenti, in id eum declinare non sinitis à quo ipsi mendaciter abstinetis.

Cap. 4. Seditiosis igitur clamoribus Judæorum cedente Pilato, in loco, cui nomen est Golgotha, crucifigitur Christus. Per lignum eripitur lapsus in ligno, et gustu fellis et aceti diluitur esca peccati. Meritò priusquam traderetur, dixerat Dominus, *Cùm exaltatus fuero, omnia ad me traham:* (*Joan.* XII. 32.).... in me omnis infirmitas abolebitur, in me omnis plaga sanabitur. Exaltatum autem Jesum ad se traxisse omnia, non solùm nostræ substantiæ passione, sed etiam totius mundi commutatione monstratum est. Pendente enim in patibulo Creatore, universa creatura congemuit: et Christi clavos omnia simul elementa senserunt.... Hoc petras rupit, monumenta aperuit, inferna reseravit, et densarum horrore tenebrarum radios solis abscondit. Debebat hoc testimonium suo mundus auctori, ut in occasu Conditoris sui, vellent universa finiri.

Serm. 56. *de Pass. Dom.* 7. *cap.* 1. Oportebat enim ut manifesto implerentur effectu, quæ diu fuerant figurata promissa mysterio: ut ovem significativam ovis vera removeret, et ut uno expleretur sacrificio variarum differentia victimarum. Nam omnia illa, quæ de immolatione agni divinitùs per Mosem fuerant præstituta, Christum prophetaverant, et Christi occisionem propriè nuntiaverant. Ut ergo umbræ cederent corpori, et cessarent imagines sub præsentia veritatis, antiqua observantia novo excluditur sacramento, hostia in hostiam transit, sanguine sanguis aufertur, et legalis festivitas dum mutatur impletur.

Cap. 4. *Quod facis, fac citiùs.* (*Joan.* XIII. 27.) Vox hæc non jubentis est, sed sinentis; nec trepidi, sed parati: qui habens omnium temporum potestatem, ostendit se et moram non facere traditori, et sic ad redemptionem mundi Paternam exsequi voluntatem, ut facinus, quod à persequentibus parabatur, nec impelleret, nec timeret.... Qui ergo verum totumque hominem assumpsit, veros et corporis sensus, et animi suscepit affectus. Nec quia omnia in illo plena erant sacramentis, plena miraculis, ideò aut falsis lacrymis flevit, aut mendaci esurie cibum sumpsit, aut simulato sopore dormivit. In nostra humilitate contemptus, in nostra mœstitudine contristatus, in nostro est dolore crucifixus. Passiones enim mortalitatis nostræ ob hoc misericordia subiit, ut sanaret; ob hoc virtus recepit, ut vinceret.

Cap. 5. Cùm itaque, dilectissimi, Dei Filius dicit, *Pater si fieri potest, transeat à me calix iste,* (*Matth.* XXVI. 39.) nostræ utitur voce naturæ, et causam agit fragilitatis et trepidationis humanæ: ut in iis quæ toleranda sunt et patientia roboretur, et formido pellatur. Denique cessans hoc ipsum petere, excusato quodammodo nostræ infirmitatis metu, in quo nobis remanere non expedit, in alium affectum transit, et dicit: *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* (*Id. ibid.*) Et iterùm: *Si non potest*, inquit, *calix iste transire à me, nisi bibam illum, fiat voluntas tua.* (*Ibid.* 42.) Hæc vox capitis, salus est totius corporis: hæc vox omnes fideles instruxit, omnes Confessores accendit, omnes Martyres coronavit. Nam quis mundi odia, quis tentationum turbines, quis posset persecutorum superare terrores, nisi Christus in omnibus et pro omnibus diceret Patri: *Fiat voluntas tua?*

Serm. 57. *de Pass. Dom.* 8. *cap.* 1. Formam servi nihil peccati habentis objecit: ut per eum ageretur omnium causa, in quo solo erat omnium natura sine culpa. Irruerunt ergo in lumen verum filii tenebrarum, et utentes faculis atque laternis non evaserunt infidelitatis suæ noctem, quia non intellexerunt lucis auctorem. Occupant paratum teneri, et trahunt volentem trahi, qui si vellet obniti, nihil quidem in injuriam ejus impiæ manus possent; sed mundi redemptio tardaretur, et nullum salvaret illæsus, qui pro omnium salute erat moriturus.

Cap. 2. Sinens igitur inferri sibi quidquid Sacerdotum instinctu furor popularis audebat, ad Annam Caïphæ socerum, ac deindè ad Caïphan ex Annæ transmissione perducitur: et post insanas calumniantium objectiones, post commentitias subornatorum testium falsitates, ad examen Pilati Pontificum delegatione transfertur. Qui, divino jure neglecto, clamantes *se regem non habere nisi Cæsarem*, (*Joan.* XIX. 15.) tanquam Romanis devoti legibus, omne judicium potestati Præsidis

reservassent, expetierunt exsecutorem magis sæviliæ, quàm arbitrum causæ. Offerebant enim Jesum duris nexibus vinctum, colaphis et alapis frequentibus cæsum, sputis oblitum, clamoribus prædamnatum, ut inter tot præjudicia, quem omnes vellent perire, non auderet Pilatus absolvere. Denique nec in accusato eum reperisse culpam, nec in sententia sua tenuisse constantiam, docet ipsa cognitio: in qua Judex, quem innocentem pronunliat, damnat, addicens iniquo populo sanguinem justi, à quo abstinendum sibi, et intellectu proprio senserat, et somnio uxoris noverat. Non purgant contaminatum animum manus lotæ, nec in aspersis aquâ digitis expiatur quod, famulante impiâ mente, committitur. Excessit quidem Pilati culpam facinus Judæorum, qui illum nomine Cæsaris territum, et invidiosis vocibus increpatum, ad effectum sui sceleris impulerunt. Sed nec ipse evasit reatum, qui cooperatus seditiosis, reliquit judicium proprium, et in crimen transivit alienum.

Cap. 3. Quòd ergo Pilatus, dilectissimi, implacabilis populi victus insaniâ, multis Jesum dehonestari ludibriis, et immodicis vexari permisit injuriis, quòdque eum flagellis cæsum, spinis coronatum, et amictu irrisoriæ vestis indutum, Scribarum et Sacerdotum ostentavit aspectui, mitigandos procul dubio inimicorum animos existimavit: ut exsaturatis invidiæ odiis, non ultra jam crederent persequendum, quem tot modis intuebantur afflictum. Sed cùm inardesceret ira clamantium, ut Barabbam indulgentia relaxaret, et Jesum Crucis pœna susciperet; cùm consono fremitu dicetur à turbis: *Sanguis ejus super nos et super filios nostros:* (*Matth.* XXVII. 25.) obtinuerunt iniqui in damnationem suam quod pertinaciter exigebant: quorum dentes, sicut Prophela testatus est, *arma* erant *et sagittæ, et lingua eorum gladius acutus.* (*Psal.* LVI. 5.)

Cap. 4. Traditus itaque Dominus sævientium voluntati, ad irrisionem regiæ dignitatis, supplicii sui jussus est esse gestator; ut impleretur quod Isaias Propheta præviderat, dicens: " *Ecce natus est puer, et datus est nobis filius, cujus imperium super humeros ejus.* (*Isai.* IX. 6.) Cùm ergo Dominus lignum portaret crucis, quod in sceptrum sibi converteret potestatis, erat quidem hoc apud impiorum oculos grande ludibrium; sed manifestabatur fidelibus grande mysterium: quia gloriosissimus diaboli victor, et inimicarum virtutum potentissimus debellator, pulchrâ specie, triumphi sui portabat trophæum; et invictæ patientiæ humeris, signum salutis, adorandum regnis omnibus inferebat: tanquam et tunc ipsâ operis sui imagine omnes imitatores suos confirmaret, et diceret: *Qui non accipit crucem suam, et sequitur me, non est me dignus.* (*Matth.* X. 38.)

Cap. 5. Euntibus autem cum Jesu turbis ad locum pœnæ, Simon quidam Cyrenæus inventus est, (*Matth.* XXVII. 32.) in quem lignum supplicii transferretur à Domino: ut etiam tali facto præsignaretur gentium fides, quibus Crux Christi non confusio erat futura, sed gloria. Non ergo fortuitum, sed figuratum et mysticum fuit, ut Judæis in Christum sævientibus, ad compatiendum ei peregrinus occurreret, dicente Apostolo: *si compatimur, et conregnabimus:* (*Rom.* VIII. 17.) ut sacratissimo Salvatoris opprobrio, non Hebræus quisquam, nec Israelita, sed alienigena subderetur. Per hanc enim translationem, à circumcisione ad præputium, à filiis carnalibus ad filios spirituales, immaculati agni propitiatio, et omnium sacramentorum plenitudo transibat. Siquidem *Pascha nostrum*, ut ait Apostolus, *immolatus est Christus* (1. *Cor.* V. 7.), qui se novum et verum reconciliationis sacrificium offerens Patri, non in templo, cujus jam erat finita reverentia, nec intra septa civitatis ob meritum sui sceleris diruendæ, sed foris et extra castra crucifixus est (*Hebr.* XIII. 12.), ut veterum victimarum cessante mysterio, nova hostia novo imponeretur altari, et crux Christi, non templi esset ara, sed mundi.

Serm. 58. *de Pass. Dom.* 9. *cap.* 2. Crux Christi eadem est et credentium gloria, et non credentium pœna.

Serm. 59. *de Pass. Dom.* 10. *cap.* 2. Aliquandiu tamen (*Pilatus*) furorem ipsorum (*Judæorum*) mitigare conatus est: et ideò Dominum Jesum diversis contumeliis affici aut permisit, aut jussit, ut satiata iniquitas

de innocentis injuriis, ulteriùs non sæviret. Sed pertinax malitia propriis crebris crescebat augmentis, et in quem obtinuerat jus illusionis, exigebat et mortis. Undè cùm et summi Sacerdotes et principes Judæorum, omnisque multitudo crebris vocibus acclamarent, *Crucifige*, *Crucifige*, (*Luc.* XXIII. 21.) tradidit Jesum persequentium voluntati, Barabba illis latrone dimisso; ut qui in die festo auctorem interficiebant vitæ, impunitas eis præstaretur homicidæ.

Cap. 3. Eunte itaque, dilectissimi, ad locum clarificationis suæ Domino, ... sequebatur eum multitudo populi, et mulierum plangentium et lamentantium.... Sed istum sibi planctum Dominus Jesus dedignatur impendi, quia non decebat luctus triumphum, nec lamenta victoriam. Denique conversus ad eas: *Filiæ*, inquit, *Jerusalem, nolite flere super me, sed super vosmetipsas, et super filios vestros flete. Quia venient dies, in quibus dicent: Beatæ steriles, et ventres qui non genuerunt, et ubera quæ non nutrierunt.* (*Luc.* XXIII. 28. 29.) Ubi est tristitia crucifigendi? Ubi formido morituri? Non terret passuri animum hora supplicii, et docens nullam pro se flendi esse rationem, indicit pœnitentiam, denuntiando vindictam. Non est, inquit, quod dolere in me, Jerusalem filiæ, debeatis, pro vobis plangite, et pro vestris filiis ejulate. Super illos fundatur iste ploratus, quos tales viscera vestra pepererunt. Lugendum planè vobis est, non de Salvatore credentium, sed de impietate pereuntium. Ego crucem volens patior, et mortem in me, quam sum perempturus, admitto. Nolite flere pro mundi redemptione morientem, quem in majestate Patris videbitis judicantem.

Cap. 4. Exaltatus ergo Christus Jesus in ligno retorsit mortem in mortis auctorem, et omnes principatus, adversasque virtutes, per objectionem passibilis carnis elisit, admittens in se antiqui hostis audaciam, qui in obnoxiam sibi sæviendo naturam, etiam ibi exactor ausus est esse debiti, ubi nullum potuit vestigium invenire peccati. Evacuatum est igitur generale illud venditionis nostræ et lethale chirographum, et pactum captivitatis in jus transiit Redemptoris. Clavi illi, qui manus Domini pedesque transfoderant, perpetuis diabolum fixere vulneribus, et sanctorum pœna membrorum inimicarum fuit interfectio potestatum: sic suam Christo consummante victoriam, ut in ipso et cum ipso omnes, qui in eum crederent, triumpharent.

Serm. 60. *in Pass. Dom.* 11. *cap.* 2. Meritò beatus Petrus Apostolus in hujus unitatis confessione laudatus est: cui, cùm Dominus quid de ipso intelligerent Discipuli, scrutaretur, omnium celerrimè ora prævenions: *Tu es*, inquit, *Christus filius Dei vivi.* (*Matth.* XVI. 16.) Quod utique non revelante vidit carne, nec sanguine, quorum objectu interiores oculi poterant impediri, sed ipso Spiritu Patris in corde operante credentis, ut ad regimen totius Ecclesiæ præparatus, primùm disceret quod doceret, et pro soliditate fidei, quam erat prædicaturus, audiret: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* (*Ibid.* 18.) Christianæ igitur fidei fortitudo, quæ portas mortis super inexpugnabilem petram ædificata non metuit, unum Dominum Jesum Christum, et verum Deum, et verum hominem confitetur: eumdem credens filium Virginis, qui auctor est matris: eumdem natum in fine seculorum, qui Creator est temporum; eumdem Dominum omnium virtutum, et unum de stirpe mortalium; eumdem peccati nescium, et *in similitudine carnis peccati* (*Rom.* VIII. 3.) pro peccatoribus immolatum.

Cap. 3. *Vide suprà Part.* 1. *Sect.* 2. *Cap.* 1. §. 19. *litt.* (I)

Cap. 5. Quod ergo falsi testes, quod cruenti Principes, quod impii Sacerdotes, in Domini Jesu Christi mysterio, ignaviâ Præsidis, et famulatu imperitæ cohortis egerunt, et detestandum universis seculis, et amplectandum fuit. Crux enim Domini, sicut in Judæorum erat mente crudelis, ita est in Crucifixi virtute mirabilis. Furit in unum populus, et miseretur omnium Christus. Quod sævitiâ infertur, potestate suscipitur: ut licentia facinoris, æternæ opus impleat voluntatis.

Serm. 61. *de Pass. Dom.* 12. *cap.* 2. (*Cùm in Christo*) diabolus quod suum diceret, non haberet:.... dum in eum sævit, quem sub peccati lege non tenuit, jus impiæ dominationis amisit.

Cap. 3. Effusio enim pro injustis sanguinis justi, tam potens fuit ad privilegium, tam dives ad pretium, ut si universitas captivorum in Redemptorem suum crederet, nullum tyrannica vincula retinerent: *Quoniam*, sicut Apostolus ait (*Rom.* v. 20.), *ubi abundavit peccatum, superabundavit et gratia.* Et cùm sub peccati præjudicio nati potestatem acceperint ad justitiam renascendi, validius donum factum est libertatis, quàm debitum servitutis.

Serm. 62. *de Pass. Dom.* 13. *cap.* 3. Verus itaque venerator Dominicæ passionis sic crucifixum Jesum oculis cordis aspiciat, ut illius carnem suam esse cognoscat. Contremiscat in Redemptoris sui supplicio terrena substantia, rumpantur infidelium mentium petræ, et qui mortalitatis gravabantur sepulcris, discussâ obstaculorum mole prosiliant. Appareant nunc quoque in Civitate sancta, id est, in Ecclesia Dei futuræ resurrectionis indicia: et quod gerendum est in corporibus, fiat in cordibus. Nulli infirmorum crucis est negata victoria: nec quisquam est, cui non Christi auxilietur oratio. Quæ si multis in ipsum sævientibus profuit, quantò magis eos, qui ad ipsum convertuntur, adjuvit? Sublata est ignorantia, temperata est difficultas; et igneam illam, quâ vitæ regio erat inclusa, romphæam, sacer Christi Sanguis exstinxit. Veræ luci, antiquæ noctis cessit obscuritas. Invitatur ad paradisi divitias populus Christianus, et cunctis regeneratis ad amissam patriam patefactus est reditus, si nemo sibi illam viam facit claudi, quælide latronis potuit aperiri.

Serm. 65. *de Pass. Dom.* 16. *cap.* 2. Cùm ergo omnia, quæ in Dominum majestatis Judaïca admisit impietas, tantò antè prædicta sint, ut non tam de futuris, quàm de præsentibus propheticus sit sermo contextus: quid aliud nobis, quàm sempiternarum dispositionum Dei incommutabilis ordo referatur, apud quem et discernenda jam dijudicata et futura jam facta sunt? Cùm enim et qualitates actionum nostrarum, et effectus omnium voluntatum, scientia divina præveniat; quantò magis nota Deo sunt opera sua? Et rectè placuit, quasi facta recoli, quæ non poterant omninò non fieri... Nunquid iniquitas persequentium Christum ex Dei est orta consilio; et illud facinus, quod omni majus est crimine, manus divinæ præparationis armavit? Non hoc planè de summa justitia sentiendum est: quia multùm diversum multùmque contrarium est, id quod in malignitate Judæorum est prænognitum, et quod in Christi est passione dispositum. Non indè processit voluntas interficiendi, undè moriendi: nec de uno exstitit spiritu atrocitas sceleris, et tolerantia Redemptoris. Impias furentium manus non immisit in se Dominus, sed admisit: nec præsciendo quod faciendum esset, coegit ut fieret, cùm tamen ad hoc carnem suscepisset, ut fieret.

Cap. 3. Qui enim venit peccatores salvos facere, nec ipsis quidem interfectoribus suis misericordiam denegavit, sed impiorum malum in bonum credentium commutavit: ut mirabilior fieret gratia Dei, non secundùm merita hominum, sed secundùm multitudinem divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei miserè orditer præparata, quando et ipsos qui fuderant sanguinem Salvatoris, reciperet unda baptismatis.

Cap. 6. Et nihil habemus, nisi quod accepimus, et jugiter admonemur, ut dona gratiæ Dei non negligenter habeamus. Justè enim nobis instat præcepto, qui præcurrit auxilio; et benignè incitat ad obedientiam, qui ducit ad gloriam.

Cap. 7. Caput nostrum Dominus Jesus Christus, omnia in se corporis sui membra transformans, quod olim in Psalmo eructaverat, id in supplicio crucis sub redemptorum suorum voce clamabat: *Deus, Deus meus, respice in me; quare me dereliquisti?* (*Ps.* XXI. 1.) Vox ista, dilectissimi, doctrina est, non querela. Nam cùm in Christo Dei et hominis una persona sit, nec ab eo potuerit relinqui à quo non poterat separari; pro nobis trepidis et infirmis interrogat, cur caro pati metuens exaudita non fuerit.

Serm. 66. *de Pass. Dom.* 17. *cap.* 2. Ideò ergo Jesus voce magnâ clamabat, dicens: *Quare me dereliquisti?* (*Matth.* XXVII. 46.) Ut notum omnibus faceret, quare oportuerit eum non erui, non defendi, sed sævientium manibus derelinqui; hoc est Salvatorem mundi fieri, et omnium homi-

sacramentis. 6. Ut frequenter adsimus, quantùm fieri potest, solemnibus Ecclesiæ officiis, et quidquid celebrat, quidquid agit id mente assequamur. (B)

num Redemptorem; non per miseriam, sed per misericordiam; nec amissione auxilii, sed definitione moriendi.... Undè tradi Dominum passioni, tam fuit Paternæ, quàm ipsius voluntatis: ut eum non solùm Pater relinqueret, sed etiam ipse se quadam ratione desereret, non trepidâ discessione, sed voluntariâ cessione. Continuit enim se ab impiis crucifixi potestas: et ut dispositione ulcretur occultâ, uti voluit virtute manifestâ. Nam qui mortem et mortis auctorem suâ venerat passione destruere, quomodo peccatores salvos faceret, si persecutoribus repugnaret?

Serm. 68. *de Pass. Dom.* 19. *cap.* 5. Ibi ergo se constituat Christianus quò eum secum sustulit Christus, et ad id dirigat omnem viam suam ubi scit humanam salvatam esse naturam. Passio enim Domini usque ad finem producitur mundi: et sicut in sanctis suis ipse diligitur, et in pauperibus ipse pascitur, ipse vestitur; ita in omnibus, qui pro justitia adversa tolerant, ipse compatitur: nisi fortè æstimandum est multiplicatâ per orbem fide, et rarescente impiorum numero, omnes persecutiones, et omnia quæ adversùs beatos Martyres sævierunt, finita esse certamina, tanquam suscipiendæ crucis illis tantùm necessitas incubuerit, quibus ad expugnandam Christi dilectionem atrocissima sunt illata supplicia. Sed aliud servientium Deo pietas experitur, aliud etiam Apostoli prædicatio protestatur, qui dicit? *Omnes qui piè volunt vivere in Christo Jesu persecutionem patiuntur.* (2. *Timoth.* III. 12.) Quâ sententiâ nimis tepidus et segnis ostenditur, qui nullâ persecutione pulsatur.

(B) CONSTIT. APOST. *lib.* 5. *cap.* 17. Jejunate igitur diebus Paschæ, incipientes à secunda feria usque ad sextam et sabbatum, sex diebus pane tantùm, sale, oleribus, et aquâ mensæ adhibitis: abstinete his diebus vino, et carne: dies quippe luctûs et non festi sunt: sextâ tamen feriâ, et sabbato ex toto manete jejuni qui ita firmis viribus estis, ut ferre possitis, nihil prorsùs gustantes usque ad nocturnum galli cantum. Si quis verò propter imbecillitatem utrumque diem conjungere non poluerit, saltem sabbatum servet. Ait enim Dominus de se, quando ablatus fuerit eis sponsus, tum jejunabunt in diebus illis. (*Matth.* IX. 15.)

Cap. 18. Quamobrem monemus vos, ut his diebus jejuni maneatis usque ad vesperam, sicut et nos jejuni mansimus, cùm ablatus fuit nobis: reliquis verò diebus ante sextam feriam, edite horâ nonâ, vespere, aut pro ratione virium, ut quis potest: sabbato autem usque ad galli cantum jejunium producite, et illucescente unâ sabbatorum, qui est dies Dominicus, desinite, pervigilantes à vespera usque ad galli cantum, et in Ecclesia in unum congregati preces et supplicationes Deo in pernoctatione vestra adhibentes. Item Legem, Prophetas, et Psalmos usque ad galli cantum legentes, et Cathecumenos baptizantes; ac lecto Evangelio in timore et tremore, et habito ad populum sermone de iis quæ ad salutem pertinent, deponite luctum, et deprecamini Deum, ut convertatur Israël, et locum pœnitentiæ accipiat, et veniam impietatis.

5. EPIPHAN. *adv. Hæres. lib.* 3. *tom.* 1. *Hæres.* 70. *quæ est Audianor. n.* 12. Neque à 16. lunæ die, neque à 9. Xerophagiæ, ac Paschatis hebdomadem, quæ sancta dicitur, inchoare possumus.

In exposit. fidei Cathol. n. 22. Cæterùm ante septem Paschatis dies quadragesimam observare, atque in jejuniis perseverare eadem consuevit Ecclesia: Dominicis verò nullis omninò, adeoque nec ipsius quidem quadragesimæ jejunare solet. Præterea sex illos Paschatis dies Xerophagiis, hoc est, arido victu, transire populus omnis assuevit; hoc est, panem duntaxat cum aqua sub vesperam adhibere. Imò verò nonnulli ad biduum vel triduum, vel quatriduum usque jejunia prorogant. Alii totam hebdomadam ad usque sequentis Dominicæ gallicinium sine cibo transmittunt. Pervigilia verò sex obeunt, ac totidem synaxes: quæ totâ quadragesimâ post horam nonam ad vesperam usque celebrantur. At quibusdam in locis in ea solùm nocte, quæ quintam feriam sequitur,

I. Quodnam mysterium celebratur Dominicâ quæ Palmarum dicitur ?

R. Mysterium ingressûs triumphalis Jesu Christi in Jerusalem, sex diebus antequam pateretur.

I. Quale Mysterium narras ?

R. Rem jam suprà exposuimus. (*Part.* I. *Sect.* 2. *Cap.* I. §. II.) Christus ingressus est Jerusalem sedens super asinam et pullum ejus, ut prædixerat Zacharias. (C) Plebs autem Hebræorum, et pueri maximè *straverunt vestimenta sua in via, alii cædebant ramos de arboribus et sternebant in via : turbæ autem quæ præcedebant et quæ sequebantur*

et in feriam sextam desinit, atque in ea, quæ Dominicam antecedit, pervigilant. Aliis in locis quintâ feriâ Divini mysterii cultus horâ tertiâ celebratur, atque ita missio populi fit, ut in aridorum usu persistant. Alibi verò Divini mysterii cultus non priùs indicitur, quàm Dominicus dies illuxerit, cùm sub gallorum cantum dimittitur populus, in ipso Resurrectionis festo, ac solemni celeberrimoque Paschatis die, quemadmodum præscriptum est. Quod ad alia mysteria pertinet, ut baptismi et quæ interiora sunt, ea ritibus illis, ac cæremoniis obeuntur, quæ ex Evangelio, et Apostolorum auctoritate, ac traditione profectæ sunt.

S. Chrysost. *Homil.* 42. *in sancta et magna Parasceve*, *tom.* 7. *pag.* 404. Dies est crucis, et gaudemus omnes, et jejunamus à malis, et puri sumus in omnibus, in interioribus, in exterioribus. Hæc est festivitatis ratio, hic lætitiæ modus... Intuere totum orbem terrarum, quàm multi pagi, quàm multæ urbes, quàm multa loca, quàm multæ nationes :.... hi omnes propter crucem jejunant, ejus virtute suos affectus crucifigentes, multisque nox absolvitur, neque tamen jejunii labor absolvitur.

S. Bernard. *Serm. de Pass. Dom. feria* 4. *hebdomadæ sanctæ*, *n.* 1. Vigilate animo, fratres, ne infructuosè vos hujus temporis sacramenta pertranseant. Copiosa est benedictio : date receptacula munda ; devotas animas, sensus vigiles, affectus sobrios, puras conscientias exhibite tantis charismatibus gratiarum. Nimirùm admonet vos sollicitudinis hujus non modò specialis ipsa conversatio, quam professi estis : sed et Ecclesiæ, cujus filii estis, generalis observatio. Universi siquidem Christiani sacrâ hâc septimanâ, aut præ solito, aut præter solitum, pietatem colunt, modestiam exhibent, humilitatem sectantur, induunt gravitatem, ut Christo compatienti quodammodo compati videantur. Quis enim tam irreligiosus, qui non compungatur ? Quis tam insolens, qui non humilietur ? Quis tam iracundus, ut non indulgeat ? Quis tam deliciosus, ut non abstineat ? Quis tam flagitiosus, ut non contineat ? Quis tam malitiosus, ut non pœniteat his diebus ? Meritò quidem. Nempe adest passio Domini.... Propè est etiam resurrectio ejus, in qua solemnitatem celebrabitis altissimo Domino.

(C) Zachar. IX. 9. Ecce Rex tuus veniet tibi justus, et Salvator : ipse pauper, et ascendens super asinam, et super pullum filium asinæ.

Matth. XXI. 1.... Jesus misit duos discipulos, 2. dicens eis : Ite in castellum quod contra vos est, et statim invenietis asinam alligatam, et pullum cum ea : solvite, et adducite mihi. 3. Et si quis vobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus his opus habet : et confestim dimittet eos. 4. Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est per Prophetam dicentem : 5. Dicite filiæ Sion : Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, et pullum filium subjugalis. (*Zach.* IX. 9.) 6. Euntes autem discipuli fecerunt sicut præcepit illis Jesus. 7. Et adduxerunt asinam, et pullum, et imposuerunt super eos vestimenta sua ; et eum desuper sedere fecerunt. 8. Plurima autem turba straverunt vestimenta sua in via, etc.

Eadem leguntur Marci XI. 1. *et seq.* Lucæ XIX. 29. *etc. Et* Joan. XII. 12. 15.

clamabant dicentes, Hosanna filio David : benedictus qui venit in nomine Domini : Hosanna in altissimis. (*Matth.* XXI. 8. *et* 9.)

Hosanna vox Hebræa est quæ ad litteram significat *salva nunc, quæso :* sed quæ ex more Hebræorum illius temporis faustam acclamationem significabat, ac si dictum fuisset, pax, gloria, salus.

I. Cur Christus Jerosolymam ingressus est asinâ sedens ?

R. 1. Ut implerentur vaticinia Prophetarum.

2. Ut hoc ipso significaret quàm gereret alienum animum ab omni fastu.

3. Rarior equorum usus erat apud Israëlitas, asinorum multò frequentior, ut patet ex plurimis Scripturarum testimoniis. (D)

I. Cur sola plebs venit obviam Christo ?

R. Ut hinc intelligamus Optimates ut plurimùm et divites hujus seculi, præ fastu et superbia indignos esse qui veniant in partem lætitiæ triumphi Christi ; Deumque simplicitate et laudibus parvulorum et innocentium delectari. (E)

I. Cur fit hâc die solemnis Ramorum benedictio ?

R. Quia in memoriam ingressùs Christi in Jerusalem, turbis obviam illi procedentibus cum palmis, fit hodie Processio solemnis, in qua quisque gestat præ manibus ramum arboris priùs benedictum, ut mos est Ecclesiæ benedicere quidquid ad sacros ritus adhibetur. (F)

I. Cur postquam Processio ad fores Ecclesiæ rediit, non priùs panduntur fores quàm eas Sacerdos tribus repetitis vicibus percusserit, ter dicens : *Attollite portas principes*

(D) *Id invitè demonstratur ex lege* EXOD. XIII. 12. Primogenitum asini mutabis ove ; *quod nempe maximo esset asinus usui Israëlitis : et* XX. 17. Non concupisces domum proximi tui.... non bovem, non asinum, etc. *Immò apud Israëlitas equos fuisse nullibi memoratur in Scripturis, saltem post egressum eorum ex Ægypto, sed tantùm apud exteras nationes usque ad Regem Salomonem, qui* (3. REG. IV. 26.) *habuisse dicitur* quadraginta millia præsepia equorum currilium, et duodecim millia equestrium, *quod etiam refert auctor l.* 2. PARAL. IX. 25. *Hoc fusiùs probare mei non est instituti.*

(E) *Catéchisme de Meaux de* MESSIRE JACQUES BENIGNE BOSSUET, *Leçon* 8. *D.* Qui furent ceux qui allèrent au-devant de Notre Seigneur ? *R.* Le simple peuple et les enfans. *D.* Pourquoi ? *R.* Parce qu'il aime la simplicité et les louanges des ames innocentes.... *D.* Que faut-il donc faire pour avoir part au triomphe du Sauveur ? *R.* Etre doux comme lui et humble de cœur. *D.* Pourquoi Jésus entra-t-il sur une ânesse ? *R.* Pour accomplir les Prophéties. *D.* D'où vient que Dieu l'avait ainsi prédestiné ? *R.* Afin d'éloigner de nous l'esprit de grandeur.

(F) S. BERNARD. *Serm.* 1. *in Purif. B. Mariæ, n.* 1. In secunda jam processione præeunt turbæ, turbæ sequuntur, nec Virgo portat, sed asellus. Neminem itaque dedignatur : nec ipsos qui computruerunt tanquam jumenta in stercore suo : non dedignatur, inquam, sed si Apostolica vestimenta non desint, si doctrina eorum, si morum justitia, si obedientia, si charitas cooperiat multitudinem peccatorum, ex hoc jam processionis suæ gloriâ non censebit indignos.

Vide eumdem *serm.* 1. *in Purific. B. Mariæ, n.* 1. *in fine, suprà* §. 8. *litt.* (N)

Serm. 2. *in Dom. Palm. n.* 1. Celebraturi sumus hodiè processionem, et paulò post audituri passionem.... Processio quidem meritò repræsentatur hodiè, quæ facta est hodiè.

vestras et elevamini portæ æternales, et introibit Rex gloriæ? (*Ps.* XXIII. 16.)

R. Ut hinc intelligamus clausum fuisse hominibus cœlum Adamo peccante, nec nisi Christi morte fuisse reseratum.

I. Quomodo agendus est hic dies ex mente Ecclesiæ?

R. Ea Ecclesiæ mens est,

1. Ut Christum de dæmonibus, morte suâ, triumphantem hodie adoremus.

2. Ut participes simus hujus triumphi, subjiciendo nos sponte Christi imperio; ipsumque in nobis sanctè suscipiendo.

3. Ut hæc sedulò meditantes adsimus palmarum benedictioni et processioni, cæteroque officio Ecclesiæ. (G)

(G) S. EPIPHAN. *seu* AUCTOR. *Serm. in festo Palmar. inter ejus opera, tom.* 2. *pag.* 152. Regi Regum regali cultu obviam eamus. Dominum Dominorum, uti Dominum par est, adoremus: Deo decorum divinitùs canamus; sponso incorruptionis, quales divinum decent sponsum, choros ducamus; hilares hilari vultu lampades accendamus; animorum vestes, ut Deo convenit, immutemus, vias vitæ rectè paremus; animorum nostrorum aditus Regi patefaciamus; victoriæ palmas ut victori mortis portemus; qualientes, prout divinam decet majestatem, olivarum surculos surculo ex Maria nato; Angelicas laudes Angelorum Deo concinamus: unà cum pueris pro dignitate divina vocem extollamus: cum populo pariter populi quæ populum decent conclamemus: Hosanna in excelsis.... O res novas, et supra omnium opinionem admirandas! Heri Christus à mortuis Lazarum excitavit, hodie verò ipse properat ad mortem.... Ibi sola Bethania demiratur; hic verò universa Ecclesia diem festum agit.... O res et dici festi novitate admirabiles, et hominum opinione incredibiles! Pueri Christum tanquam Deum prædicant, et Sacerdotes illi maledicunt: lactentes adorant, et doctores impiè aspernando calumniantur: pueri Hosanna dicunt, et Hebræi Crucifige vociferantur: illi palmas gestantes ad Christum conveniunt, hi cum gladiis ipsum invadunt: illi ramos cædunt, hi crucis lignum præparant: infantes Christo tunicas substernunt, et Sacerdotes Christi vestimenta dispertiunt. Infantes Christum supra pullum extollunt, et senes Christum in cruce suspendunt: pueri Christi pedes adoraverunt, illi verò Christi pedes clavis affixerunt: Pueri laudem deferunt, isti acetum offerunt: pueri Christo honorem, illi verò fel præbent: pueri palmarum ramos quatiunt, isti verò lanceâ Christi latus pungunt: pueri Christum supra pullum (*sedentem*) divinis laudibus celebrant, isti cum qui pullo vehitur vendunt, etc.

S. BERNARD. *Serm.* 1. *in Dom. Palmarum*, *n.* 1. Processionis gloriâ voluit sublimari, qui paulò post sibi noverat imminere diem ignominiosissimæ passionis. Quis ergo sperare jam debeat in incerto gloriæ temporalis, cùm videat in ipso quoque qui peccatum non fecit, Creatore temporum et conditore universitatis, post exaltationem tantam, tantam nihilominus humiliationem sequi? In eadem enim civitate, à plebe eadem, et eodem tempore, nunc quidem processionis gloriâ et divinis est laudibus honoratus: postmodum verò interrogatus contumeliis et tormento, et cum sceleratis deputatus. Hic est transitoriæ finis lætitiæ: hic fructus gloriæ temporalis.

V. 2. In processione quidem cœlestis patriæ repræsentamus gloriam, in passione monstramus viam. Nam in processione quidem venit tibi in mentem futura illa lætitia, et exsultatio multa nimis, quando rapiemur in nubibus obviam Christo in aera, si tota concupiscentiâ videre desideras diem illam, quando suscipietur in cœlesti Hierusalem Christus Dominus caput cum omnibus membris, portans triumphum victoriæ, applaudentibus jam non popularibus turmis, sed virtutibus Angelicis, clamantibus undique populis utriusque testamenti, *Benedictus qui venit*

§. 10. De Feriis Quintâ ex Sextâ majoris Hebdomadæ?

I. Quid egit Christus feriâ quintâ majoris hebdomadæ?

R. Postquam lavisset pedes Apostolorum, sub vesperam sacro-sanctam Eucharistiam instituit: deindè factâ oratione traditus est in manus Judæorum, et nocte sequenti multa passus. (A) Quæ omnia fusius suprà retulimus. (*Part.* 1. *Sect.* 2. *Cap.* 1. *à* §. 11. *ad* 20.)

in nomine Domini. (*Marc.* XI. 10.) Si, inquam, considerasti in processione, quò properandum sit: disce in passione, quà sit eundum. Hæc est enim via vitæ; tribulatio præsens, via gloriæ, via civitatis habitaculi, via regni.

Serm. 3. *n.* 1. Cùm universa fecerit Deus *in numero, pondere, et mensura:* (*Sap.* XI. 21.) specialiùs tamen ea tempora quibus in terris visus est, et cum hominibus conversatus est, quæcunque in eis operatus, locutus, aut passus est, ita disposuit, ut nec minimum quidem momentum, ne unum iota à sacramento vacaverit, aut præterierit sine mysterio. Evidentiùs tamen quatuor proximos dies, et ipsum quem hodie colimus, illustravit diem Processionis, diem Refectionis, Passionis, Requietionis et Resurrectionis suæ. Notabiles admodum dies, et inter cæteros insignes magis. Primâ siquidem die gloriam suscipere dignatus est humanam: et cum ingenti quodam tripudio, et exsultatione universæ terræ, Hierosolymam non propriis, ut hactenus consueverat, pedibus, sed jumento vectus intrare. Et hæc quidem præparatio ad passionem fuit, excitatâ hinc maximè invidiâ Sacerdotum. Sanè venturas aliquando turbas ut raperent, ut eum Regem facerent, fugiens legitur declinasse. (*Joan.* VI. 15.) Nunc verò etiam non quæsitus affuit, ut tanquam Rex Israël susciperetur et prædicaretur ab eis, quin etiam in hæc ipsa præconia eorum, quod dubium non est, animos excitavit. Sic nimirùm et de passione advertere est. Exiit quandoque et abscondit se ab eis, scilicet Judæis: nec volebat jam ambulare palàm in Judæa: quia quærebant eum interficere. Sciens autem quòd venerit hora ejus, tanquam potestatem habens spontaneus ipse se obtulit passioni. Decebat nempe Pontificem nostrum tentari *per omnia pro similitudine absque peccato* (*Hebr.* IV. 15.), ut tanquam verus homo et prospera hominum et adversa opportunè vitaret, opportunè susciperet, et utrarumque rerum in seipso nobis salutare præberet exemplum. Ut enim temperantiæ est, præconia populi et seculi hujus prospera declinare: sic interdum justitiæ est, certà quidem dispensatione admittere ea. Persecutio quoque et temporalis omnis adversitas pro loco et tempore prudenter aliquando fugienda erit: cùm autem necesse fuerit, viriliter toleranda.

Serm. 1. *in die Paschæ, n.* 15. Luximus his diebus, compunctioni et orationi, gravitati abstinentiæ dediti, cæterorum negligentias temporum sacro hoc quadragenario redimere et diluere cupientes. Communicavimus passionibus Christi, complantati ei denuò sumus per baptismum quemdam lachrymarum, pœnitentiæ, et confessionis. *Si ego mortui sumus peccato, quomodo vivemus adhuc in illo?* (*Rom.* VI. 2.) Si negligentias planximus, quid causæ est ut recidamus nunc easdem.

V. 16. Venturo parastis hospitium, confitentes peccata cum gemitu, castigantes corpora, eleemosynas impendentes.

(A) JOAN. XIII. 4. Ponit (Jesus) vestimenta sua, et cùm accepisset linteum, præcinxit se. 5. Deinde mittit aquam in pelvim, et cœpit lavare pedes discipulorum, et extergere linteo, quo erat præcinctus.... 12. Postquàm ergo lavit pedes eorum, et accepit vestimenta sua: cùm recubuisset iterùm, dixit eis: Scitis quid fecerim vobis? 13. Vos vocatis me Magister, et Domine, et benè dicitis: sum etenim. 14. Si ergo ego lavi pedes vestros, Dominus, et Magister: et vos debetis alter alterius lavare pedes. 15. Exemplum enim dedi vobis: ut quemadmodùm ego feci vobis, ita et vos faciatis.... 21. Cùm hæc dixisset Jesus turbatus est spiritu: et protestatus est, et dixit: Amen dico vobis: Quia unus ex

vobis tradet me.... 26.... cui ego intinctum panem porrexero. Et cùm intinxisset panem, dedit Judæ Simonis Iscariotæ. 27.... Et post buccellam, introivit in eum Satanas. Et dixit ei Jesus : Quod facis, fac citiùs. 30. Cùm ergo accepisset ille buccellam, exivit continuò.

MATTH. XXVI. 20. Vespere autem facto, discumbebat cum duodecim discipulis suis. 21. Et edentibus illis dixit : Amen dico vobis, quia unus vestrùm me traditurus est. 22. Et contristati valdè, cœperunt singuli dicere : Nunquid ego sum Domine. 23. At ipse respondens, ait.... 24. Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de illo : væ autem homini illi, per quem filius hominis tradetur : bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.... 26. Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem, et benedixit ac fregit, deditque discipulis suis, et ait : Accipite, et comedite : hoc est corpus meum. 27. Et accipiens calicem gratias egit : et dedit illis, dicens : Bibite ex hoc omnes. 28. Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.... Et hymno dicto, exierunt in montem Oliveti.... 37. Et cœpit contristari et mœstus esse. 38. Tunc ait illis (discipulis tribus :) Tristis est anima mea usque ad mortem : sustinete hic, et vigilate mecum. 39. Et progressus pusillùm, procidit in faciem suam, orans, et dicens : Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste, verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.... 42. Iterùm secundò oravit, dicens : Pater mi, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua.... 44. Iterùm oravit tertiò eumdem sermonem dicens.... 45. Tunc venit ad discipulos suos, et dicit illis.... Ecce appropinquavit hora, et filius hominis tradetur in manus peccatorum. 46. Surgite, eamus : ecce appropinquavit qui me tradet. 47. Adhuc eo loquente, ecce Judas unus de duodecim venit, et cum eo turba multa, cum gladiis et fustibus, missi à principibus Sacerdotum, et senioribus populi. 48. Qui autem tradidit eum, dedit illis signum dicens : Quemcunque osculatus fuero, ipse est, tenete eum. 49. Et confestim accedens ad Jesum, dixit : Ave Rabbi. Et osculatus est eum. 50. Dixitque illi Jesus : Amice, ad quid venisti ? Tunc accesserunt, et manus injecerunt in Jesum, et tenuerunt eum.... 55..... Dixit Jesus turbis : Tanquam ad latronem existis cum gladiis, et fustibus comprehendere me.... 56.... Tunc discipuli omnes, relicto eo fugerunt. 57. At illi tenentes Jesum, duxerunt ad Caïpham principem sacerdotum.... 59. Principes autem sacerdotum, et omne concilium, quærebant falsum testimonium contra Jesum, ut eum morti traderent ; 60. et non invenerunt ; cùm multi falsi testes accessissent.... Novissimè autem venerunt duo falsi testes. 61. Et dixerunt : Hic dixit, Possum destruere templum Dei, et post triduum rædificare illud. 62. Surgens princeps sacerdotum, ait illi : Nihil respondes ad ea quæ isti adversùm te testificantur ? 63. Jesus autem tacebat. Et princeps sacerdotum ait illi : Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis si tu es Christus Filius Dei. 64. Dicit illi Jesus : Tu dixisti. Verumtamen dico vobis, amodò videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei et venientem in nubibus cœli. 65. Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens : Blasphemavit : quid adhuc egemus testibus ? Ecce nunc audistis blasphemiam. 66. Quid vobis videtur ? At illi respondentes dixerunt : Reus est mortis. 67. Tunc exspuerunt in faciem ejus, et colaphis eum ceciderunt, alii autem palmas in faciem ejus dederunt, 68. dicentes : Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit ?

MARC. XIV. 21.... Væ homini illi, per quem filius hominis tradetur. Bonum erat ei, si non esset natus homo ille. 22. Et manducantibus illis, accepit Jesus panem : et benedicens fregit, et dedit eis, et ait : Sumite, hoc est corpus meum. 23. Et accepto calice, gratias agens dedit eis : et biberunt ex illo omnes. 24. Et ait illis : Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur.... 26. Et hymno dicto, exierunt in montem olivarum.... 33. Et cœpit pavere, et tædere. 34. Et ait.... Tristis est anima mea usque ad mortem.... 35. Procidit super terram : et orabat, ut si fieri posset, transiret ab eo hora : 36. Et dixit : Abba Pater, omnia tibi possibilia sunt, transfer calicem hunc à me, sed non quod ego volo, sed quod tu.... 39. Et iterùm abiens oravit,

eumdem sermonem dicens.... 41.... Ecce Filius hominis tradetur in manus peccatorum.... 42. Ecce qui me tradet, propè est. 45. Et adhuc eo loquente, venit Judas Iscariotes unus de duodecim, et cum eo turba multa, cum gladiis et lignis.... 44. Dederat autem traditor ejus signum eis, dicens : Quemcunque osculatus fuero, ipse est, tenete eum, et ducite cautè. 45. Et cùm venisset, statim accedens ad eum, ait : Ave Rabbi : et osculatus est eum. 46. At illi manus injecerunt in eum, et tenuerunt eum.... 48. Et respondens Jesus, ait illis : Tanquam ad latronem existis cum gladiis et lignis comprehendere me ?.... 50. Tunc discipuli ejus relinquentes eum omnes fugerunt.... 53. Et adduxerunt Jesum ad summum sacerdotem.... 55. Summi verò sacerdotes, et omne consilium, quærebant adversùs Jesum testimonium, ut eum morti traderent, nec inveniebant. 56. Multi enim testimonium falsum dicebant adversùs eum : et convenientia testimonia non erant.... 61. Summus sacerdos interrogabat eum, et dixit ei : Tu es Christus Filius Dei benedicti ? 62. Jesus autem dixit illi : Ego sum ; et videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, et venientem cum nubibus cœli. 62. Summus autem sacerdos scindens vestimenta sua, ait.... 64. Audistis blasphemiam : Quid vobis videtur ? Qui omnes condemnaverunt eum reum esse mortis. 65. Et cœperunt quidam conspuere eum, et velare faciem ejus, et colaphis eum cædere, et dicere ei : Prophetiza : et ministri alapis eum cædebant.

Luc. xxii. 14. Discubuit, et duodecim apostoli cum eo.... 19. Et accepto pane gratias egit, et fregit, et dedit eis, dicens : Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur : hoc facite in meam commemorationem. 20. Similiter et calicem, postquàm cœnavit, dicens : Hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur. 21. Verumtamen ecce manus tradentis me, mecum est in mensa.... 37. Dico enim vobis, quoniam adhuc hoc quod scriptum est, oportet impleri in me : (*Isai.* liii. 12.) Et cum iniquis deputatus est.... 41. Positis genibus orabat, 42. dicens : Pater si vis, transfer calicem istum à me : verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat.... 43. Et factus in agonia, prolixiùs orabat. 44. Et factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.... 47. Adhuc eo (Jesu) loquente, ecce turba : et qui vocabatur Judas unus de duodecim, antecedebat eos : et appropinquavit Jesu ut oscularetur eum. 48. Jesus autem dixit illi : Juda, osculo Filium hominis tradis ?.... 52. Dixit autem Jesus ad eos, qui venerant ad se, principes sacerdotum, et magistratus templi, et seniores : Quasi ad latronem existis cum gladiis et fustibus ? 53. Cùm quotidie vobiscum fuerim in templo, non extendistis manus in me : sed hæc est hora vestra, et potestas tenebrarum.... 54. Comprehendentes autem eum, duxerunt ad domum principis sacerdotum : Petrus verò sequebatur à longè.... 63. Et viri qui tenebant illum, illudebant ei, cædentes. 64. Et velaverunt eum, et percutiebant faciem ejus : et interrogabant eum, dicentes : Prophetiza, quis est, qui te percussit ? Et alia multa blasphemantes dicebant in eum.

1. Cor. xi. 20. Convenientibus ergo vobis in unum, jam non est Dominicam cœnam manducare. 21. Unusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum. Et alius quidem esurit, alius autem ebrius est. 22. Nunquid domos non habetis ad manducandum, et bibendum ? aut Ecclesiam Dei contemnitis, et confunditis eos, qui non habent ? Quid dicam vobis ? Laudo vos ? In hoc non laudo. 23. Ego enim accepìà Domino quod et tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem. 24. Et gratias agens fregit et dixit : Accipite, et manducate : hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur : hoc facite in meam commemorationem. 25. Similiter et calicem, postquam cœnavit, dicens : Hic calix novum testamentum est in meo sanguine, hoc facite quotiescunque bibetis, in meam commemorationem. 26. Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat. 27. Itaque quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis et sanguinis Domini... 28. Probet autem se ipsum homo : et sic de pane illo edat, et de calice bibat. 29. Qui enim manducat et bibit indignè, judicium sibi manducat et bibit : non dijudicans corpus Domini. 30. Idcircò inter

I. Quæ mens est Ecclesiæ hâc die ?

R. Ut isthæc omnia mysteria meditemur, et horum participes simus. (B)

vos multi infirmi et imbecilles, et dormiunt multi. 31. Quod si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur. 32. Dum judicamur autem, à Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur. 33. Itaque, fratres mei, cùm convenitis ad manducandum, invicem exspectate. 34. Si quis esurit, domi manducet : ut non in judicium conveniatis. Cætera autem, cùm venero, disponam.

(B) S. BERNARD. *Serm. in Cœna Domini, n.* 1. Ei sunt dies quos observare debemus, dies pleni pietate et gratiâ, quibus etiam sceleratorum hominum mentes ad pœnitentiam provocantur. Tanta siquidem est vis sacramentorum eorum, quæ diebus istis recoluntur, ut possint ipsa quoque lapidea scindere corda, et pectus omne licèt ferreum emollire... Denique videmus usque hodie ad passionem Christi non modò cœlestia compati, sed terram moveri, et petras scindi, et in confessione peccatorum aperiri monumenta.

N. 4. Sed tamen quid agimus quod in hoc corpore peccati, et in hoc tempore malo non possumus esse sine peccato ? Nunquid desperabimus ? Absit. * *Si dixerimus*, ait Beatus Joannes, *quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est. Si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis Deus est qui remittat nobis peccata, et emundet nos ab omni iniquitate.* (1. *Joan.* I. 8. *et* 9.) Nam ut de remissione quotidianorum minimè dubitemus, habemus ejus sacramentum, pedum ablutionem. Quæris fortè undè sciam quòd sacramentum sit hujus remissionis, maximè cùm ipse Dominus promiserit Petro dicens : *Quod ego facio, tu nescis modò : scies autem postea.* (*Joan.* XIII. 7.) Nihil autem de sacramento locutus est : sed tantùm, *Exemplum*, inquit, *dedi vobis, ut et vos ita faciatis.* (*Ibid.* 15.) Verùm multa habebat illis dicere, sed tunc portare non poterant : ideòque nec ex toto voluit eos anxios et suspensos relinquere, nec dicere quod tunc non caperent. Vis autem nosse quia pro sacramento illud est, non pro solo exemplo factum ? Illud attende quod Petro dictum est : *Si non lavero te, non habebis partem mecum.* (*Ibid.* 8.) Aliquid igitur latet quod necessarium est ad salutem, quando sine eo nec ipse Petrus partem haberet in regno Christi et Dei. Vide enim si non expaverit Petrus ad tantæ comminationis terrificum verbum, si non agnoverit salutare esse mysterium, cùm respondit : (*Ibid.* 9.) *Domine, non tantùm pedes meos, sed et manus, et caput.* Et unde scimus quia ad diluenda peccata, quæ non sunt ad mortem, et à quibus plenè cavere non possumus ante mortem, ablutio ista pertineat ? Ex eo planè, quòd offerenti manus et caput pariter ad abluendum responsum est : *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet.* (*Ibid.* 10.) Lotus enim est, qui gravia peccata non habet, cujus caput, id est intentio, et manus, id est operatio et conversatio, munda est : sed pedes, qui sunt animæ affectiones, dum in hoc pulvere gradimur, ex toto mundi esse non possunt, quin aliquando vanitati, aliquando voluptati, aut curiositati plus quàm oporteret, cedat animus vel ad horam : *In multis enim offendimus omnes.* (*Jacob.* III. 2.)

Serm. 2. *in Cœna Domini n.* 9. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera commorabitur.* (*Cant.* I. 12.) Ibi enim est cor. Et ubi est cor, ibi dilectio : et ubi dilectio, ibi dilecti mansio. Novit autem quicunque recte sapit, quantùm Christianæ pietati expediat, quantùm Dei servum deceat sacrosanctæ passionis ipsius fideliùs recolere beneficia, ad fruendum suaviter in conscientia, ad recondendum pleniùs per imitationem in memoria : quod est spiritualiter manducare corpus Domini, et sanguinem ejus bibere, ob amorem et reverentiam ejus, qui credentibus in se præcipit dicens : *Hoc facite in meam commemorationem.* (1. *Cor.* XI. 24.) In quo etiam quàm impium sit hominem tantæ pietatis Dei esse immemorem, palàm est omnibus : cùm amici morientis, vel peregrè proficiscentis commendatam sibi sub aliquo signo memoriam nefas sit oblivisci. Siquidem hujus reverendæ commemorationis mysterium, suo modo, suo tempore, suo loco celebrare licet paucis hominibus, quibus et hoc

I. Cur hâc die fit ab Episcopis solemnis sacrorum oleorum benedictio ?

R. Quia hæc olea necessaria sunt in usum Baptismatis sabbato sequenti conferendi. Rem explico.

Hoc prisco fuit in more positum, ut quotiescunque Episcopus esset solemniter baptizaturus, totics faceret priùs oleorum benedictionem, quemadmodum Sacerdotes etiamnum benedicunt sal quoties sunt baptizaturi. Oleorum sicut et rerum plerarumque benedictio fiebat olim intra Missarum solemnia, ut fusiùs infra explicabimus. (*Part.* 3. *Sect.* 2. *Cap.* 7. §. 22. *n.* 25. *et Cap.* 8. §. 6.) In vigiliis Paschæ et Pentecostes Baptismum fuisse solemniter ab Episcopis collatum nemo est qui nesciat. Ante Missam autem baptizabantur Catechumeni, ut câdem die possent adesse et communicare sacrificio. Necesse ergo erat ab Episcopo pridiè benedici intra Missarum solemnia olea sacra in usum baptismi sequentis diei. Non poterat autem hæc benedictio fieri feriâ sextâ majoris hebdomadæ; quia hâc die non agebantur, sicut nec nunc aguntur, Missarum solemnia. Ergo necesse erat ut in feriam quintam solemnis hæc oleorum benedictio referretur, quod et factum est.

Posteà sensim tandem usus invaluit, ut nonnisi feriâ quintâ majoris hebdomadæ fieret benedictio olei catechumenorum, olei infirmorum, et sacri chrismatis. Eaque jam Ecclesiæ lex est. Nec sine ratione quidem; cùm enim præcipuè in usum Sacramentorum benedicantur olea sacra; ubi fixum est eam benedictionem semel solùm in anno peragere, maximè expedit ut illâ potissimùm die peragatur, quâ præcipuorum Sacramentorum institutionem celebramus. (C)

traditum est mysterium. Rem verò mysterii omni tempore et in omni loco dominationis Dei modo quo traditum est, id est, debitæ pietatis affectu, et sanctæ imitationis effectu agere, tractare et sumere in salutem cunctis fidelibus in promptu est. Nam et sacramentum sicut accipit ad vitam dignus : sic ad judicium et mortem propriam indignus. Sacramentum enim sine re sacramenti, mors est sumenti. Res verò sacramenti etiam præter sacramentum, vita æterna est accipienti. Quoties in commemorationem ejus qui pro te passus est, piè ac fideliter Christum imitando fueris affectus et devotus, corpus ejus manducas, et sanguinem ejus bibis : et quandiu in eo manes per amorem, ipse verò in te per justitiæ et sanctitatis operationem, in ejus corpore et in membris ejus computaberis. Et ideò si amas animam tuam, propter Christum perdere debes eam, sive ponendo ut martyr, si necessitas exegerit ; sive affligendo districtiùs ut pœnitens : quanquam et genus martyrii sit spiritu facta carnis mortificare, illo nimirùm quo membra cæduntur ferro, horrore quidem mitius, diuturnitate autem molestius. Habeamus ergo eorum quæ contemptibilia Christo sunt illata, continuam et indesinentem memoriam : non utique otiosam, non tepidam, non torpentem : sed compassionis ardore super omnia plurimùm delectantem, et imitationis privilegio omnia impetrantem.

(C) *Adi si lubet hujusce Operis Part.* 3. *Sect.* 2. *Cap.* 8. §. 5. *ubi de hujusce benedictionis antiquitate, ac cæremoniis fusiùs agimus.*

Musæi Italici *tom.* 2. *Comment. in Ordinem Romanum, à* Joan. Mabillon B. *n.* 11. In die Cœnæ Domini pœnitentes, qui feriâ quartâ cinerum præcedente reclusi fuerant, absolvi mos erat, Chrisma novum conse-

erari ; novum item ignem benedici, atque Eucharistiam in crastinum reservari. et quod ab annis fere quadringentis institutum est, processus, ut vocant, generales seu excommunicationes pronuntiari adversùs quosdam criminosos : qui progressus etiam in Ascensione Domini et in dedicatione Basilicæ Apostolorum fieri solebant.

In primis referendum videtur id quod, ex vetustissimo libro Sacramentorum Egberti Eboracensis Episcopi in Ebroicensi Ecclesia asservato, de feria quinta in cœna Domini legitur. « In cœna Domini horâ sextâ » celebratur Missa ad Lateranis. Sic incipiens Pontifex dicit : *Oremus.* » Tunc ponuntur in altare sancta, et altare est cavum. Omnibus ritè in » altare compositis, oblata et libamenta, paucaque per Ecclesiam » luminaria accensa, Diaconi dalmaticis vestiti, cerostata novem ante » altare posita, stante ante altare Pontifice et elevatâ dicente voce, » *Sursum corda*, respondet populus, *Habemus ad Dominum :* et Pontifex » finito *verè dignum*, dicit omnis clerus et populus, *sanctus.* Sic intrat » in Missam usque *veniæ quæsumus Domine largitor admittas.* Tunc Dia- » conus Cardinalis sumens oleum pro infirmis portet usque ad Pontificem: » at ille paululùm diverlens se ab altare, stans in suo gradu, signans » oleum in manu Diaconi, et orationem suprà tacitè dicens. Oratione » finitâ ponatur oleum super columnam quamdam. Sacerdos Missam » ordine suo celebrat, dicit *per quem hæc omnia*, etc. Post orationem » Dominicam Pontifex tacitè signat calicem cum oblata sanctificata, » nemine respondente. Diaconi cooperiunt sacramenta. Tunc Archidia- » conus ascendens cum chrisma, ampullam auream cum pallio albo in » manu sua offert benedicendam Pontifici. Finitâ oratione consecrationis, » ab Acolythis ad salutandum proferatur, et in secretario ponatur. » Communicante clero omnique populo, dicit Pontifex omnibus com- » municantibus, *Accepit Jesus panem. Oremus.* Dalâ oratione respondet » omnis populus *Amen.* » Huc usque codex Egberti Eboracensis qui medio seculo octavo floruit.

In hoc fragmento quædam ampliori luce indigent, et primò quidem *ante missam ponuntur in altare sancta :* quo nomine Eucharistiam ex præcedente sacrificio reservatam significari existimo, ut nempè in calicem unà cum fragmento Eucharistiæ recèns consecrata commisceretur solemni ritu.

Secundò Lateranensis Ecclesiæ *altare est cavum :* Unde Pontifex, remotâ mensâ quæ aditum ad interiora occludebat, intra ipsum altare hac die sacris operabatur. Ordo Romanus ex codice Maffæano... rem exponit in hunc modum. « Levatur mensa de altari palliis desuper com- » plicatis, et cum reverentia, et omni devotione ab eisdem reportetur, » ad capellam sancti Pancratii juxta claustrum Canonicorum, quia ibi » est locus conservationis : et cum omni cautela usque in diem sabbati » custodiatur. Deinde Pontifex venit ad Altare accipiens ampullam » vitream, quæ intùs se continet quoddam vasculum aureum, et in » vasculo est lapis pretiosus concavus, et in illa concavitate lapidis est » sanguis Christi diligenter inclusus, qui dicitur miraculosè de quadam » imagine Christi percussa profluxisse, qui annualiter extrahitur, et » reponitur ibi in concavitate lapidis arcæ, et tunc levatur à Pontifice » et ostenditur ut tota turba valeat cum timore et omni devotione videre. » Posteà traditur custodienda Priori et Canonicis ejusdem Ecclesiæ » usque in diem sabbati. Tunc Pontifex ad sacrificandum intrat solus » infra arcam : ut significetur quod in veteri testamento scriptum est, » quia solus Pontifex intrabat solus in anno in sancta sanctorum, etc. » Eamdem hujusce facti rationem affert Innocentius III. in sermone in Cœna Domini : cui accedit Guillelmus Durandus in l. 6. c. 75.

Factâ Chrismatis benedictione Pontifex, ablutis manibus, revertebatur ad altare, ubi communicabat, et post eum *omnis populus ordine suo*, quæ verba sunt primi ordinis Romani : *et servabatur de sancta usque in crastinum. Eâ verò die horâ nonâ faciebant excuti ignem de lapide in loco foris basilicam, ita ut posset candela accendi*, ex qua lumen *servabatur usque in sabbatum sanctum ad illuminandum cereum, qui eodem die benedicendus erat.* Modo hæc novi ignis benedictio in sabbatum ipsum remittitur.

I. Cur non pulsantur campanæ hoc triduo ?

R. 1. Fortè voluit Ecclesia servare hoc triduo veterem usum (sicut et in aliis multis servavit) eo modo congregandi fideles in Ecclesiam , quomodo congregabantur antequam usus campanarum fuisset inventus.

2. Compatitur Ecclesia et condolet hoc triduo Christo dolenti et patienti. Campanarumque silentium signum magni mœroris est.

3. Rupertus existimat hoc campanarum silentio significari fugam Apostolorum ubi Christus captus est.

Quod ut intelligatur, advertendum est quod alibi fusiùs tractabimus, non immeritò campanas accipi pro typo Pastorum et maximè Apostolorum; quia quod agunt campanæ, hoc et Pastores agere tenentur. (D) (Vide quæ dicemus infrà de benedictione campanarum.) (*Part.* 3. *Sect.* 2. *Cap.* 8. §. 6.)

(D) **Ruperti** Abbat. Tuitiens. *lib.* 5. *de divin. offic. cap.* 29. Signa Ecclesiæ quæ campanas dicimus, sanctos Christi præcones significare , suo loco jam dictum est , qui charitatis igne excocti et divinâ instructione formati, *in protectione Dei cœli* , (*Ps.* xc. 1.) tanquam in turri fortitudinis commanentes , immò suspensâ mente pendentes , quædam fraternæ dilectionis corda commoventur , ut non taceant prædicare nomen Domini dicentes : *Qui reminiscimini Domini ne taceatis , et ne detis silentium ei.* (*Isaï.* lxii. 6. *et* 7.) Notum est autem primos hujusmodi præcones, scilicet sanctos Apostolos, non solum conticuisse, sed et relicto eo omnes fugisse. (*Matth.* xxvi. 56.) Petrus quoque cæterorum Princeps , cujus ab ore primum veritatis præconium in omnem terram exivit dicentis : *Tu es Christus Filius Dei vivi* , (*Matth.* xvi. 16.) vocem illam clarissimam repressit , conticuit , Christum reliquit , fugit , et negavit. Igitur eâ horâ qua Christus traditus est , rectè signis Ecclesiæ silentium indicimus , Christumque solum torcular calcantem , solum in ligno crucis extenso corpore tympanizantem , testimonium veritati humili ac solitariâ voce perhibentem , ligneo malleolo in tabula suspenso et personante , populumque ad Ecclesiam invitante significamus.

Walafr. Strabo *lib. de rebus Eccles. cap.* 5. De vasis verò fusilibus vel etiam productilibus , quæ simpliciter signa vocantur , quia eorum sonoritate quibusdam pulsibus excitatâ, significantur horæ quibus in domo Dei statuta celebrantur officia : de his, inquam , hic dicendum videtur , quòd eorum usus non adeò apud antiquos habitus proditur : quia nec tam multiplex apud eos conventuum assiduitas, ut modò est , habebatur. Apud alios enim devotio sola cogebat ad statutas horas concurrere. Alii pronuntiationibus publicis invitabantur , et in una solemnitate proximè futuras discebant. Apud quosdam tabulis, apud nonnullos cornibus horæ prodebantur.

M. Bocquillot , *Traité histor. de la Liturgie* , *liv.* 2. *chap.* 6. Il n'y a pas d'apparence que l'on se soit servi d'aucun signal public , pour appeler les Fidèles à la Messe dans les trois premiers siècles , puisque la plupart du temps ils ne s'assemblaient qu'en cachette. Ils savaient les jours d'assemblée , les heures et les lieux où l'on s'assemblait : leur piété les y portait avec ardeur ; cela suffisait pour n'y point manquer dans des temps difficiles , où ils n'avaient pas la liberté d'en user autrement. Peut-être même leur annonçait-on dans une assemblée , le lieu , le jour et l'heure de l'assemblée prochaine , comme certainement on a fait depuis. Cela se pouvait facilement faire dans les intervalles de paix , dont les Eglises jouissaient de temps en temps. Et dans la chaleur des persécutions, les Fidèles s'avertissaient les uns les autres , comme ils pouvaient , du lieu et du temps de la prochaine assemblée , selon qu'ils en avaient été avertis eux-mêmes par quelques-uns des Ministres. Depuis que Constantin

I. Cur hâc die ex pio fidelium ritu fit statio ad varias Ecclesias ?

R. Ut hâc stationum varietate revocetur in memoriam quod Christus variis in locis passus est ; nimirum in horto Gethsemani ; apud Caipham ; apud Pilatum ; apud Herodem ; in monte Calvariæ : et quod ab omnibus ferè generibus hominum passus est, scilicet à Discipulis suis, à Judæis, à Gentibus, à Sacerdotibus, à Regibus, à Magnatibus, à Judicibus, à plebe, à militibus, etc.

I. Quid in unaquaque statione faciendum ?

R. Revocanda in memoriam in singulis stationibus aliqua ex iis quæ variè passus est. Nimirùm in prima statione quæ passus est in horto ; in secunda statione, quæ passus est apud Caïpham, etc. Et sic de cæteris.

I. Cur servatur in posterum diem Eucharistia ?

R. Ad communionem. Neque enim feriâ sextâ majoris hebdomadæ celebratur Missæ sacrificium. (E) Attamen olim

eût donné aux Chrétiens la liberté de s'assembler, il y a beaucoup d'apparence qu'on se servit des signes qui étaient en usage, selon les lieux, pour convoquer les assemblées publiques, et c'est ce qu'il faut rechercher présentement. On peut facilement conjecturer qu'on se servit de trompettes en plusieurs Eglises, de cela seul que Dieu les avait prescrites pour assembler son ancien peuple. (*Num.* x. 2.) Et nous voyons qu'en effet on s'en est servi dans plusieurs des plus anciens Monastères, pour assembler les Moines aux divins offices. Il en est fait mention dans la règle de saint Pacôme c. 3. et dans saint Jean Climaque grad. 19. Il est donc très-probable qu'on s'en est aussi servi dans plusieurs Eglises pour assembler le peuple.

Je ne parlerai pas ici de quelques autres signes usités parmi les anciens Moines, comme de faire du bruit avec le pied dans un lieu d'où ils pouvaient entendre, ou de frapper la porte de leurs cellules avec un marteau ; ou de chanter l'*Alleluia*, comme saint Jérôme le dit d'un Monastère de Vierges de Bethléhem. Car tous ces signes ne pouvaient servir à convoquer les Fidèles, qui ne sont pas ramassés dans un même lieu comme des Moines. Il faut donc parler plutôt des autres signes dont on s'est servi autrefois avant l'invention des cloches. Il est certain que les anciens se sont servis non-seulement de trompettes ou de cornes pour assembler le peuple, mais encore de plats, de marmites, de chaudières, et de tous autres instrumens d'airain, ou de cuivre, propres à faire un grand bruit : et il y a beaucoup d'apparences que ce sont là les premiers signes dont on s'est servi, comme les plus faciles à trouver. On s'est aussi servi de planches de bois bien polies, que l'on frappait avec un maillet de bois. Ce signal est encore en usage parmi les Grecs, qui sont sous la domination des Turcs. Ce sont les Prêtres mêmes qui se servent de cet instrument pour appeler le peuple à la prière ; ils tiennent la planche de la main gauche en l'air dans un lieu élevé, et ils frappent dessus avec un maillet de la main droite, avec tant d'art, qu'ils imitent même les airs de musique que l'on joue sur d'autres instrumens. C'est apparemment de cette ancienne manière de convoquer le peuple, que nous est venu l'usage des crécelles de bois dont nous nous servons au lieu de cloches les trois derniers jours de la semaine sainte. Comme l'Eglise a conservé plusieurs anciens rites dans ces jours, il se peut fort bien faire qu'elle ait aussi voulu conserver celui-ci, pour faire souvenir de la simplicité ancienne avec laquelle on appelait les Chrétiens à la prière.

(E) D. JOAN. MABILLON. *in Præf. seu Comment. in Ord. Rom. n.* XI. *pag.* LXXIX. In vulgato Ordine Romano præscribitur, ut factâ Chrismatis benedictione Pontifex redeat ad altare : *et Diaconi discooperiunt sancta* : Dein

Pontifex dividat oblatas ad frangendum, et communicet omnis populus ordine suo, et sumat de ipsis oblatas integras ad servandum usque mane diei Parasceves, de quibus communicent absque sanguine Domini. Sanguis verò eâdem die penitùs consumatur. Ita etiam legitur in codice Vindocinensi : et post pauca, *Fractis autem oblatis, communicent primò Presbyteri, postea Diaconi et cæteri omnes, et ita perficiatur Missa pleniter ordine suo.* In ordine Maffæano mox laudato solus Pontifex hâc die communicare dicitur, ubi apud Lateranum sacra facit.

Non prætermittendus hoc loco codex Corbeïensis qui prælitulatur : *Ordo Romanus pro triduo ante Pascha ritui monastico ante annos octingentos accommodatus.* Quæ enim in eo leguntur de communione in Cœna Domini videntur observatione digna. « Sacerdos verò cùm fregerit sancta, » mittat unam partem in calicem, et ex alia communicet, porrò tertiam » in altare dimittat, et confirmetur à Diacono de calice et illo tantum- » modò die. Postquam confirmaverit Sacerdotem, ponat calicem super » altare, et accipiat Diaconus patenam majorem, mittatque in ea de » sancta oblatas integras, et ponat juxta calicem in sinistro latere : et » duo Subdiaconi veniant unus cum patena, et alius cum calice, » utrisque vacuis ; et tollat Diaconus de majore patena ex oblatis quan- » tum sufficere possit ad communicandum populum ; et de calice simi- » liter, et mittat in patenam et calicem, quæ Subdiaconi tenent in » manibus. Et statim illud quod remanet super altare, cooperiatur à » duobus Diaconibus, utrumque sindone mundâ, et de illa alia super » altare faciant confractionem, et redeant ad Sacerdotem, ut commu- » nicent ipsi et reliqui per ordinem ; et datâ oratione post communionem » Diaconus non dicat *Ite Missa est*, sed ipsâ oratione finiantur universa. » Ipsa verò oblata, quæ super altare cooperta remanserant, serventur » in crastinum juxta consuetudinem. » Huc usque codex Corbeïensis num. 663. In superioribus verbis, *Confirmetur à Diacono de calice, et illo tantummodò die*, quædam obscuritas inest, ex aliis libris illustranda : in quibus præscriptum est, ut Pontifex cum fistula seu calamo sanguinem è calice sugat, præterquam in cœna Domini, quo tantùm die ex ipso calice sanguinem olim hauriebat. Denique in veteri Missali Illustrissimi Episcopi Rivensis ab annis fermè sexcentis scripto totidem ferè quæ in Ordine Romano, verba referuntur in hunc modum. « Tunc » communicet solus Presbyter seu Episcopus : et Diaconus cooperit sancta » de syndone super altare. Postea Presbyter lavet manus, et Diaconus » vadat ad altare et dividat oblata ad frangendum, et communicet » omnis populus ordine suo, etc. Et corpus Domini in crastinum dili- » gentissimè reservetur : et dum chorus Vesperas dixerit, ubi reservari » debet, veneranterque deportetur à Sacerdote, et Diacono cum reli- » quis ministris, linteamen mundissimum desuper tenentibus, et hoc » sine sanguine, et thuribulo et luminaribus præcedentibus, usquequo » reponatur, ubi reponendum est : et nunquam sine lumine remaneat. » Huc usque vetus Missale quod fuit ad usum ejusdem Ecclesiæ Rivensis, quæ proinde Ordine Romano tunc utebatur ; paucis additis pro temporis et loci circumstantiis.

Ibid. pag. LXXII. In prædicta appendice primi nostri Ordinis Romani consequenter hæc leguntur : *salutatâ cruce, et repositâ in loco suo, descendit Pontifex altare, et dicit*, oremus, præceptis, etc. *cum* Pater noster ; *Sequitur* Libera nos quæsumus Domine. *Cùm dixerint*, Amen, *sumet de sancta, et ponet in calice, nihil dicens. Et communicant omnes cum silentio. Et expleta sunt universa.* Eadem totidem verbis occurrunt in primo Ordine Romano. In utroque *omnes* dicuntur communionem accipere in die Parasceves. Quod etiam fiebat in cœna Domini. Idem attestatur codex Gellonensis. Oppositum verò docet vulgatus Alcuinus, ubi de cœna Domini. *Sunt qui quotidie Eucharistiam volunt sumere. Et quia in Parasceve non conficitur Corpus Domini, necesse est, ut hi, quibus est voluntas communicandi, habeant sacrificium ex priori die. Quod tamen Romani non faciunt.* Hic locus totidem verbis apud Amalarium in lib. 1. cap. 12. legitur ; exceptâ hâc clausulâ, *quod tamen Romani non faciunt.* At caput 15. rem ipsam habet, adducto loco præmisso ex Ordine Romano. *In superiùs memorato libro inveni scriptum, ut duo Presbyteri afferant*

post salutationem crucis corpus Domini, quod pridie reservatum fuit; et calicem cum vino non consecrato, quod tunc consecretur: et inde communicet populus. De qua observatione interrogavi Romanum Archidiaconum, et ille respondit: In ea statione ubi Apostolicus salutat crucem, nemo ibi communicat. Ergo tunc desierat ritus ille præscriptus in antiquioribus libellis Ordinis Romani. Nam et Archidiaconus Romanus morem sui temporis ignorare non poterat, utpote testis oculatus: et Amalarius, in ejusmodi rebus accuratus, ab errati, multò magis à falsi suspicione alienus censendus est. Certè in decimo, quem hic edimus, Ordinis Romani libello, solus Pontifex in cœna Domini et in Parasceve, seclusis etiam ministris, communicasse memoratur. Tametsi alibi communio generalis hisce diebus perseverabat.

D. Edm. Martenne *de ant. Eccles. discipl. in div. celebr. Off. cap.* 23. *n.* 25. Venio ad communionem, quam non solùm ab Episcopo sive Presbytero celebrante, sed ab omni clero et populo præscribunt absolutè antiqui Sacramentorum codices. Gellonensis, Remensis, Noviomensis annorum 900. Noviomensis alter annorum circiter 800. Dionysianus, Trecensis S. Prudentii, Bisuntinus, Carnotense S. Joannis Ordinarium, Gastinense, Cassanense, vulgatus Alcuinus, Rabanus lib. 3. de Institutione Clericorum cap. 37. Amalarius libro 3. de Divinis Officiis cap. 15. Hujus rei praxim videre est in vita S. Udalrici Augustensis Episcopi cap. 4. His addo Theodulphum Aurelianensem Episcopum, qui in suo Capitulari articulo 41. ita habet: *Singulis diebus Dominicis in quadragesima, præter hos qui excommunicati sunt, sacramenta corporis et sanguinis Christi sumenda sunt; et in cœna Domini, et in Parasceve, vigilia Paschæ, et in die resurrectionis Domini penitùs ab omnibus hominibus communicandum est.* Non dissimulabo tamen hæc verba *Et in Parasceve* desiderari in optimæ notæ codice majoris Monasterii ante annos 700. scripto, et in alio Collegii corporis Christi Cantabrigensis, ubi prædictum Theodulphi Capitulare sine auctoris nomine habetur, unde illud iterùm in nono Conciliorum tomo edidit Gabriel Cossartius, cum hoc titulo, *Capitula incerti auctoris, loci, et temporis, ad Ecclesiæ regimen congesta*; quod miramur virum eruditum nec indulgentem minime advertisse, qui in eadem collectione unum et idem opus tanquam duplicem duplicis auctoris lucubrationem protulit. Scribit etiam Amalarius, loco citato de hac observatione, interrogasse se Romanum Archidiaconum, illumque respondisse: *In ea statione ubi Apostolicus salutat crucem, nemo ibi communicat.* Quibus subscribit vulgatus Alcuinus, his verbis: *Sunt qui quotidie Eucharistiam volunt sumere. Et quia in Parasceve non conficitur corpus Domini, necesse est ut hi, quibus inest voluntas communicandi, habeant sacrificium ex priori die: quod tamen Romani non faciunt.* Hinc colliges generalem in Parasceve communicandi consuetudinem non fuisse ubique usu receptam: et certè arbitrariam relinquunt antiquum Missale Romanicense ante annos 600. scriptum, Pontificale Constantinopolitanum, Ordinarium Prænonstratensium, Cenomanense, Nannetense, Argentinum et Rothomagense, in quibus legitur ut *communicent omnes qui voluerint sub silentio.* Immò ex Ordinario B. Mariæ Remensis solus Archiepiscopus communicat. Hodie generalis hujus diei communio tam in monasteriis quàm in Cathedralibus Ecclesiis, passim obsolevit, quam tamen audio hactenùs perseverare in Claromontana apud Arvernos. Olim in quibusdam Hispaniarum Ecclesiis nulla omninò fiebat communio, sed neque ullum celebrabatur officium. Hanc negligentiam redarguit Concilium Toletanum IV. edito hoc Canone sexto:

» Comperimus quòd per nonnullas Ecclesias in die sextæ feriæ Passionis Domini, clausis basilicarum foribus, nec celebratur officium, » nec passio Domini populis prædicatur; dum idem Salvator noster » Apostolis suis præceperit dicens: Passionem et mortem et resurrec- » tionem meam omnibus prædicate. Ideò oportet, eodem die, mysterium » crucis, quod ipse Dominus cunctis nuntiandum voluit, prædicari, » atque indulgentiam criminum clarâ voce omnem populum postulare: » ut pœnitentiæ compunctione mundati, venerabilem diem Dominicæ » resurrectionis, remissis iniquitatibus, suscipere mereamur; corpo- » risque ejus et sanguinis sacramentum, mundi à peccatis, sumamus. »

non solus Celebrans, sed Clerus omnis, immò fideles omnes tam viri quàm feminæ Corpus Domini accipiebant; quod hodieque viget in quibusdam Ecclesiis, in quibus Clerici omnes duobus hisce diebus communicant.

I. Cur non celebratur ?

R. Id fit ex veteri ritu. 1. Quia sacrificii oblatio signum lætitiæ est : porrò hac die Ecclesia mortem Christi sponsi sui luget, ideoque nihil in officiis suis admittit eorum quæ lætitiam innuunt. (F)

2. Ritus ille celebrandi officii ex præsanctificatis sine sacrificii oblatione, olim frequentior fuit in diebus majoris jejunii; et observatur etiamnum in Ecclesia Mediolanensi quàlibet feriâ sextâ Quadragesimæ; in Oriente verò singulis diebus Quadragesimæ, exceptis Dominicis et Sabbatis. (G)

(F) Rupertus Abb. Tuitensis *de divin. Offic. lib.* 6. *cap.* 2. De hac die primùm quæritur cur à Missarum solemniis vacet, cùm passio Dominica, quæ hac die celebrata est, sacrificii principium, nostræque salutis summa sit. Videretur namque jure tanta res solemnibus summè celebranda esse gaudiis. Si enim Martyris unius cujuslibet annua dies, quâ per passionem mortis ad immortalitatis gloriam transmigravit, festivis honoratur gaudiis : et meritò, quia *pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus* (*Psal.* CXV. 15.) : cur dies hæc solemnium gaudiorum orbata est instrumentis, quâ Martyrum et Sanctorum omnium Rex Sanctis omnibus antiquis et novis per mortem suam paradisum aperuit, et latroni quoque, cui dixit : *Hodie mecum eris in paradiso.* (*Luc.* XXIII. 34.) Hoc die solutum est admirabile pretium, cujus pondere, ut cantamus, captivitas mundi redempta est, inferni claustra confracta sunt, et cœlestis nobis aperta est janua regni. Quæritur ergo, cur adeò publicis gaudiis exempta sit, ut nec Missarum lætitiam ordinis Ecclesiastici auctoritas illi adscripserit.... *Gloriari* quidem, ut Apostolus ait, nos oportet *in cruce Domini nostri Jesu Christi* (*Galat.* VI. 14.), et in gratia tanti pretii, quod pro nostra redemptione datum est, fideliter cunctis posthabitis exsultare gaudiis. Sed sunt aliqua, quæ gloriam hanc et exsultationem nostram nimiùm obnubilant. Primùm nostræ conscientiæ causæ, propter quam.... *proprio filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* (*Rom.* VIII. 32.) Non enim ita gaudere debemus, de gratia tradentis, vel de charitate morientis, ut non etiam doleamus, quòd tanto Domino tormentorum et mortis causa fuimus. Siquidem non gaudere, ingratitudinis; non dolere autem, crudelitatis est... Igitur nostræ.... conscientia culpæ gaudium nostrum reverberat, ut non exsultemus hâc die, sed ambulemus demisso capite : quia vulnera illa nostra fecerunt crimina; quia contumaces servi commisimus, quod vapulat ille omnium Dominus; quia quæ ille exsolvit, nos rapuimus. Deindè Evangelicæ quoque auctoritatis est, et ex Domini dictis accipimus, ut hac die gaudere Judæis relinquamus, et nos contristemur. Nam cùm dixissel : *Modicum, et jam non videbitis me, et iterùm modicum, et videbitis me* (*Joan.* XVI. 16.), secutus adjunxit : *Amen, amen dico vobis, quia plorabitis et flebitis vos, mundus autem gaudebit : vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium.* (*Ibid.* 20.) Adhuc autem huic tantæ rei tristitiam convenire probabili exemplo confirmat, dicens (*Ibid.* 21.) : *Mulier cùm parit, tristitiam habet, quia venit hora ejus : cùm autem peperit puerum, jam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum.* Mulieri quippe Ecclesiam suam assimilat, quæ quia Christum diligit, quem ex Deo patre genitum, in nostram naturam suscepit, rectè hac die moriente illo per mortem, quasi per partum in vitam æternam et in immortalitatis gloriam exeunte, tristitiam habet, et clamat ut in utero habens, et clamat parturiens.

(G) *Vide quæ dicemus infrà de Missa præsanctificatorum, dum sermonem*

I. Quid agendum feriâ sextâ majoris hebdomadæ ?

R. 1. Meditatione sedulâ versanda animo historia Passionis et mortis Christi.

2. Christo compatiendum et commoriendum, addendumque aliquid hâc die, si fieri potest, ad rigorem jejunii.

3. Orandum cum Ecclesia pro omnibus omninò hominibus, etiam pro Judæis et infidelibus.

4. Adoranda reverenter Crux Christi.

I. Cur orat hâc die Ecclesia pro Judæis et infidelibus ?

R. Ut ostendat Ecclesia pro omnibus mortuum esse Christum, et omnibus impetret fructus mortis Christi. (H)

I. Cur ais reverenter odorandam Crucem Christi : Ergone licet adorare Crucem. Nonne soli Deo debetur adoratio ?

R. Adoratio hìc non sumitur pro latriæ cultu soli Deo debito ; sed pro submissa et prona corporis inflectione ante lignum, ut Christus in cruce pendens non lignum supremo latriæ cultu adoretur. Hæc una Ecclesiæ mens est, nec alia ipsi fides affingi potest, nisi per gravem vel calumniam vel inscitiam. Id jam suprà fusiùs disputavimus. (2. *Part. Sect.* 3. *Cap.* 2. §. 5.) (I)

habebimus de Communione sub utraque specie, *hujusce Operis Part.* 3. *Sect.* 1. *Cap.* 4. §. 9.

(H) 2. Cor. v. 14. Charitas enim Christi urget nos : æstimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt: 15. et pro omnibus mortuus est Christus : ut et qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est et resurrexit.

(I) Amalarius Fortunatus *Metensis Diaconus, de Eccles. Officiis l.* 1. *c.* 14. *quem reperire est tom.* 14. Bibliothecæ Patrum *Lugduni ann.* 1677. *pag.* 950. *Florait nono seculo....* Præparetur crux ante altare, quam salutant et osculantur omnes. Crux ab initio, ex quo eam Dominus beavit sanguine suo, ab omnibus fidelibus verbis et operibus glorificata est.... Sedulius in carmine paschali :

Neve quis ignoret speciem crucis esse colendam.

Eâ die quâ crux deosculatur, humiliatus est pro nobis Patri *usque ad mortem, mortem autem crucis.* (*Philip.* II. 8.) Si hujus mortis imitatores esse debemus, nec non humilitatis oportet esse. Undè prosternimur ante crucem, ut fixa humilitas mentis, per habitum corporis demonstretur. Humilitatem mentis non possumus ampliùs monstrare, quàm ut totum corpus ad terram prosternatur. Undè Aug. in Ps. 43. *Quisquis enim ita humiliatur, ut genua figat, adhuc habet quo humilietur. Quisquis autem sic humiliatur, ut hæreat in terra, venter ejus ultra quo humilietur non habet.* Sic prosternor ante crucem ut Paula prostrata est, de qua laudator panegyricus ejus Hieronymus dicit in libello vitæ ejusdem Paulæ : *Prostrata est ante crucem, quasi pendentem Dominum cerneret.* Et ego jacens ante crucem, passus Christus pro me proscriptus est in corde meo, virtutem sanctæ crucis, quam accepit ex Dei Filio, adoro. Creaturam nullam colendo ut Deum adoro, sed venerando : undè Apostolus inquit, *honore invicem prævenientes.* (*Rom.* XII. 10.) Omnis substantia, quæ Deus non est, creatura est : et quæ creatura est, Deus non est. Crux Christi ante me posita, Christum quasi pendentem in ea mente teneo. Ipsa verba nostræ deprecationis demonstrant quem adoramus. Dicimus ; *Crucem tuam adoramus Domine, et sanctam resurrectionem tuam laudamus et glorificamus.* Hic non sunt verba precationis, sed ostentationis adorandæ crucis, et glorificandæ resurrectionis Domini. Sed et in alio loco solemus dicere : *Deus qui unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi pretioso sanguine humanum genus redimere dignatus es, concede propitius, ut qui ad adorandum vivificam crucem adveniunt, à pec-*

I. Cur Tenebrarum nomine vulgò nuncupatur hoc officium, quod hoc triduo omnibus ferè in Ecclesiis sub solis occasum peragitur?

R. Tenebrarum nomen toti huic officio à plebe inditum est, propter preces solemnes quæ post canticum Benedictus à clero genibus provoluto persolvuntur, exstinctis omnibus Ecclesiæ luminibus.

Officium illud olim post mediam noctem agebatur, adeoque cùm luminaria Ecclesiæ exstincta fuerant, tunc plena nox erat. Hinc tenebrarum preces dictæ sunt, illæ supplicationes quæ mediis in tenebris fundebantur: indèque tenebrarum nomen in totum officium manavit. (K) Sicut ex

catorum suorum nexibus liberentur. Quem deprecor, ipsum adoro: prosternor corpore ante crucem, mente ante Dominum. Veneror crucem, per quam redemptus sum; sed illum deprecor, qui redemit. De qua adoratione scriptum est in tripartita historia l. 1. *Hoc enim signum bellicum inter alia pretiosius erat, eò quòd Imperatorem præcedere et adorari illud à militibus moris esset.* Item in eodem opere l. 2. *Audivi et Probianum virum in palatio habentem militiam medicorum crudeli podagræ passione detentum, ibi doloribus liberatum.... eique apparuisse sanctam mirabiliter visionem.* Cùm enim dudum paganus esset, factus posteà Christianus, aliquatenus dogma sequebatur: totius verò salutis causam, id est, sacratissimam crucem nolebat adorare. Hanc habenti sententiam divina virtus apparens signum monstravit crucis, quod erat potissimùm in allario hujus Ecclesiæ, et apertè palam fecit, quia ex quo crucifixus est Christus, omnia quæ ad utilitatem humani generis facta sunt, quolibet modo præter virtutem sanctæ crucis gesta non essent, neque ab Angelis sanctis, neque ab hominibus piis. Fuerunt quidam qui volebant dicere se velle eamdem crucem adorare, in quâ Dominus crucifixus est. Utinam in omnibus Ecclesiis haberetur, præ cæteris meritò veneraretur. Quamvis omnis Ecclesia eam non possit habere, tamen non deest eis Dei virtus sanctæ crucis in eis crucibus, quæ ad similitudinem Dominicæ crucis factæ sunt, sicut legitur in libro historiæ Anglorum de Oswaldo fideli Rege et Christianissimo, qui in periculo positus, subitò fecit crucem et fixit in terram, eâque adoratâ et deprecato Deo coram illâ, dedit eis victoriam. Sic enim scriptum est in memorato l. 3. titulo 2. Ostenditur autem usque hodie et in magna veneratione habetur locus ille, ubi venturus ad hanc pugnam Oswaldus, signum sanctæ crucis erexit, ac flexis genibus Deum deprecatus est, ut in tanta rerum necessitate suis cultoribus cœlesti succurreret auxilio. Denique fertur, quia facta citato opere cruce, ac foveâ præparatâ in qua statui deberet, ipse fide fervens hanc arripuerit, ac foveæ imposuerit, atque utràque manu erectam tenuerit, donec, aggesto à militibus pulvere, terræ ligeretur, et hoc facto, elatâ in altum voce cuncto exercitui proclamaverit. Flectamus omnes genua, et Deum omnipotentem vivum, ac verum in commune deprecemur, ut nos ab hoste superbo ac feroce, suâ miseratione defendat. Sic enim ipse, quia justè pro salute gentis nostræ bella suscipimus. Fecerunt omnes ut jusserat, et sic incipiente diluculo in hostem progressi, juxta meritum suæ fidei victoriâ potiti sunt. In cujus loco orationis innumeræ virtutes sanitatum noscuntur esse patratæ, ad indicium videlicet, et memoriam fidei ejus; nam et usque hodie multi de ipso ligno sacro-sanctæ crucis hastulas excidere solent, quas cùm in aquas miserint, eisque languentes aut pecudes potaverint, sive adsperserint, mox sanitati restituuntur... Hanc sanctam crucem totus mundus adoret, qui per eam redemptus est, deprecando illum cui potestas est virtutem suam tribuere secundùm suam voluntatem, juxta quod disposuit ante secula unicuique creaturæ.

(K) D. Edmund. Martenne *de antiq. Eccl. discipl. in divin. celebr. offic. cap.* 22. *n.* 8. Nocturnis vigiliis subjiciuntur matutinæ laudes eodem planè ritu persolvendæ. Ad *Benedictus*, antiphona *Traditor autem* ex

solemni Pœnitentium et Catechumenorum et Fidelium dimissione, Missæ nomen Ecclesiæ sacrificio inditum est, ut infrà explicabimus in tertiâ Parte hujus Operis. (*Sect.* 2. *Cap.* 7. §. 8.)

Nec mirum videri debet quod dixi hoc officium olim nocte fuisse persolutum. Post mediam noctem ante annos sexcentos agebatur in Ecclesia Romana, ut patet ex veteri Ordine Romano. Neque hoc proprium erat nocturno hujus tridui officio. Per totum annum agebatur officium in media nocte in omnibus Ecclesiis, sicut etiamnum in Ecclesia Parisiensi, et in omnibus ferè Monasteriis Ordinis sancti Benedicti, cæterorumque Ordinum agitur. (L) Hinc nocturni officii nomen huic officio, quod jam matutinum vulgò

Lingonensi Ordinario *terribili et altâ voce* decantari debet. Interim extraneis puerisque de Ecclesia egressis, ut habet Rituale S. Martini Turonensis, omnibus lampadibus cereisque exstinctis, uno duntaxat superstite, qui statim abscondebatur, cuncta cæcis tenebris occupantibus, nocturno finis imponebatur officio, quod indè *tenebrarum* nomine cœpit nuncupari: quâ appellatione donatur in Chronico Hugonis Flaviniacensis.... Modus autem terminandi officii ita describitur in ordinario B. Mariæ Remensis.

» Interim verò omne lumen Ecclesiæ exstinguitur præter unam candelam, quæ intra majus altare absconditur, et tunc in tenebris » decantatur *Benedictus*, cum sua antiphona: quâ finitâ sine tono, incipit » altè, unus puer à dextro latere altaris *Kyrie eleison*.... Quo finito, sub » silentio stando, et sine precibus finitur matutinum officium sub hac » collecta *Respice quæsumus Domine*. Hoc modo finiuntur matutinæ in duo» bus diebus sequentibus, nisi quòd preces cum *Miserere mei Deus* adjun» guntur, et à binis inter se et murmuratim dicuntur. Tunc pulsato uno » de stallis bis vel ter offertur candela, quæ in altari erat recondita, et » restituitur luminare per Ecclesiam sicut solitum est. ») Similia videre est in variis Ordinariis Ecclesiæ Turonensis, Sylvanectensis, Laudunensis, Argentinæ, Uticensis, in Breviario Tolosano et aliis. Ordinarium Cusentinum ab aliis non nihil discrepat, ita enim habet: (« Post *Bene*» *dictus* imponunt duo pueri *Kyrie eleison*, et cantatur ab utroque choro » novies, interpositis versibus alternatim à duobus chorereiis. In fine » ultimi versûs puer clericus voce altiori subjungat *Mortem autem crucis;* » et tunc omnis populus flexis genibus cantet *Kyrie eleison* et *Domine* » *miserere:* ita ut alternatim viri dicant, et feminæ respondeant. Clerici » verò similiter flectentes genua dicant more solito orationem Domini» cam, et tacitâ voce subjungant *Miserere mei Deus*, et orationes quas » volent. Tunc custos luminis deponat laternam per fenestram super » chorum, et Ecclesiâ illustratâ pronuntiet Martyrologium, et statim » tabulâ ex more lectâ discedant. ») In Ordinario enim Argentino nulla assignatur oratio: bis in omnibus altum ubique silentium de fragore nocturnis absolutis laudibus excitari solito, quem expressis verbis vetat Breviarium Bituricense. Sed in omnibus Ritualibus libris quos mihi percurrere licuit, trina tantùm decernitur ad formas chori percussio, quâ, veluti signo, Ecclesiæ custodi innotesceret candelam absconditam suo loco restituendam, et palàm omnibus exponendam. In uno Lingonensi Ordinario legitur, oratione *Respice* dictâ, (*percutitur supra libros;*) Et apud Durandum (lib. 6. c. 72. n. 27.) *posteà fit cum manu vel alio quodammodo sonitus ante luminis revelationem.* Quæ verba an de fragore aut de trina percussione ad lucernam accendendam debeant intelligi, aliis relinquo judicandum. Alius autem vigebat usus in Ecclesia Rothomagensi, cujus MS. liber officialis hæc habet: (*Ex quo verò ultima candela* ad Benedictus *exstinguitur, lumen in Ecclesia usque post ignis benedictionem non accendatur.*)

(L) ORDO ROM. *Cap.* 5. *Feriâ* 5. *Cœnæ Domini*, *n.* 29. Mediâ nocte

dicimus, quia plerisque in Ecclesiis jam manè persolvitur. Alioqui matutini officii nomen, ex institutione veteri tribuebatur soli officio *Laudum*, quod *Matutinæ Laudes* dicebatur, quia ante solis ortum sub auroram persolvebatur.

I. Cur hoc triduo dum persolvitur officium quod Tenebrarum dicimus, ponitur ante altare candelabrum triangulare cum cereis quindecim, qui post Psalmum quemlibet per vices exstinguuntur?

R. Id fit ex ritu veteri, sicut alia multa hâc maximè hebdomadâ ex antiquissimo ritu fiunt.

Olim nulla super altare candelabra ponebantur: qui ritus etiamnum servatur in quibusdam Ecclesiis. Usus tamen luminum, cereorum et lampadum non recens, imò jam à

surgendum est, et tangitur signum: et post hæc non nisi in nocte sanctum Pascha ad Matutinum.

Cap. 6. *Feriâ sextâ, n.* 33. in Parasceve mediâ nocte surgendum est. *Cap.* 7. *Sabbato, n.* 36. Mediâ nocte surgendum est.

ORDO ROM. *ab* HILTORPIO *vulgatus, tom.* 10. BIBLIOTHECÆ PATRUM, *pag.* 54. Feriâ 5. majoris hebdomadæ, eâdem nocte surgunt ad vigilias, horâ noctis octavâ.

Pag. 71. In nocte Parasceves temporariæ, id est, mediâ nocte parvum ligneum signum sonetur. In sabbato sancto ad vigilias mediâ nocte surgendum est, et similiter ut in Parasceve fiunt omnia.

D. JOAN. MABILLON *comm. in Ord. Rom. pag.* 95. *n.* 15. Post celebratos mediâ nocte matutinos.

In notis ad Ord. Rom. pag. 19. Ergo etiam hoc triduo Romani nocturnas vigilias faciebant mediâ nocte.

D. EDM. MARTENNE *de antiqua Eccles. discip. in divinis celebrandis offic. cap.* 22. *n.* 1. (Feriâ quintâ majoris hebdomadæ surgunt ad vigilias horâ noctis octavâ) inquit vulgatus Ordo Romanus. Eodem modo loquitur Auctor libri de divinis officiis sub nomine Alcuini, et vetus Pontificale MS. Ecclesiæ Pictavensis. Verùm ex antiquissimo omnium Ordine Romano ex editis à Mabillonio Musæi Italici tomo 2. (*Mediâ nocte surgendum est;*) et ex Ordinario Lucæ Archiepiscopi Cusentini (*transactâ mediâ nocte.*) Sed Rothomagense S. Laudi omnia sic provideri jubet, (*ut ante lucem suo modo spatiosè nocturnum officium compleri valeat.*) Ita volebant aurea illa secula, quibus spretis somni solatiis, nocturnis interesse vigiliis ipsos etiam laïcos non pigebat. A quibus heu quàm distamus! Nunc verò refrigescente charitate, et languente in dies fidelium devotione universa penè omnium, præsertim qui ritus Romanos sectantur, obtinuit consuetudo, ut pridiè, clarâ adhuc die, persolvantur vigiliæ: quæ quidem ab aliquot jam ab hinc seculis ad praxim reduci cœpit. Nam in Ordinario insignis Ecclesiæ Narbonensis, quod ante trecentos minimùm annos scriptum volunt, matutinæ statim post completorium decantari jubentur: in Lemovicensi horâ post meridiem quartâ. Idem videre est apud Petrum Amelium cap. 61. decernentem, ut (*in die mercurii de sero horâ competenti Dominus Papa veniat ad officium matutinarum cum chlamyde de scarleto, cum capuceo extenso super fronte non replicato, et sine mitra.*) Petro Amelio præiverat Jacobus Gaëtanus in suo Ordine Romano cap. 82. Non desunt tamen adhuc insignes aliquot Ecclesiæ, quæ antiquorum rituum tenaciores, toto hoc triduo nocturnum horâ solitâ decantant officium. Has inter non infimum locum tenere debet Rothomagensis, cui Lingonensem fortè adjicere possemus, utpote cujus in Ordinario hæc lego: (*Feria* 5. *in Cœna Domini campanæ pulsantur horâ sextâ matutinâ, sicut in festis novem lectionum, quia his tribus de sero non cantantur matutinæ.*) Eumdem usum hactenus retinuerunt Monachorum nonnulla cœnobia: in quibus meritò recenseri debet Lætiense Benedictinorum in Belgio, ubi ante annos duodecim, secundâ post mediam noctem horâ, ex Regulæ præscripto nocturnum celebrabatur officium.

primis Ecclesiæ seculis obtinuit ; ut infrà probabimus in tertia Parte hujus Operis. (*Sect.* 2. *Cap.* 6. §. 3.)

Hæc luminaria vel ferebantur Lychnuchis ex laqueari pensilibus ; vel in transversis trabibus ponebantur, vel portabantur ab Acolythis , vel infigebantur candelabris altioribus juxta vel circa vel ante altare positis , quorum alia formam crucis exprimebant, alia formam habebant triangularem , alia Mosaïci candelabri instar , pluribus veluti ramis ex stipite uno procedentibus , constabant. Exstant etiamnum hujus ultimi generis candelabra in Ecclesia Lugdunensi , aliisque pluribus , maximè apud Burgundiones. Hæc luminaria in nocturno officio accendebantur ad pellendas tenebras. Per diem autem nonnisi in officiis solemnioribus et ad sacrificium accendebantur. Hinc fit ut Parisiis , aliisque compluribus in Ecclesiis Galliarum nunquam ad minores horas accendantur luminaria. In majoribus solemnitatibus noctis officium ad diem usque protendebatur , propter solemnitatem et gravitatem cantûs : et accedente paulatim die sensim exstinguebantur luminaria.

Hic mos sensim exstinguendorum ad horas nocturnas luminum antiquissimus est. Romæ vigebat septimo , aut octavo seriùs seculo , in quibus longè ante auroram , densis adhuc tenebris , absolutæ erant preces nocturnæ. Id patet ex primo Ordine Romano quem publici juris fecit D. Joan. Mabillon è Congregatione Benedictino - Mauriana Monachus. (M)

(M) Ordo Rom. *à* D. Mabillon *vulgatus cap.* 6. *n.* 33. *Postquam ordinem Psalmorum , etc. ad officium nocturnum recitandorum edidit , hæc addit :* Deindè sequitur Matutinum : lucernæ exstinguuntur. Luminaria autem Ecclesiæ ab initio cantûs nocturni inchoantur exstingui , hoc tamen ordine , ut ab introitu ipsius Ecclesiæ incipiat paulatim tutare , ut verbi gratiâ , peracto primo nocturno videatur pars eorum tertia esse exstincta ; medio nocturno iterùm tertia ; tertio verò expleto , exceptis septem lampadibus nihil luminis relinquitur. Quæ in Matutino hoc ordine exstinguantur. In initio Psalmi primi sit custos semper paratus in loco dexteræ partis Ecclesiæ prope lampadibus , ut ubi audierit antiphonam , tenens cannam in manu sua , tutet lampadem unam. In finem psalmi ipsius aliam sinistræ partis. Sic una ex parte unâ , alia ex aliâ tutantur usque ad Evangelium. In Evangelio verò tutatur mediana lampada.

In appendice Ord. Rom. *Tom.* 2. *Musæi Ital. à* D. Mabillon *editi pag.* 30. *n.* 1. A cœna Domini , nec in psalmis , nec in nullo loco decantatur *Gloria* usque in Pascha. Eadem verò nocte surgent ad vigilias horâ noctis octavâ : et tunc Ecclesia sit omni lumine decorata. Nec more solito *Deus in adjutorium meum* dicent , nec Invitatorium , nec *Gloria* : sed cantor incipit in psalmis antiphonam , sicut in antiphonario continetur. Sed et in fine nocturnæ lector benedictionem non petit , nec Presbyter more solito benedictionem complet : et quando finit lector , non dicit *tu autem Domine* , sed ex verbis lectionis jubetur facere finem.

V. 2. Lumen autem Ecclesiæ ab initio cantûs nocturnæ inchoatur exstingui , hoc tamen ordine , ut ab introitu ipsius Ecclesiæ incipiat paulatim tutari , (id est exstingui :) ut verbi gratiâ , peracto primo nocturno videatur pars eorum tertia esse exstincta : medio nocturno iterùm tertia : tertio verò expleto , exceptis septem lampadibus , nihil lumen relinquunt. Quæ in matutinis exstinguuntur hoc ordine. Initio primi psalmi sit custos semper paratus , in loco dextræ partis Ecclesiæ

prope lampadibus : ut ubi audierit antiphonam tenens cannam in manu sua, tutet lampadem unam : in fine verò psalmi ipsius tutet aliam partis sinistræ. In secundo psalmo, cùm à duabus audierit, tutet dextrà parte aliam, sic una ex parte unà, alia ex aliâ tutantur usque ad Evangelium. In Evangelio verò tutatur mediana lampada. Eà verò die cœna Domini, horâ nonâ faciunt excuti ignem de lapide in loco foris basilica ; si ibidem oratorium habuerit, in portam ibi excutiunt : sin verò, in loco quo consideraverit Prior, ita ut ex eo possit candela accendi. Quæ candela in arundine debet poni, et à mansionario Ecclesiæ portari præsente populo : et de ipso igne continuò in eadem Ecclesia loco secreto accendatur lampada una, et servetur usque in sabbato sancto, ad illuminandum cereum, qui eodem die benedicendus est, ordine quo in sacramentorum continetur.

ORDO ROMANUS *in* BIBLIOTH. PP. *editus pag.* 54. *in edit. Paris. in fol. ann.* 1624. Feriâ V. majoris hebdomadæ eâdem nocte surgunt ad vigilias horâ noctis octavâ, et tangitur campanæ signum sicut aliis diebus, et post hæc non tangitur ad matutinum, nisi in nocte sancti Paschæ, et tunc Ecclesia omni lumine decoretur. Venientibus autem omnibus ad Ecclesiam infra chorum, more solito, non dicatur *Domine labia mea aperies*, nec *Deus in adjutorium meum intende*, nec *Venite* : sed cantor incipiat in Psalmis antiphonam *zelus domûs tuæ comedit me*, et reliquas, sicut in antiphonario continetur. In fine psalmorum non dicatur *Gloria Patri*, nec in Responsoriis, nec in ullo loco : in fine nocturni lector benedictionem non petit, nec Pontifex aut Presbyter more solito benedictionem complet : et quando finit lector, non dicit *tu autem Domine*... Accenduntur in quibusdam locis viginti quatuor lumina, et exstinguuntur per singulas lectiones, et responsoria. Quæ simul per tres noctes fiunt septuaginta duo. Lumen autem Ecclesiæ apud Romanos ab initio cantûs nocturni inchoatur exstingui. Hoc tamen ordine ut ab introitu ipsius Ecclesiæ incipiat paulatim tutari : ut, verbi gratiâ, peracto primo nocturno, videatur eorum tertia pars esse exstincta, medio nocturno iterum tertia, Tertio verò expleto, exceptis septem lampadibus, nihil luminis relinquatur. Sequuntur matutini, in quibus similiter non dicatur, *Deus in adjutorium*..... nec *Gloria Patri*, sed antiphona tantum super matutinas laudes : et in matutinis septem lampades hoc ordine exstinguantur : initio psalmi primi sit custos semper paratus in loco dextræ partis Ecclesiæ propè lampades. At ubi audierit primam antiphonam, tenens cannam in manu sua tutet lampadem unam : in fine verò psalmi ipsius tutet aliam sinistræ partis, sic una ex parte unâ, alia ex aliâ tutentur usque ad Evangelium..... Statim tutatur mediana lampas, vel substrahitur, et servatur, ut ita veniat, ut *Benedictus Dominus Deus Israël* absque lumine psallatur. *Benedictus* finito cum antiphona non dicatur *Kyrie eleison*, nec *et ne nos inducas in tentationem*, neque preces neque oratio, altâ voce more solito, sed secum tacitè. Factoque signo à Priore omnes pariter surgant, sicque finiantur vigiliæ nocturnæ, atque matutini.

D. EDM. MARTENNE *de antiq. Eccles. discipl. in divin. celebr. offic. cap.* 22, *n.* 2. Accenduntur in hac nocte lumina viginti quatuor, et exstinguuntur per singulas lectiones et responsoria, inquit vulgatus Alcuinus. Totidem accendentes cereos per singulos psalmos et lectiones exstinguendos præscribit Joannes Abricensis ; totidem Ordinarium Rothomagense et Sylvanectense : viginti quatuor cereis omnes Ecclesiæ lampades adjungit Lucas Cusentinus Archiepiscopus. Vetus pontificale insignis Ecclesiæ Pictavensis lampades triginta ad nocturnum officium accendendas statuit per singulas antiphonas, lectiones, responsoria et versus exstinguendas, et septem ad laudes. Triginta quatuor habet Carnotense S. Joannis Ordinarium. In Laudunensi verò hæc legio : (« Ad matutinum p nantur » ante altare quindecim cerei, præter hos in dextra parte Presbyterii » ponuntur decem et octo, et in sinistra alii decem et octo. ») Quindecim tantùm notat Ordinarium Cabilonense et Uticense. Ubi vides varias fuisse diversarum Ecclesiarum consuetudines de cereis seu lampadibus ad nocturnas vigilias accendendis et exstinguendis. Et sanè Guillelmus Durandus in libro 6. Rationarii cap. 72. innuere videtur quibusdam in locis

Ut fortè priscus ille ritus aliquatenùs servetur, tot accenduntur in triangulari candelabro cerei quot sunt Psalmi canendi; et sensim illi cerei subinde exstinguuntur.

Alii hunc ritum mysticè interpretantur, aiuntque cereos illos sensim exstinctos imaginem esse Apostolorum, qui lux mundi dicuntur in Evangelio, et qui tempore passionis Christi fugerunt et veluti exstincti sunt.

I. Cur exstinguuntur lampades sub finem cantici *Benedictus?*

R. Quia canticum illud sub finem officii canitur. At exstinguebantur olim luminaria post completum officium, ut fit etiamnum. Nunc servatur post officium lampas jugiter accensa ante majus altare, ob reverentiam sanctissimi Sacramenti quod ibi custoditur. Sed olim, isque mos est etiamnum Ecclesiarum Lugdunensis, Viennensis, Avenionensis, Arelatensis, Narbonensis, Montispessulani, cæterarumque ferè omnium in illis regionibus; olim, inquam, viginti quatuor candelas accensas fuisse, in aliis quindecim, in aliis quatuordecim, in nonnullis duodecim, in quibusdam novem, alicubi verò duntaxat septem. Tandem apud alios certum fixumque nequaquam fuisse candelarum numerum, sed quemlibet laïcum pro arbitrio suam apposuisse. De earum quoque exstinctione idem auctor hæc scribit: (« Omnes candelæ non simul, sed una post aliam exstinguuntur. Quidam » exstinguunt eas per singula cantica, usque ad plenam exstinctionem.. » Alii tribus vicibus eas exstinguunt. In quibusdam quoque Ecclesiis » candelæ quadam manu cereâ exstinguuntur, quæ significat manum » Judæ, de qua dixit Dominus: *qui intingit manum mecum, etc.* (*Matth.* » XXVII. 23.) quæ fuit quasi cerea et ad malum flexibilis: per quam » Christus Rex noster et vera lucerna traditus fuit, et quantùm in illo » fuit exstinctus. ») Exstinctionis cereorum toto hocce triduo meminit Amalarius in libro de ordine antiphonarii cap. 44. ubi ait (« se interrogasse » de more sanctæ matris nostræ Romanæ Ecclesiæ Archidiaconum Theodorum. Qui, inquit, respondit: Soleo esse cum Apostolico in Lateranis, » quando officium celebratur de cœna Domini. Nihil enim ibi observatur » de exstinctione luminum. ») In sexta feria nullum lumen habetur lampadum sive cereorum in Ecclesia in Jerusalem, quandiu dominus Apostolicus ibi orationes solemnes facit, aut quandiu crux salutatur.

M. BOCQUILLOT, *Traité de la Liturgie lib.* 1. *c.* 4. Il y a de grands chandeliers de cuivre ou d'autre matière, posés sur des patins, qui tiennent au pavé du chœur. Il y en avait de semblables aux lutrins des Jubés: on les appelait *Phares*: et ils servaient à mettre un cierge pour éclairer les lecteurs, quand ils en avaient besoin, c'est-à-dire, dans les offices de la nuit. Outre ces chandeliers fixes, qui servaient aux lecteurs, il y avait encore dans le chœur des lampes suspendues aux voûtes et aux lambris comme à présent. Il y avait des lustres suspendus, et d'autres sur pied de diverses figures, les uns en croix, d'autres en couronnes, etc. sur lesquels on mettait quantité de cierges, ou de lampes: et en quelques lieux des lampes et des cierges tout à la fois: On en mettait sur des poutres élevées, qui traversaient toute l'entrée du chœur. En quelques Eglises il y en avait autour du ciboire qui couvrait l'Autel: Enfin l'on en mettait presque partout, excepté sur la table de l'Autel. Il y avait en plusieurs Eglises, entr'autres chandeliers, une grande machine en forme d'arbre qui sortait de terre, garni de feuilles, de fleurs et de fruits, et de petites gondoles ou soucoupes, propres à soutenir des cierges ou des lampes. Cette multitude de lumières en pyramides faisait un bel effet. Dans les Eglises riches, ce chandelier nommé arbre à cause de sa figure, était de cuivre ou d'autre métail; mais dans les pauvres Paroisses de la Campagne, il n'était que de bois, et les feuilles et le fruit étaient ordinairement de cire peinte, que l'on renouvelait de temps en temps.

sacro-sanctum Eucharistiæ sacramentum non custodiebatur in majori altari, sed vel in sacrario, vel in capellis à majori Ecclesia sejunctis. Ergo exstinguebantur olim lampades post officium, nec nisi ad officium aliud accendebantur. Id fit etiamnum in officio tridui ante Pascha, ut vetus ordo servetur; sed post completum officium exstincta lampas accenditur, ut maneat semper ignis accensus coram sacratissimo Sacramento super altare majus servato. Atque hæc quidem ratio esse potest cur, post exstincta omnia Ecclesiæ luminaria, servetur et abscondatur retrò altare lumen accensum, ut accendatur iterùm ex eo lampas quæ debet ardere jugiter coram sacro-sancto Eucharistiæ sacramento.

Fortè servabatur olim lumen illud absconditè, cæteris omnibus exstinctis, ut, clero vel monachis post completum officium è choro recedentibus, ministraretur lumen quo suas quisque cellulas repeteret, nondum depulsis omninò tenebris. (N) Exstinguebantur enim olim cerei paulatim, etiamsi officium post mediam noctem caneretur, sicut accenduntur nunc, ac dein paulatim exstinguuntur vesperè ante solis occasum.

Aliis videtur mysterii causâ lumen illud cæteris paulatim exstinctis, abscondi primùm, ac demùm proferri post completum noctis officium. Minores, inquiunt, cerei paulatim exstincti, Apostolos et Christi Discipulos designant, qui fugerunt hinc indè, et veluti exstincti sunt, ubi Christum viderunt comprehensum. Cereus in anguli capite positus Christum specialiùs designat. Is absconditur accensus, ut designetur mors Christi, manente semper ineffabiliter divinitate tam cum corpore quàm cum anima. Abscondito hoc cereo fiunt supplicationes, ut impetretur effectus mortis Christi: tum cereus iterùm profertur, ut, iteratâ hac cerei absconditi ostensione, Christi resurrectio designetur.

I. Cur fit fragor et strepitus post completum officium nocturnum hoc triduo?

R. Fragor ille signum est, quo datur omnibus, post completum officium, abeundi licentia. Hinc in Breviario Parisiensi edito jussu Eminentissimi Cardinalis de Noailles Parisiensis Archiepiscopi, hæc leguntur: *Fit strepitus ab eo qui officio functus est: mox profertur cereus accensus; et omnes surgunt et cum silentio discedunt.* In Breviario Romano, *Fit fragor et strepitus aliquantulum, mox profertur*, et cætera ut in Parisiensi. Necesse fuit autem hoc triduo signum dare discessionis cum aliquo fragore et strepitu: quia fiebat, ut diximus, officium post mediam noctem. Exstincta tunc erant omnia Ecclesiæ luminaria, multa nox erat, unicus servabatur cereus ad præbendum posteà lumen discessuris:

(N) *Vide suprà hocce §. litt.* (K) D. Edm. Martenne *l. de antiq. Eccles. discipl. in div. celebr. offic. c. 22. n. 8.*

submissâ voce complebatur officium. Ut ergo intelligerent omnes completum esse officium, producendum esse lumen, fierique copiam discedendi, necesse fuit significari hæc omnia aliquantulo strepitu. (O) Nescio quâ ratione mos sensim invaluerit in pluribus Ecclesiis, ut fragor ille fieret ab omnibus, nec à solo Celebrante : certè non ita pridem nondum invaluerat in Ecclesiis Galliarum.

Sunt qui morem hunc invaluisse putant mysterii causâ. Hoc enim strepitu significari volunt, quòd, Christo moriente, sol obscuratus est, petræ scissæ sunt, monumenta aperta sunt, factus est, uno verbo, per orbem universum fragor insolitus. Pia cogitatio, fateor : sed cavendum ne propterea Ecclesiarum januæ vel subsellia frangantur.

I. Cur hoc triduo exspoliantur altaria ?

R. Parisiis etiamnum in Ecclesia Metropolitana, in sacrâ æde Palatii, multisque in Ecclesiis parochialibus, completâ ultimâ Missâ, denudantur altaria in capellis patentioribus. Id fortè ita fit causâ necessariæ cautionis à furibus, fortè etiam in vestigium antiquitatis.

Sed jam à pluribus seculis solemnis hæc altaris exspoliatio mysterii causâ fit, feriâ quintâ majoris hebdomadæ. Hoc enim ritu significatur Christum, cujus altare typus est, ut infrà dicemus, suis fuisse vestibus exspoliatum tempore passionis. Hinc, dum fit solemnis hæc altaris exspoliatio, recitatur Psalmus vigesimus primus, qui totus est de Christi passione, cum hac Antiphona ex eodem Psalmo desumpta : *Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.* (P)

(O) RABAN. MAURUS *de instit. cleric. lib.* 2. *cap.* 36. Hoc ergo die Ecclesiæ altaria indumentis suis spoliata denudantur, quia in ea Christus suis vestimentis exutus esse legitur, et velum templi scissum esse, occiso Christo, per Evangelium prædicatur.

RUPERTUS *l.* 5. *de divinis officiis c.* 30. Cur altare nudetur scire volentibus facilè liquet, si priùs animadverterint, quid ipsum altare significet. Significat autem Christum, quia sic illud in templo, quomodo Christus toti corpori Ecclesiæ dignitate et honore præeminet.. Cùm itaque nudum altare conspicimus dignum illud memoriâ, quod magnificè Propheta flebiliterque deplorat, nostris intimis personare auribus, nostris internis præsentialiter debet apparere conspectibus. * *Ecce vidimus eum, et non est species ei, neque decor, et nos consideravimus eum, despectum et novissimum virorum, virum dolorum, et scientem infirmitatem. Verè languores nostros ipse tulit, et peccata nostra ipse portavit...* (*Isai.* LIII. 2. 3. *et* 4.) Insuper hoc ad denudati altaris causam pertinet, quod idem Dominus vestimentis suis spoliatus est. * *Milites* namque *cùm crucifixissent eum diviserunt sibi vestimenta ejus et fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem*, et de tunica dixerunt : *Non scindamus eam, sed sortiamur de illa cujus sit.* (*Joan.* XIX. 23. 24.) Noster Noc... scilicet Dominus Jesus, in quo requiem invenimus animabus nostris,... cunctis amaritudinibus inebriatus est, soporatus est somno mortis, et in cunctis à divinitatis sæ gloriâ nudatus ad tempus apparuit : cùm ergo altare Christum significet, rectè ob commemorationem horum, et ornatu suo spoliatum est.

(P) *Veriorem certè hujusce consuetudinis rationem affert* D. JOAN. CHRYS. *in Epist. Pauli ad Eph. cap.* 1. *serm.* 3. Non vides mensam spongiâ circumquaque lavantem ministrum, domum expurgantem, scutellas apponentem ? Hoc fit inter preces, dum proclamat præco. Quemadmo-

§. 11. De Sabbato sancto.

I. Quodnam mysterium celebramus Sabbato sancto ?

R. Mysteria sepulturæ Christi, et ejus descensùs ad inferos.

I. Recolunturne hæc mysteria in officio solemni quod manè celebratur Sabbato sancto ?

R. Officium illud, quod nunc manè celebramus, agebatur olim vesperè, et ad noctem usque protendebatur. (A) Ideo-

dum spongiâ circumquaque lavamus et Ecclesiam, ut in munda Ecclesia omnia proponantur, ut nulla sit macula, nulla ruga.

(A) D. Edm. Martenne *Lib. de antiq. Eccles. Discipl. in div. celebrandis offic. cap.* 24. *n.* 1. Celebratis, mediâ nocte, solemni ritu, vigiliis, diurnisque cursibus privatim absolutis, circa horam diei tertiam catechumeni ad Ecclesiam procedebant symbolum reddituri, ultimumque scrutinium subituri. Ibi stabant ordinati, masculi quidem ad dextram, feminæ ad sinistram. Tum Sacerdos, cruce singulorum frontibus impressâ, ritus exorcismorum et obrenuntiationum explebat; ac tandem impositâ singulorum capitibus manu, recitatoque symbolo, post factam orationem ab Archidiacono, dimittebantur, donec baptismi celebrandi advenisset hora.

N. 2. Horâ nonâ, Pontifex cum Sacerdotibus aliisque ministris de sacrario procedebat, baptismum reversis catechumenis collaturus. Ac primùm quidem ignis novi, cereique Paschalis benedictione præmissâ, Lectiones ad baptizandorum instructionem pronuntiabantur, quibus totidem orationes interserebat. Deinde decantatis tribus Litaniis, ad fontis consecrationem sese accingebat : ac tandem iis omnibus quasi præparatos, sacris immergebat undis, mox confirmandos et sacrâ communione donandos.

N. 34. Tanta sacrorum rituum diversitas et prolixitas, Sabbati sancti officium ad multam noctem protrahere solebat, adeò ut non ante populus dimitteretur, quàm mediâ sui parte transacta foret : id quod ex Apostolicâ traditione provenisse testatur S. Hieronymus in commentario super Matthæum, ubi sic loquitur : « Traditio Apostolorum et Judæo» rum est Christum mediâ nocte venturum in similitudinem Ægyptii » temporis : undè et reor traditionem Apostolicam permansisse, ut die » vigiliarum Paschæ ante noctis medium populos dimittere non liceat, » exspectantes adventum Christi. » Idem docent Amalarius lib. 1. cap. 16. Et vulgatus Alcuinus, qui hunc S. Hieronymi locum citant. Quin immò Carolus magnus Imperator divinum hâc die officium *supra mediam noctem* protraxisse memoratur apud Monachum Sangallensem in libro de Ecclesiastica cura Caroli Magni cap. 24. Hinc capiendus est locus S. Ambrosii ad Episcopos per Æmiliam constitutos scribentis, Epistolâ 23. « Certâ ratione comperlâ, ita omnium concurrat affectio, ut unâ nocte » ubique sacrificium pro resurrectione Domini deferatur. » Hinc est etiam quod S. Augustinus in Sermone 228. quem ipso Paschatis die ad populum et ad infantes habuit, sic eos alloquitur : « Post laborem noctis » præteritæ, quoniam * *etsi spiritus promptus est, caro tamen infirma,* » (*Matth.* xxvi. 41.) diù vos tenere sermone non debeo. » Et Sermone 219. quem in hujus noctis vigiliis pronuntiavit : « Quantò ergo alacriùs in » hac vigilia velut matre omnium sanctarum vigiliarum vigilare debe» mus, in qua totus vigilat mundus. » Eadem ratione Innocentius Papa I. ad Decentium Eugubinum Episcopum scribit Ecclesiæ traditionem habere, *isto biduo, feriâ* 6. *scilicet et sabbato sancto, sacramenta non penitùs celebrari :* quia reverâ hujus diei Missa tota in nocte peragitur. Undè et antiqui sacramentorum codices, quales sunt Gellonensis, Remensis, Regius, Noviomensis annorum minimùm 900. Turonensis, Dionysianus annorum 800. cum aliis pluribus, non antè volunt Missam inchoari, *quàm appareat una ex stellis in cœlo.* His adde Concilii Antissiodorensis Canonem 11. *Non licet in vigilia Paschæ ante horam secundam noctis vigilias perexplere.* Et illud Concilii Rothomagensis anni 1072. decretum, ut *in sabbato Paschæ officium ante nonam non incipiatur.* Ad

que non tam sepulturæ quàm Resurrectionis Dominicæ mentio fit in illo officio.

I. Benedictio cerei Paschalis, lectio Prophetiarum, Benedictio Fontium, Missa quæ Sabbato sancto celebratur, suntne hæc omnia ex veteri ritu?

R. Ex ritu vetustissimo. Sed olim non manè, sed vesperè hæc omnia fiebant. Post horam nonam benedicebatur solemniter cereus Paschalis; deinde legebantur prophetiæ; tùm canebatur litania; posteà procedebatur ad fontes, fiebat aquæ Baptismalis benedictio, Catechumenorum Baptismus, recèns baptizatorum Confirmatio, demùm Missæ agebantur; intra quarum solemnia celebrabantur Ordines. Ideoque prætermittebatur hâc die consuetum officium vesperarum, quia supradicta isthæc officia ad multam noctem protendebantur. (B) Atque hæc quidem ratio est, cur etiamnum post Missam pro vesperarum officio cantatur Psalmus unicus, isque brevissimus.

I. Cur officium illud matutinis jam horis, non vespertinis, ut olim, agitur?

R. Id sensim factum est propter anticipationem cœnæ, quæ per totam quadragesimam olim, post completum officium, vesperè fiebat, nunc post completum officium quidem, sed meridiè fit. Sensim enim factum est, quod infrà dicemus (*Cap.* 6. §. 2. *hujus Sect.*), ut horâ cœnæ paulatim anticipatâ, simul et fieret anticipatio officii hâc die, non secùs ac in reliqua Quadragesima. Sed nihil propterea mutatum in precibus, in quibus mentio fit noctis, non secùs ac si hæc etiamnum in nocte agerentur.

I. Cur hodie fit solemniter benedictio ignis recèns excussi è silice?

R. Hic et vestigium antiquitatis. Olim excutiebatur quotidie ignis è silice ad accendenda Ecclesiæ luminaria, et fiebat priùs ignis benedictio. Nihil enim in publicum usum adhibuit unquam Ecclesia sine præcedenti benedictione. Solemniùs hâc die agitur hujus ignis benedictio; quia ignis

noctem enim Dominicæ resurrectionis respicit, ob cujus reverentiam *Gloria in excelsis Deo* et *Alleluia* cantatur. Vide si lubet Gregorium Turonensem lib. 2. Historiæ Francorum cap. 34. ubi Missa sabbati sancti nocte celebrata narratur. Cæterùm perseveravit hæc pia sanctaque traditio, saltem aliquibus in locis ad usque finem seculi decimi quarti, ut constat ex consuetudinibus Canonicorum Regularium Cassanensis Monasterii anno 1387. renovatis, in quibus hæc lego: *Sabbato sancto missa dicitur tardiùs, et in quibusdam locis celebratur nocte.*

(B) D. JOAN. MABILLON. *Comm. in Ord. Rom. pag.* 99. Post Missam vesperas omittebant Romani, propterea quòd ritus baptismi et Missæ subsequentis in multam noctem protraherentur. Undè in vulgato Ordine Romano: *In hac nocte de vespertinali synaxi apud Romanos nihil agitur, neque ante Missam. Apud nos autem unus de schola, cui jussum fuerit, pro antiphona incipit* alleluia *ad vesperam.* Ex hoc loco nemo non videt, interpolatum esse vulgatum Ordinem Romanum, ubi legitur, *apud nos autem*, etc. Verùm non solùm in vigilia Paschæ, sed etiam in biduo præcedente cursus diurni officii publicè non recitabatur in Ecclesia Romana, ut ex libellis nostris manifestum est.

ille è silice excussus videtur Christi recèns è mortuis suscitati typum ferre. Romæ solemnis hæc ignis novi benedictio fiebat olim feriâ quintâ majoris hebdomadæ. (C)

I. Cur fit cerei Paschalis hâc die Benedictio?

R. Cereus ille per totam olim noctem Paschalis ardebat, et ardet etiamnum ex veteri ritu Parisiis, et alibi. Et certè ad illuminandam hâc nocte Ecclesiam benedicitur, ut patet ex his verbis, quæ exstant etiamnum in hujus cerei benedictione : *Ut ad expellendam hujus noctis caliginem indeficiens perseveret.* (*In Præf.* Exsultet.) (D)

Vulgò cereus ille accipitur pro typo Christi è mortuis suscitati : id patet ex ipso Benedictionis ritu, ut mox dicemus. Et hæc quidem ratio est cur toto tempore Paschali in solemnibus officiis ardeat; et ex complurium Ecclesiarum more feratur ante crucem in solemnibus supplicationibus; et in festo Ascensionis amoveatur ab Ecclesia, ubi lectum est Evangelium, in quo dicitur Christus spectantibus Apostolis in cœlum ascendisse.

Dixi ex ipso Benedictionis ritu innui cereum hunc esse typum Christi : quam quidem allegoriam Rupertus Abbas Tuitiensis sic explicat. Diaconus in ipsa cerei benedictione quinque Thuris grana cereo nondum accenso infigit : ut hoc ritu significetur ab Joseph ex Arimatheâ et Nicodemo, cæterisque Christi Discipulis conditum fuisse aromatibus Christi mortui corpus. Foramina quinque quibus quinque grana Thuris infiguntur, videntur quinque Christi plagas designare. Postea cereus ascenditur, ut innuatur Christum conditum aromatibus à mortuis surrexisse. Fitque cerei benedictio non à Sacerdote, à quo tamen cæteræ benedictiones omnes fiunt, sed à Diacono; quo quidem ritu intelligimus non Apostolorum, sed Discipulorum et Sanctarum mulierum ministerio fuisse corpus Christi aromatibus conditum, et resurrectionem ejus primò annuntiatam. (E)

(C) D. Joan. Mabillon. *comm. in Ord. Rom. n.* 11. in die Cœnæ Domini.... mos erat; chrisma novum consecrari, novum item ignem benedici, atque Eucharistiam in crastinum reservari.

Ordo Rom. 1. *in feriâ* 5. *Cœnæ Dom. n.* 32. Eâ verò die horâ nonâ faciunt excuti ignem de lapide in loco foris basilicam : si ibidem oratorium non habuerint, in porta ibi excutiunt; sin verò in loco in quo consideraverit Prior, ita ut ex eo possit candela accendi; quæ candela in arundine debet poni, et à mansionario Ecclesiæ portata præsente congregatione vel populo; et de ipso igne continuò in eadem Ecclesiâ vel loco, ubi accenditur, lampada una servetur usque in Sabbato sancto ad illuminandum cereum, qui eodem die benedicendus est.

(D) Edm. Marteane *Lib. de antiq. Eccles. Discipl. in div. celebr. offic. cap.* 24. *n.* 10. Redeo ad cereum paschalem qui semel accensus ardere debebat *usque in crastinum post vesperas* ex Missali ms. Colbertino n. 422. immò usque post completorium ex ordinario Laudunensi et Missali Athanacensi.

(E) Rupertus Abbas *de divinis officiis*, *cap.* 28. Proprium quoddam hujus tantæ solemnitatis decus est, cereus à Zosimo Romanæ Ecclesiæ Pontifice tricesimo-nono per Ecclesias benedici institutus, à cujus dulcisona benedictione præconia sanctæ Resurrectionis Christi inchoantur. Significat verò eumdem Dominum nostrum resurgentem, suorum tris-

Ravennæ sexto Ecclesiæ seculo cereus Paschalis ab ipso Episcopo benedicebatur. (F)

Cuilibet ferè Ecclesiæ suus mos, sua est consuetudo circa usum cerei Paschalis. Apud plerasque à benedictione ad absolutum Paschatis officium ardebat. Suessione à Sabbato sancto ad completorium feriæ quartæ diu noctuque lucebat. (G) Hodie in omnibus ferè Ecclesiis ad singula

[illegible]itiam discipulorum, immò mundum universum lætitiæ competentis claritate serenantem. Hoc verè congruit, et vis ipsa significationis exposcit, ut sicut præteritis noctibus exstincta luminaria faciem Ecclesiæ contristaverunt; sic eàdem nocte hâc cereus illuminatus jugi flammæ impudentis jubare lætificet.

Cap. 29. Dictum est, per candelas, quæ exstinctæ sunt, mortes significari Prophetarum et justorum, qui à sanguine Abel justi usque ad Christum occisi sunt, ipsamque candelam quæ ad Evangelium non major cæteris exstinguitur, ipsum Dominum significare qui Evangelizans occiditur, unus ex Prophetis reputatus. Constat autem, quia qui contemptus et humilis occisus est, * *hunc Deus suscitavit, ac Principem et Salvatorem exaltavit, ad dandam pœnitentiam in remissionem peccatorum.* (*Act.* v. 31.) Benè ergo.... claram resurgentis magnitudinem præclari significat magnitudo cerei. Eò vel maximè cereus ad Christi similitudinem accedit, quòd parvula, quæ substantiam ceræ educit apis mater, absque concubitu concipit, et parit, cui ritè comparatur Virgo Maria Dei genitrix, quæ inviolata nobis Deum in carne quasi mel in cera protulit. Cùm ergo rectè humanitatis Christi similitudinem gerat, annus illi ab Incarnatione ejusdem Domini Christi consequenter inscribitur. Et quia crucifixus est, Crucis quoque figura congrue nihilominus insculpitur.... Illud idem per hanc pretiosam lampadem intelligere debeamus, quod per illam præfigurabatur columnam, quæ castra filiorum Israël de Ægypto exeuntium per mare rubrum præcedebat. (*Exod.* XIII. XIV.) Significabat autem illa columna nubis benè notam nobis nubem humanitatis Christi, etc.

Dum ergo columnam ceream rutilans ignis accendit.... Illud innuitur, quòd exstinctam in sepulcro jacentem humanitatis Christi substantiam, de supernis adspirans ignea divinitatis potentia rursus animavit; et sicut verè rutilans ignis, gloria beatæ resurrectionis hâc nocte in perpetuum nobis gaudium feliciter illuxit.

Cap. 30.... Quæratur cur tantæ materiæ, tantæ dignitatis benedictionem super cereum pronuntiet Diaconus præsente Sacerdote vel etiam Pontifice, sacrisque indutum vestibus: causa manifesta sese offert quærentibus. Constat enim quia bonum sanctæ Resurrectionis Christi nuntium per minorem sexum, id est, per mulieres, sanctis Apostolis flentibus et lugentibus evangelizatum est.

Cap. 31. Cumque Diaconus cum cæteris subministris ad benedicendum accedit, frustula quoque portantur incensi, ut cruciculæ, quæ cereo insculpta est, offerendo infigat. Et hoc quoque ad causam prædictam respicit. Illæ namque mulieres quæ mortuum quærebant Dominum, et vivum videre meruerunt, aromata ferebant, sicut Evangelista refert. *Maria Magdalene, et Maria Jacobi, et Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum.* (*Marc.* XVI. 1.)

(F) D. EDM. MARTENNE *lib. de antiq. Eccl. discipl. in divin. celebr. offic. cap.* 24. *n.* 7. Ex antiqua verò Ecclesiæ Romanæ traditione cereus Paschalis benedicitur à Diacono; sed in Ecclesia Ravennensi ista benedictio ab ipso Episcopo peragi solebat: hinc sanctus Gregorius lib. 9. Epist. 28. Mariniano Episcopo scribens, jubet ut propter graves quibus ille laborabat infirmitates, preces quæ super cereum in Ravennati civitate dici solent, vel expositiones Evangelii quæ circa Paschalem solemnitatem à Sacerdotibus fiunt, per alium dicantur, quas proinde, si convaluisset, ipse Marinianus dixisset.

(G) D. EDM. MARTENNE *lib. de antiq. Eccl. discipl. in divin. celebr. offic. cap.* 25. *pag.* 498. His peractis, remanent ante altare accensi 3.

diei noctisve officia cereus accenditur à Sabbato sancto ad Missam solemnem festi Ascensionis, post cujus Evangelium exstinguitur et aufertur, rursusque à Sabbato ante Pentecosten ad Missam sabbati inclusivè : at exceptis officii solemnis horis, per diem aut noctem nunquam accenditur. Lutetiæ ab officio Sabbati sancti ad completum Paschatis officium indesinenter ardet; præterea ad Missam solemnem et ad Vesperas tantùm per octavam Paschæ ad Missam sabbati inclusivè, postquam exstinguitur, non accendendus nisi in primis vesperis diei Ascensionis. Ab his vesperis ad finem completorii perpetuò lucet : nec postea accenditur nisi ad officium sabbati Pentecostes, nonnisi post absolutum diei sequentis officium exstinguendus. (H) Is mos in aliis etiam Ecclesiis viget. Olim in quibusdam Ecclesiis, saltem in Bisuntina (quædam fortè etiamnum hunc morem retinent) sabbato Pentecostes novus cereus benedicebatur. (I)

cerei, duo quotidiani, et magnus cereus Paschalis, qui ex quo fuerit accensus, usque in feriam 4. advesperascentem non exstinguatur.

(H) Cæremonial. Paris. *part.* 4. *cap.* 14. *art.* 3. *n.* 14. Cereus Paschalis, ab hac hora, usque ad officium completum in die Paschæ ardere debet. Prætereà ardere debet ad Missam, et Vesperas, usque ad Missam sabbati *in albis* inclusivè, et à principio vesperarum vigiliæ Ascensionis, usque ad completum officium in die Ascensionis inclusivè, atque ab ultima Prophetia vigiliæ Pentecostes, usque ad finem officii completi in die Pentecostes.

(I) D. Edm. Martenne *lib. de antiq. Eccl. discipl. in divin. celebr. offic. cap.* 28. *n.* 9. Vigilia Pentecostes tantam cum vigilia Paschæ affinitatem habet, ut eosdem penè in utraque ritus advertere liceat : ejus officium in ms. Pontificali Ecclesiæ Bisuntinæ incipit à cerei benedictione, quæ cùm illi Ecclesiæ omninò singularis exstiterit, hic integram repræsentare visum nobis est alicujus operæ pretium.

Benedictio Cerei.

Exsultet jam Angelica turba cœlorum etc. *usque ad Præfationem ut in Sabbato sancto.*

Per omnia secula seculorum. R. Amen.

Dominus vobiscum. R. Et cum spiritu tuo.

Sursum corda. R. Habemus ad Dominum.

Gratias agamus Domino Deo nostro. R. Dignum et justum est.

Verè, quia dignum et justum est invisibilem Deum Patrem omnipotentem, Filiumque ejus unigenitum Dominum nostrum Jesum Christum toto cordis ac mentis affectu et vocis ministerio personare : qui pro nobis æterno Patri Adæ debitum solvit, et veteris piaculi cautionem pio cruore detersit. Hæc sunt enim sacra solemnia, in quibus mortis perpetuæ victor vitæque sempiternæ largitor, humanæ postquam conditionis substantiam non solùm ab inferis eruit, sed ad superna polorum fastigia triumphans subvexit, spiritûs infusione Paraclili, juxta suæ verbum promissionis, filios ditavit adoptionis. Hæc igitur dies est, quæ peccatorum tenebras suâ claritate purgavit. Hæc dies est, quæ hodie per universum mundum in Christum credentes, à vitiis seculi segregatos, sancti Spiritûs infusione purgatos, reddit gratiæ, socialque sanctitati. Hæc dies est, in qua, fugatis originalis peccati tenebris, Spiritus Paraclitus, ad suorum corda fidelium confirmanda, in igneis linguis de supernis descendit : non ut repentinus visitator, sed ut perpetuus consolator æternusque cohabitator. O mira circa nos Dei pietatis dignatio! ò inæstimabilis dilectio charitatis, ut hominem ab æternitate dejectum plasmator universalis ad superna reduceret, quos per verbi sui doctrinam accenderat, per sancti Spiritûs virtutem confirmat! ò certè necessarium Adæ peccatum, quod Christi morte deletum est! ò felix

I. Cur hâc die solemniter benedicitur aqua baptismalis?

R. Baptismalis aqua hâc die et in vigilia Pentecostes solemniter benedicitur, quia in vigiliis Paschæ et Pentecostes mos erat olim solemniter baptizandi, et benedicebatur olim aqua quoties baptizandum esset; sicut et etiamnum sal benedicitur semper ante baptismum, nisi fuerit priùs benedictum. Et quidem ubi per immersionem baptizare solemne erat, tunc decebat magis munditiæ causâ, aquam toties benedici, quoties esset baptizandum.

I. Estne id veteri in more positum ut benedicatur solemniter aqua Baptismalis?

R. Hunc ritum Apostolicis traditionibus annumerat S. Basilius, qui seculo quarto in Oriente floruit. (K) Et certè facta semper est, et fit etiamnum per omnes totius orbis Ecclesias hæc benedictio; nec ullum statui potest hujus ritûs initium post tempora Apostolica. (L)

I. Cur leguntur hâc die Prophetiæ ante benedictionem fontis?

R. Prophetiæ illæ totius religionis summam exhibent. Canebantur olim in Ecclesia ad Catechumenorum eruditionem, et interea fiebat catechismus mox baptizandis. (M)

culpa quæ Spiritum sanctum habere meruit consolatorem! Hæc dies est, quæ sola meruit scire tempus et horam in qua Spiritus sanctus ab arce divinitatis irruens, ut invisibilis super Dominum nostrum Jesum Christum baptizatum in Columbæ specie descendit; ita super Apostolos in igneis linguis apparuit, ut post Redemptoris nostri magnificentiam, credentibus augeret sapientiam, accumularet gratiam, confirmaret constantiam. Hujus igitur sanctificatio diei fugat scelera, culpas lavat et reddit innocentiam lapsis et mœstis lætitiam, fugat odia, concordiam parat, et curvat imperia. In hujus diei gratia, suscipe sancte Pater incensi hujus sacrificium vespertinum, quod tibi in hac cerei oblatione solemni per ministerium manûs de opibus apum sacro-sancta reddit Ecclesia. Sed jam columnæ hujus præconia novimus, quam in honorem Dei rutilans ignis accendit: qui licèt divisus in partes, mutuati luminis detrimenta non novit. Alitur liquentibus ceris, quas in substantia pretiosæ hujus lampadis apis mater eduxit. O verè beata dies, quæ illuminavit credentes, ditavit fideles, dies in qua linguarum diversitates in unius fidei confessione junguntur! Oramus ergo te, Domine, ut cereus iste in honorem nominis tui consecratus, ad diei hujus caliginem destruendam indeficiens perseveret, in odorem suavitatis acceptus supernis luminaribus misceatur, flammas ejus lucifer matutinus inveniat; ille, inquam, lucifer, qui nescit occasum, ille qui regressus ab inferis humano generi serenus illuxit. Precamur ergo te, Domine, ut nos famulos tuos, omnem clerum et devotissimum populum unà cum famulo tuo Papa nostro N. et Antistite nostro N. et Imperatore nostro N. quiete temporum concessâ in his sacris solemniis conservare digneris. Per Dominum nostrum Jesum Christum per omnia secula seculorum.

(K) S. Basilius *de Spiritu sancto, cap.* 27. Consecramus autem aquam baptismatis, et oleum unctionis, præterea ipsum qui baptismum accipit, ex quibus scriptis? Nonne à tacita secretaque traditione?

(L) *Hæc fusiùs probabimus, dum hujusce benedictionis cæremonias explicare conabimur, simulque illius antiquitatem demonstrare, hujusce Operis Part.* 3. *Sect.* 2. *Cap.* 8. §. 9.

(M) Ord. Rom. *tom.* 10. *Biblioth. PP. Hittorp. pag.* 80. Interim autem dum lectiones leguntur, Presbyteri catechizent infantes, qui non sunt catechizati, et præparent ad baptizandum.

D. Edmund. Martenne *lib. de antiq. Eccles. discip. in divin. celebrand.*

I. **Cur canitur *Alleluia* ad Missam ?**

R. Hallelou-Iah **vox Hebræa est duabus vocibus constans. Hæc idem sonat quod *Laudate Deum.* Cantus ille ex vetustissimo ritu jubilationem innuit. Resumitur hodie præ gaudio Resurrectionis Dominicæ. (N)**

offic. cap. 24. *n.* 13. Cerei Paschalis benedictionem sequuntur lectiones ad Catechumenorum instructionem olim recitatæ, quæ tamen antiquitùs præcessisse videntur. Id sanè clarè innuit antiquus Ordo Romanus ad usum Corbeiensis monasterii ante annos 800. accommodatus, in quo inter alia hæc lego : « Et interrogavimus nihilominùs Dominum Apostolicum Adrianum, secundùm vestra mandata, si in Paschali sabbato » debent flecti genua dum lectiones recitantur. Et ipse respondit hoc » debere omnibus modis fieri. Cui cùm diceremus, et quomodo Sacer- » dotes et Ministri seu clerus cum stolis et planetis possunt in terram » prosterni, ille adjecit non debere Sacerdotes vel Ministros seu clerum » stolis priùs planetisque vestiri, nisi tunc demum cùm lumen novum » introducitur, ut cereus benedicatur. » Ex his patet lectiones olim pronuntiatas fuisse ante cerei benedictionem, pro qua Sacerdotes et Ministri seu clerus stolis et planetis vestiebantur. Idem fuit usus Ecclesiæ Lugdunensis, idem et in Bisuntina observatus.

(N) S. Isidori Hispalens. Episc. *de officiis Ecclesiasticis*, *lib.* 1. *cap* 13. Laudes, hoc est, *Alleluia* canere antiquum est Hebræorum, cujus expositio duorum verborum interpretatione vel compositione consistit, hoc est, Laus Dei. De cujus mysterio Joannes in Apocalypsi refert, spiritu revelante vidisse se aut audisse * *vocem* cœlestis exercitûs Angelorum *tanquam vocem aquarum multarum et tanquam vocem validorum tonitruorum dicentium, Alleluia.* (*Apoc.* xiv. 2. 3.) Ex quo nullus debet ambigere, cùm hoc laudis mysterium dignâ fide et devotione celebretur, Angelis esse conjunctum. *Alleluia* autem sicut et *Amen*, de Hebræa in aliam linguam nequaquam transferuntur; non quia interpretari minimè queant, sed, sicut aiunt Doctores, servatur in eis antiquitas propter sanctiorem auctoritatem. In Africanis autem regionibus non omni tempore, sed tantùm Dominicis diebus, et quinquaginta post Domini resurrectionem *Alleluia* cantatur pro significatione futuræ resurrectionis et lætitiæ. Verùm apud nos, secundùm antiquam Hispaniarum traditionem, præter dies jejuniorum vel quadragesimæ, omni tempore canitur *Alleluia.* Scriptum est enim *semper laus ejus in ore meo.* (*Ps.* xxxiii. 2.) Quòd verò post consummatam psalmorum vel lectionum prædicationem, *Alleluia* in fine cantatur, hoc in spem futuri facit Ecclesia, significans post annuntiationem regni cœlorum, quæ in hac vita per utrumque Testamentum mundo prædicatur, actionem nostram non esse futuram nisi in laude Dei. Sic enim scriptum est, *Beati qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te.* (*Ps.* lxxxiii. 5.) Hinc est quod liber psalmorum in laude concluditur, ut eadem post finem seculi laus æterna monstretur.

S. Aug. *Serm.* 243. *in dieb. Paschalib.* 14. *aliàs de diversis* 6. *cap.* 9. *n.* 8. Ecce dies isti sancti, qui post resurrectionem Domini celebrantur, significant futuram vitam post resurrectionem nostram. Sicut enim Quadragesimæ dies ante Pascha significaverunt laboriosam vitam in hac ærumna mortali : Sic isti dies læti significant futuram vitam, ubi erimus cum Domino regnaturi. Vita quæ significatur Quadragesimâ ante Pascha, modòhabetur : vita quæ significatur quinquaginta diebus post resurrectionem Domini, non habetur, sed speratur, et sperando amatur; et in ipso amore Deus qui promisit ista, laudatur, et ipsæ laudes *Alleluia* sunt. Quid est enim *Alleluia* ? Verbum est Hebræum, *Halleluiah*, Laudate Deum. *Hallelu*, Laudate, *Iah* Deum : *Alleluia* ergo, Laudate Deum sonamus, et invicem nos excitamus ad laudandum Deum : concordibus cordibus meliùs quàm citharæ chordis, dicimus laudes Deo, cantamus *Alleluia.*

Serm. 252. *in dieb. Paschalibus* 23. *aliàs de diversis* 5. *cap.* 9. *n.* 9. Non enim sine causa, fratres mei, consuetudinem antiquæ traditionis tenet Ecclesia, ut per istos quinquaginta dies Alleluia dicatur. Alleluia enim

I. Quâ mente agendus est Sabbati sancti dies ?

R. Agendus in meditatione sepulturæ Christi, et mysteriorum quæ per eam nobis ad eruditionem exhibentur.

Hæc autem in eo posita esse docet Apostolus quòd consepulti simus per Baptismum in mortem, ut non peccemus ampliùs, nec serviamus cupiditatibus. (O)

Laus est Dei. Significatur ergo nobis laborantibus actio quietis nostræ. Cùm enim post istum laborem ad illam requiem veniemus, solum negotium laus Dei erit, actio nostra ibi Alleluia est.

Serm. 255. *in dieb. Paschalib.* 26. *aliàs de diversis* 1. *cap.* 1. *n.* 1... Nostis quia Alleluia, Latinè dicitur, Laudate Deum : et in hoc verbo consonantes ore et consentientes corde, exhortamur non invicem ad laudandum Deum. Eum tantùm homo securus laudat, qui non habet undè displiceat.

Serm. 256. *in dieb. Paschalib.* 27. *aliàs ex Sirmondianis* 18. *n.* 1. Alleluia.. Latinè interpretatur, Laudate Dominum. Laudemus Dominum, fratres, vitâ et linguâ, corde et ore, vocibus et moribus. Sic enim sibi dici vult Deus Alleluia, ut non sit in laudante discordia. Concordent ergo priùs in nobis ipsis lingua cum vita, os cum conscientia ; concordent, inquam, voces cum moribus : ne fortè bonæ voces testimonium dicant contra malos mores.

Serm. 257. *in dieb. Paschalib.* 28. *E. B. n.* 1. Quod Hebraïcâ linguâ dicitur alleluia, Latinè est, Laudate Dominum. Laudemus ergo Dominum Deum nostrum, non tantùm voce, sed etiam corde.

D. JOAN. MABILLON *Comm. in Ord. Rom. n.* 15. In hac Missa, magna cum solemnitate primùm canebatur Alleluia : cujus rei meminit Sozomenus in lib. 8. cap. 15. ubi asserit Romæ quotannis semel cani Alleluia primo die Paschalis festivitatis. Adeò ut multi Romanorum hoc jurejurando uti solerent, ut hunc hymnum audire et canere ipsis contingeret. Huc spectat Victor Vitensis in lib. 1. « Lector unus pulpito sistens, » alleluiaticum melos canebat, nempè die Paschæ, quo tempore sagittâ » in gutture sagittatus, cadente de manibus codice, mortuus cecidit. » In superiori Sozomeni testimonio id difficultatis est, quòd Romæ quotannis Alleluia semel tantùm cani affirmat : cùm per totos quinquaginta dies qui à Paschate ad Pentecosten effluebant, sæpiùs à Romanis frequentaretur ante Gregorium magnum : qui etiam extra Pentecosten Alleluia cani præcepit. Quamobrem conqueritantibus de Sicilia nonnullis, quòd hunc ritum à Græcis mutuatus esset, respondit in Epistola ad Joannem Episcopum Syracusanum quæ est libro 7. Epist. 64. Indictione 11. ut Alleluia hic diceretur, de Jerosolymorum Ecclesia ex beati Hieronymi traditione, tempore beatæ memoriæ Damasi Papæ traditur tractum. Et ideò magis in hac sede illam consuetudinem amputavimus, quæ hic à Græcis fuerat tradita. Forsan quæ in exsequiis defunctorum, et in Quadragesima hanc vocem induxerat. Sanè in exsequiis mortuorum Alleluia quondam apud Romanos fuisse decantatum testis est Hieronymus in Epitaphio Fabiolæ : *Jam fama volans tanti prænuntia luctus, totius urbis populum ad exsequias congregabat. Sonabant Psalmi, et aurata tecta templorum in sublime quatiebat Alleluia.* Idem etiam colligit Menardus ex codice Ratoldi : quibus adde Missale Mozarabum. Immò etiam in Quadragesima Hispanicæ quædam Ecclesiæ Alleluia canebant ante Conc. IV. Toletanum. Cujus canon X. hunc usum abrogavit. Consimilem sustulit Gregorius, statuitque ut in Missis etiam post Pentecosten Alleluia caneretur, non tamen in Missis defunctorum et in Quadragesima. Porrò Amalarius ex superiori epistola rectè infert in lib. 4. cap. 33. quod aliquo tempore, id est, ante Gregorium magnum, cantabatur missa in Romana Ecclesia absque Alleluia : scilicet in Missis post Pentecosten. Redeo ad Sozomenum, qui forte in eodem errore fuit atque Michael Cerularius, cujus inter alias hæc una est adversùs Romanos objectio, quòd Alleluia in Quadragesima non psallerent, sed semel in Pascha tantummodo. Quod postremum de seculo XI. quo scribebat Cerularius, falsum esse constat.

(O) ROM. VI. 4. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in

I. Quid agendum ex mente Ecclesiæ tempore officii, quod olim vesperè, nunc manè hujus diei celebratur ?

R. 1. Dum cereus Paschalis benedicitur, exsultandum spirituali gaudio præ resurrectione Christi. Adorandus Christus sepultus primùm, deindè suscitatus à mortuis. Attentè audienda sunt verba omnia quibus constat illa benedictio ; egregia illa quidem.

2. Dum canuntur Prophetiæ, audienda vel legenda hæc Scripturarum oracula ; et quod Deus docuit nos per Prophetas, id volvendum animo, et revocandum ad praxim.

3. Dum fit benedictio aquæ baptismalis, sedulâ mente cogitandum quibus verbis et ritibus constet hæc benedictio, horum sensus investigandus. (*Vide* 3. *Part. Sect.* 2. *Cap.* 8. §. 9.) Agendæ gratiæ Deo, qui secundùm misericordiam suam magnam regeneravit nos aquâ baptismatis : Renovandæ promissiones quas solemniter Christo fecimus in Baptismo.

4. Dum Missa celebratur, majori attentione opus est, ut revolvantur mysteria omnia quæ hâc die celebrantur. (P) Orandus Deus, ut isthæc, ut par est, assequi valeamus.

§. 12. De Die sancto Paschæ.

I. Quâ die celebratur Christi Resurrectio ?

R. Dominicâ proximâ post lunam decimam quartam mensis Martii.

Graves ea de re fuerunt olim in Ecclesia contentiones. Concilium Nicænum œcumenicum habitum anno 325. eas diremit solemni sanctione, quâ secundùm Romanæ plerarumque cæterarum Ecclesiarum traditionem, statuit dein-

mortem : ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus.

Coloss. II. 12. Consepulti ei in baptismo, in quo et resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitavit illum à mortuis.

(P) S. Epiphan. *in sepulcrum Christi tom.* 2. *pag.* 260. Duplex hodie Domini adventus, duplex administratio, duplex amor erga homines, duplex descensus simul et sui demissio, duplex hominum visitatio ; è cœlo in terram, è terra subtùs terram Deus apparuit. Portæ inferni panduntur. Qui à seculo dormivistis, exsultate : Qui in tenebris et in umbra mortis sedetis, lucem ingentem excipite. Cum servis, Dominus : cum mortuis, Deus : cum mortalibus, vita : cum sontibus, insons : cum his qui in tenebris, non vesperascens lux : cum captivis, vindex libertatis : cum infimis, qui est supra cœlos. Christus in terra, credidimus : Christus inter mortuos, unà descendamus, et consideremus quænam illic mysteria ?.... Addiscamus quomodo, et his qui in inferno sunt, innotuit dogmatis prædicatio. Quid igitur ? Omnesne omninò saluti restituit Deus ? Minimè. Verùm et illic eos qui crediderunt. Heri quæ erant administrationis propria, hodie quæ potentiæ : heri quæ imbecillitatis, hodie quæ dominationis : heri opera humanæ naturæ, hodie divinitatis ostenduntur. Heri alapis percutiebatur, hodie fulgore divinitatis inferni percutit domicilium. Heri ligabatur, hodie insolubilibus vinculis colligat tyrannum. Heri condemnabatur, hodie condemnatis libertatem largitur.

Pag. 167. Quomodo vita mortem gustavit ? Quomodo qui comprehendi nequit, sepulcro continetur ? Quomodo habitat sepulcrum, qui paternum sinum non reliquit ? Quomodo januam speluncæ ingreditur, qui januas Paradisi aperuit ; virginis verò januas non dirupit, sed januas inferni contrivit ?

ceps ab omnibus omninò Ecclesiis celebrandum esse festum Dominicæ Resurrectionis (quod Pascha dicitur) Dominicâ proximâ post decimam quartam lunam ab æquinoxio verno. Ut autem præcluderetur omnis occasio controversiæ circa calculos astronomicos de æquinoxio verno, id fixum ratumque esse voluit sacra Synodus, ut dies vigesima prima mensis Martii deinceps pro verno æquinoxio haberetur. Et hæc quidem ratio est cur festum Paschatis cæteraque omnia quæ ex eo pendent nunc ociùs nunc seriùs celebrentur, adeòque dicantur esse mobilia. (A)

(A) CONCIL. NICÆN. *Œcum.* 1. *ann.* 325. *Can.* XXII. *ex* RUFIN. *Hist. l.* 11. *c.* 6. Sed et de observatione Paschæ antiquum canonem, per quem nulla de reliquo varietas oriretur, (*cùm*) Ecclesiis tradidissent (*Patres Nicæni Concilii*), omnibus ritè dispositis, Ecclesiarum pax et fides in Orientis atque Occidentis partibus una atque eadem servabatur.

CONC. ANTIOCHENUM *sub Julio* 1. *ann.* 340. *Can.* 1. *Herveto Interprete.* Omnes qui audent dissolvere decretum sanctæ et magnæ Synodi, quæ Nicææ coacta est in præsentia pietatis religiosissimi Imperatoris Constantini, de sancto festo salutiferi Paschatis, esse excommunicatos, et Ecclesiâ ejectos statuimus, si adversùs ea quæ rectè decreta sunt contentiosiùs insistere perrexerint: et hæc quidem de laïcis dicta sint. Si quis autem eorum, qui præsunt Ecclesiæ, Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, audebit post hoc decretum ad populorum subversionem et Ecclesiarum perturbationem secorsùm agere, et Pascha cum Judæis peragere, sancta Synodus eum abhinc alienum esse ab Ecclesia judicavit.

GELASIUS *in Hist. Concil. Nicæni lib.* 2. *cap.* 34. Lætum etiam nuntium vobis afferimus de consensu omnium in celebrando sanctissimo festo Paschatis, quòd ea res etiam vestris precibus rectè constituta est; ita ut omnes fratres in Oriente, qui antea Judæos imitari consueverant, jam deinceps cum Romanis et vobis omnibusque nobis, qui eumdem morem vobiscum à primis temporibus in eo recolendo tenuimus, sanctissimum festum Paschatis concordissimè celebrabunt.

Ibid. ex Epist. CONSTANT. MAG. *quam è Nicæa misit ad Episc. qui Concilio non interfuerant. Hanc exscripsit* Gelasius, *ex* Eusebii Pamp. *de vita Constant. lib.* 3. *cap.* 17. *Eadem ferè habet* Socrates *Hist. Eccles. lib.* 1. *cap.* 9. Ubi etiam, cùm de sanctissimo die Paschatis disceptaretur, communi omnium sententiâ videbatur rectum esse, ut omnes ubique Christiani uno eodemque die salutare festum sanctissimi Paschatis celebrarent. Quid enim præstabilius, quidve augustius esse poterit, quàm ut hoc festum, per quod spem immortalitatis accepimus, uno modo et ratione apud omnes sincerè inviolatèque observetur? Ac primùm omnium indignum planè videbatur, ut consuetudinem Judæorum sequentes, sanctissimum festum celebraremus: qui quoniam suas ipsorum manus immani scelere polluerunt, cæco animorum errore meritò tenentur irretiti. Licet enim nobis, eâ gente rejectâ, veriore instituto, quod quidem usque à prima passionis die hactenus servavimus, hujus festi celebrationem ad posterorum seculorum memoriam transmittere. Nihil igitur sit nobis commune cum Judæorum turba, omnium maximè odiosa. Aliam enim viam, quam insistamus, à Salvatore didiscimus. Proponitur namque sanctissimæ nostræ religioni cursus quidam et legitimus et decorus. Hunc igitur uno consensu tenentes, fratres honoratissimi, ab illa detestabili Judæorum opinione nos ipsos removeamus. Est enim revera absurdissimum, illos gloriando jactare, nos absque ipsorum doctrina hæc nullo modo posse observare. Quid tandem est, de quo illi recte sentire queant, qui post necem Domino illatam, ex mentis statu deturbati, non ratione ullâ, sed impotenti impetu, quocunque eos insita rapit insania, feruntur? Hinc etiam est, quòd ne in hac quidem parte veritatem perspiciant: qui semper ut plurimum aberrantes, non modò errorem non corrigunt, sed in eodem anno alterum Pascha celebrant. Proindè quid est cur istos imitemur, quos constat gravi errore implicatos

esse? Eodem namque anno bis celebrari Pascha non permittemus. Verùm quamvis ista non à me fuissent proposita, tamen vestræ solertiæ esset, dare operam, ne quâ illorum similitudine, animorum nostrorum integritas nequissimorum hominum moribus admisceri videatur. Ex his item illud potest intelligi, nefas esse, ut in tanto negotio, tam solemni religionis nostræ festo, dissensio ulla sit. Unum enim libertatis nostræ diem festum, hoc est sanctissimæ passionis, Salvator noster nobis tradidit, unamque Ecclesiam catholicam esse voluit, cujus quidem membra, tametsi in multis variisque locis congregentur, tamen uno spiritu, hoc est, Divinâ voluntate et nutu foventur. Vestræ igitur Sanctitatis prudentia secum reputet, quàm grave et indecorum sit, ut iisdem diebus alii jejuniis vacent, alii agitent convivia: ac post dies Paschatis, alii in festis et animorum remissione versentur, alii præscriptis jejuniis se dedant. Quapropter istud, ut decet, emendari, et ad unam normam reduci, divina providentia postulat, sicut vos omnes satis animadvertere existimo. Et quoniam istud erat ita corrigendum, ut nihil nobis cum parricidis illis et necis Domini auctoribus commune sit: est modus ille decorus quem omnes Ecclesiæ servant, quæ orbis partes vel versùs Occidentem, vel versùs Meridiem, vel versùs Septentrionem incolunt, quem nonnulli qui ad Orientem habitant, non admittunt: idcircò omnes in præsentia hoc rectè se habere arbitrati sunt. Ipseque etiam in me recepi, vestram sapientiam facilè assensuram: ut quod in urbe Roma, in Italia, in Africa, in Ægypto, in Hispania, Gallia et Britannia, in Libya, et universa Græcia, in Diœcesi Asiatica et Pontica, in Cilicia denique, unâ et consentiente sententiâ conservatur, hoc etiam vestra prudentia libenter approbet: illud sedulò reputantes, non solùm quòd in locis antè dictis major Ecclesiarum numerus existat; sed etiam quòd sanctissimum sit illud omnes communi consilio statuere, quod recta ratio postulare videtur, nihil cum Judæorum perjurio habere commercii. Verùm ut summam rei breviter complectar, visum est communi omnium judicio sacratissimum Paschatis festum uno eodemque die celebrandum esse. Neque enim de re tam sancta ac solemni ulla dissensio debet existere: et longè pulchrius est eam sequi sententiam, cui nullus à fide alienus error, nullum vitium admixtum sit. His itaque divino judicio à tot tantisque sanctis Episcopis ad hunc modum constitutis, ea velut dona cœlitùs demissa, et divina verè mandata accipite. Nam quidquid in sanctis Episcoporum Conciliis decernitur, id universum divinæ voluntati debet attribui. Quamobrem vos, ubi omnibus dilectis nostris fratribus ea quæ antè scripta sunt, et jam dictam catholicæ fidei formulam, et sanctissimi diei Paschalis observationem denuntiaveritis; eadem ipsi approbare, et effecta reddere debetis: ut simul atque in pietatis vestræ conspectum jam pridem à me desideratum pervenero, uno eodemque die vobiscum unà sacro-sanctum festum recolere possim.

AUCTOR *Constit. Apostol. lib.* 5. *cap.* 16. Oportet ergo, Fratres, ut qui pretioso Christi sanguine redempti estis, dies festos Paschæ accuratè et omni diligentiâ post æquinoctium celebretis, ut neque unius passionis bis per annum memoriam renovetis, sed potiùs semel quotannis, memoriam mortui item semel celebretis: neque ampliùs cum Judæis tempus celebrandi Pascha observetis; nulla enim nobis nunc cum eis communitas est. Falluntur namque in ipso etiam calculo, et ratiocinatione, quam existimant se absolvere, ut ex omni parte à veritate abstracti sint. Vos verò observate diligenter conversionem verni æquinoctii, quæ incidit in vigesimum secundum diem mensis duodecimi, qui appellatur Dystros; et notate usque ad vigesimam primam lunam, ne in aliam hebdomadam incidat luna quartadecima, et per errorem bis unoque anno Pascha agitemus: aut diem resurrectionis Domini nostri Jesu Christi alio die, præter quàm Dominico tantùm celebremus.

S. EPIPHAN. *lib.* 3. *adv. Hæres. Hæres.* 70. *n.* 12. Plura à nobis commemorari possent, ex quibus constaret majores nostros saluberrimo consilio, sive potiùs Deum per illos, religiosissimi illius ac sanctissimi diei celebrandi accuratissimam tradidisse rationem, ut nimirùm post æquinoctium iniretur, quoties lunæ decima quarta dies incideret, non ut ipsa decima quarta peragatur. Nam Judæi quidem unicam diem observant;

I. Cur festum Dominicæ Resurrectionis Pascha dicitur ?

R. Propter connexionem quam habet cum Paschate Judæorum.

Institutum erat festum Paschatis apud Judæos, ut eâ die ageretur memoria,

1. Transitûs Angeli qui exterminavit primogenitos Ægyptiorum et salvavit Hebræos. (Atque inde nomen Paschatis. *Pascha* enim Hebræâ linguâ idem sonat quod *transitus.*) (B)

2. Egressionis ex Ægypto, liberationis à servitute Pharaonis, omniumque et singulorum quæ ad hoc pertinent.

Institutum est apud Christianos festum Paschatis, ut agatur memoria Resurrectionis Dominicæ, per quam transiit ipse de morte ad vitam ; eoque transitu de dæmonibus triumphavit, exemit nos et ab eorum servitute et à morte æterna ; et *vitæ æternæ nobis aditum de victâ morte reseravit.* (*in Orat. diei.*) (C)

à nobis verò non unius, sed integræ hebdomadis habenda ratio est.... Proinde id Ecclesiæ consuetudo retinet, ut Paschatis festum, hoc est hebdomadem ab Apostolis in illa constitutione præfixam, à secunda sabbatorum celebrare incipiat. *Cætera vide apud auctorem.*

S. AUGUST. *ad inquisit. Januar. lib.* 2. *seu Epist.* 55. *aliàs* 119. *cap.* 9. *n.* 16. Judæi mensem novorum tantummodò et lunam observant à quartadecima usque ad vicesimam primam. Sed quia illud eorum Pascha, quo passus est Dominus, ita occurrit, ut inter mortem ejus et Resurrectionem medius esset sabbati dies, addendum Patres nostri censuerunt, ut et nostra festivitas à Judæorum festivitate distingueretur ; et quod non frustra factum esse credendum est ab illo, qui est ante tempora, ... in anniversaria passionis ejus celebratione à posteris servaretur.

Cap. 14. *n.* 27. Hæc et ex auctoritate divinarum Scripturarum et universæ Ecclesiæ, quæ toto orbe diffunditur, consuetudine per anniversarium Pascha celebrantur.

Cap. 15. In magno utique sicut jam intelligis sacramento. Et in Scripturis quidem veteribus ad agendum Pascha non est præceptum tempus, nisi ex mense novorum, à luna quartadecima usque ad vigesimam primam : ex Evangelio tamen quia manifestum est, quo etiam die Dominus crucifixus sit, et in sepultura fuerit, et resurrexerit, adjuncta est etiam ipsorum dierum observatio per Patrum Concilia, et orbi universo Christiano persuasum est eo modo Pascha celebrari oportere.

(B) EXOD. XII. 11. Sic autem comeditis illum : Renes vestros accingetis, et calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, et comeditis festinanter : est enim Phase (id est) transitus Domini. *Nomen* PHASE, *seu* PASCHA, *ortum habet à verbo Hebræo* פסח, *id est*, TRANSIVIT, *quòd Angelus interficiens Ægyptiorum primogenitos, Israëlitarum domos, quarum limina agni sanguine serò illita fuerant, pertransierit, atque intactas reliquerit.*

(C) ROM. IV. 25. Qui traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram.

S. LEO *Serm.* 69. *de Resurrect. Domini* 1. *c.* 1. Non incongruè vobis... participationem Crucis Christi insinuavimus, ut Paschale sacramentum ipsa in se habeat vita credentium, et quod festo honoratur, moribus celebretur.. Cùm igitur quadraginta dierum observantiâ hoc voluerimus operari, ut aliquid sentiremus Crucis in tempore Dominicæ passionis : admittendum nobis est, ut etiam Resurrectionis Christi inveniamur esse consortes, et de morte ad vitam, dum in isto sumus corpore, transeamus. Unicuique enim homini, qui ex alio in aliud aliqua conversione mutatur, finis est, non esse quod fuit ; et ortus, esse quod non fuit. Sed interest cui quis aut moriatur, aut vivat : quia est mors quæ causa est vivendi : et est vita, quæ causa est moriendi : ... ut ex qualitate temporalium

actionum differentiæ retributionum pendeant æternarum. Moriendum est ergo diabolo, et vivendum Deo : deficiendum iniquitati, ut justitiæ resurgatur. Occumbant vetera, ut oriantur nova.

Cap. 2... Multùm nobis de hâc commutatione gaudendum est, quâ de ignobilitate terrena, ad cœlestem transferimur dignitatem, per illius ineffabilem misericordiam, qui, ut nos in sua proveheret, in nostra descendit ; ut non solùm substantiam, sed etiam conditionem naturæ peccatricis assumeret : et ea sibi pateretur inferri divina impassibilitas, quæ miserrimè experitur humana mortalitas. Unde ne turbatos Discipulorum animos longa mœstitudo cruciaret, denuntiatam tridui moram tam mirâ celeritate breviavit, ut dum ad integrum secundum diem pars primi novissima, et pars tertii prima concurrit, et aliquantum temporis spatio decideret, et nihil dierum numero deperiret. Resurrectio igitur Salvatoris nec animam in inferno, nec carnem diu morata est in sepulcro : et tam velox incorruptæ carnis vivificatio fuit, ut major ibi esset soporis similitudo, quàm mortis ; quoniam deitas, quæ ab utraque suscepti hominis substantia non recessit, quod potestate divisit, potestate conjunxit.

Cap. 3. Subsecuta sunt itaque multa documenta, quibus prædicandæ per universum mundum fidei auctoritas conderetur. Et licet revolutio lapidis, evacuatio monumenti, depositio linteorum, et totius facti Angeli narratores copiosè veritatem Dominicæ resurrectionis adstruerent, et mulierum tamen visui, et Apostolorum frequenter oculis manifestus apparuit : non solùm loquens cum eis, sed habitans atque convescens, et pertractari se diligenti curiosoque contactu ab eis, quos dubitatio perstringebat, admittens. Ideò enim et clausis ad Discipulos ostiis introibat, et flatu suo dabat Spiritum sanctum, et dato intelligentiæ lumine sanctarum Scripturarum occulta pandebat ; et rursùs idem vulnus lateris, fixuras clavorum, et omnia recentissimæ passionis signa monstrabat : ut agnosceretur in eo proprietas divinæ humanæque naturæ individua permanere ; et ita sciremus Verbum non hoc esse, quod carnem, ut unum Dei Filium et Verbum confiteremur et carnem.

Cap. 4. Non dissonat... ab hac fide magister gentium Apostolus Paulus, cùm dicit : *Etsi cognovimus secundùm carnem Christum, sed nunc jam non novimus.* (2. *Cor.* v. 16.) Resurrectio enim Domini non finis carnis, sed commutatio fuit ; nec virtutis augmento consumpta substantia est. Qualitas transiit, non natura defecit : et factum est corpus impassibile, quod potuit crucifigi ; factum est immortale, quod potuit occidi ; factum est incorruptibile, quod potuit vulnerari... Nihil in ea (carne Christi) passibile, nihil remansit infirmum, ut et ipsa sit per essentiam, et non sit ipsa per gloriam... Initium nobis factum est Resurrectionis in Christo, ex quo in eo, qui pro omnibus mortuus est, totius spei nostræ forma præcessit. Non hæsitamus diffidentiâ, nec incertâ exspectatione suspendimur, sed accepto promissionis exordio, fidei oculis, quæ sunt futura jam cernimus ; et naturæ provectione gaudentes, quod credimus jam tenemus.

Cap. 6. Agnoscat igitur populus Dei, novam se esse in Christo creaturam, et à quo suscepta sit, quemve susceperit, vigilanter intelligat. Quæ nova facta sunt, non redeant ad instabilem vetustatem ; et non omittat opus suum, qui manum misit ad aratrum ; sed ad hoc attendat, quod serit ; non ad id respiciat, quod reliquit. Nemo ad id recidat, unde surrexit, sed etiamsi pro infirmitate corporea in aliquibus adhuc languoribus jacet, sanari instanter desideret ac levari. Hæc est enim salutis via, et cœptæ in Christo resurrectionis imitatio : ut quia in lubrico istius vitæ diversi casus, lapsusque non desunt, vestigia gradientium à fluidis ad solida transferantur : quoniam, sicut scriptum est, * *A Domino gressus hominis diriguntur, et viam ejus volet. Cùm ceciderit justus, non collidetur, quia Dominus supponet manum suam.* (*Ps.* XXXVI. 23. *et* 24.) Hæc meditatio, dilectissimi, non pro sola solemnitate Paschali, sed pro totius vitæ sanctificatione retinenda est ; et ad hoc præsens exercitatio debet intendi : ut quæ animum fidelium experimento brevis observantiæ delectarunt, in consuetudinem transeant, intemerata permaneant ; ac si aliquid delicti irrepserit, celeri pœnitu-

I. Cur agitur hæc dies cum tanta solemnitate et lætitia ?

R. Quia hac die absolutum est opus nostræ redemptionis, et reconciliationis cum Deo. *Traditus est* Christus *propter delicta nostra*, inquit Apostolus, *et resurrexit propter justificationem nostram.* (*Rom.* IV. 25.) Agitur enim cum cessatione ab omni opere servili, magnaque solemnitate et lætitia festum hoc per triduum, in gratiarum actionem tanti beneficii. Olim per totam octavam cessabatur ab omni opere servili. (D) Vocatur etiamnum hoc festum *festivitas festivitatum*, *solemnitas solemnitatum*, (*Martyrol. S. Gregor. Naz.*) id est, maxima solemnitas.

dine deleatur. Et quia antiquorum morborum difficilis et tarda curatio est, tantò velociùs adhibeantur remedia, quantò recentiora sunt vulnera : ut semper ab omnibus offensionibus in integrum resurgentes, ad illum incorruptibilem glorificandæ carnis resurrectionem pervenire mereamur.

S. ISIDORUS HISPALENSIS Episcopus *Lib.* 1. *de officiis Eccles. c.* 31. Paschale sacramentum.... in veteri Testamento figuraliter primùm gestum est, quando agno occiso, Pascha celebravit populus Dei in Ægypto : (*Exod.* XII.) cujus figura in veritate completa est in Christo, qui *sicut ovis ad occisionem ductus est ;* (*Isai.* LIII. 7.) cujus sanguine illitis postibus nostris, id est, cujus signo Crucis signatis frontibus nostris, à perditione hujus seculi, tanquam à captivitate Ægyptiâ liberamur. Cujus quidem diem Paschalis resurrectionis, non solùm pro eo celebramus, quòd in eodem à mortuis resurrexit ; sed etiam pro aliis sacramentis, quæ in eo significantur. Quia enim sicut dicit Apostolus, * *Mortuus est propter peccata nostra, et resurrexit propter justificationem nostram :* (*Rom.* IV. 25.) translatus quidem de morte ad vitam, in illa passione Domini et resurrectione sacratus est. Nam et vocabulum istud quod Pascha dicitur, non Græcum sed Hebræum est ; neque enim à passione quam Græcè dicunt *pathé*, sed à transitu Hebræo verbo Pascha appellatum est : quod et maximè Evangelista expressit, cùm celebraretur à Domino Pascha cum Discipulis suis. * *Cùm vidisset*, inquit, *Jesus quia venit hora ejus ut transiret de mundo ad Patrem.* (*Joan.* XIII. 1.) Transitus ergo de hac vita mortali, in aliam vitam immortalem, hoc est de morte ad vitam, in passione Domini, et in resurrectione commendatur. Hic transitus modò à nobis agitur per fidem, quæ nobis datur in remissionem peccatorum : quando consepelimur cum Christo per baptismum, quasi à mortuis transeuntes, de pejoribus ad meliora, de corporalibus ad spiritualia, de conversatione hujus vitæ ad spem futuræ resurrectionis et gloriæ. Propter ipsum ergo initium novæ vitæ ad quem transimus, et propter ipsum novum hominem, quem jubemur induere et exuere veterem, vetus fermentum expurgantes, simus nova conspersio, quoniam *Pascha nostrum immolatus est Christus.* (1. *Cor.* V. 7.)

(D) EDM. MART. *Lib. de antiq. Eccles. discip. in div. celebr. offic. cap.* 25. n. 1. Ea est festi Dominicæ Resurrectionis prærogativa, ut teste Augustino Epistolâ 54. primam sui originem acceptam Apostolis ipsis referat ; unde et festivitas festivitatum et solemnitas solemnitatum à S. Gregorio Nazianzeno non immeritò nuncupatur. Hanc ut majori cum veneratione celebraret Ecclesia, totos septem et integros dies illius solemnitati olim consecrabat, ut probant non paucæ quæ adhuc supersunt illius leges : Concilium Matiscouense. II. can. 11. « Pascha, inquit, nostrum, in quo » summus Sacerdos et Pontifex pro nobis immolatus est, debemus omnes » festivissimè colere, et sedulæ observationis sinceritate in omnibus » venerari : ut illis sanctissimis sex diebus, nullus servile opus audeat » facere ; sed omnes simul coadunati hymnis Paschalibus indulgentes » perseverationis nostræ præsentiam quotidianis sacrificiis ostendamus, » laudantes creatorem et regeneratorem nostrum vesperè manè et meridiè. » Suffragatur Concilium Quini-sextum, in Trullo vulgò appellatum, can. 66. « A sancta Christi resurrectionis die usque ad nonam

I. Quî fit ut die Paschatis officium nocturnum brevius sit quàm in cæteris solemnitatibus ?

R. Id sequitur ex antiqua Ecclesiæ consuetudine. Olim nempe nocturnum officium, quod nunc Matutinum dicimus, post mediam noctem canebatur : porrò tunc temporis solemne Sabbati sancti officium, quod nunc manè celebratur, serò fiebat ; cumque ad mediam usque noctem vel etiam ultrà protraheretur (E) necesse fuit noctis sequentis officium contrahere.

» Dominicam totâ septimanâ in Ecclesiis vacare fideles jugiter oportet » psalmis et hymnis, et spiritualibus canticis in Christo gaudentes et » festum celebrantes, et divinarum Scripturarum lectioni mentem adhi- » bentes, et sanctis mysteriis jucundè et cautè fruentes. Sic enim cum » Christo exaltabimur, et unà resurgemus. Nequaquam ergo prædictis » diebus equorum cursus, vel aliquod publicum fiat spectaculum. » Et Concilium Moguntinum anno 813. celebratum can. 36. « Festos dies in » anno celebrare sancimus : hoc est diem Dominicum Paschæ cum omni » honore et sobrietate venerari. Simili modo totam illam hebdomadam » observari decrevimus. » Quæ verba reperiuntur in lib. 2. Capitularium Regum Francorum, n. 35. In Meldensi etiam Concilio anni 845. can. 7. hoc reperio decretum : « Dies octo sacro-sanctæ Paschatis festivitatis » omnibus Christianis festivos esse decernimus, quatenùs sanctæ resur- » rectionis laudibus et sacro-sanctæ prædicationi jugiter insistere liceat. » Quòd si quis temerare præsumpserit, excommunicetur. » His adde Concilii Ingelenheimensis anni 949. Canonem 6. *Ut paschalis hebdomada festivè tota celebretur.* Prætereo Concilium Lugdunense apud Gratianum de consecr. dist. 3. c. 1. ubi inter festivitates per anni circulum observandas recensetur *sanctum Pascha cum tota hebdomada.* Hujus antiquæ disciplinæ superest adhuc aliquod vestigium in propriis Missis, quas per totam Paschatis hebdomadam quotidie decantamus : eamque confirmare videntur Capitula selecta Theodori Cantuariensis Archiepiscopi, Spicilegii tom. 9. in quorum articulo 33. Viri ab uxoribus abstinere jubentur in prima hebdomada post Pascha.

N. 2. Idem colligere licet ex civilibus Imperatorum legibus, quibus lites et contentiones totâ hebdomadâ Paschali vacare decernunt : qualis est illa Theodosii magni, quæ est L. II. Cod. Theod. de feriis. « Sacros » quoque Paschæ dies, qui septeno vel præcedunt numero vel sequun- » tur, in eadem feriarum observatione numeramus. » Ad quam legem alludere videtur S. Augustin. Serm. 259. novæ editionis, quem habuit in die Dominico octavarum Paschatis, ubi sic loquitur : « Peracti sunt » dies feriati, succedunt jam illi conventionum, exactionum, litigio- » rum : videte quomodo in his vivatis, fratres mei.... Petimus vos ut ita » vivatis, tanquam qui Deo reddituros vos sciatis de tota vita, non de » solis istis quindecim diebus rationem. » Et Epistola Episcoporum Ponti ad Leonem Imperatorem, quæ refertur in Concilii Chalcedonensis parte 3. cap. 52. « In venerabili Paschæ tempore, quo etiam latrocinan- » tium collegia requiescunt, arma non moventur, prætoria nihil agunt, » et unum omnibus Christianis studium à rebus aliis vacantibus, Christo » per orationis puritatem in passionis et resurrectionis sacramento com- » municare. »

(E) D. Edm. Martenne *Lib. de antiq. Eccles. discipl. in divinis celebrand. offic. cap.* 25. *n.* 5. Dominica resurrectionis in antiquis mss. codicibus *Dominica sancta* simpliciter dicta, brevissimum habebat officium nocturnum, tribus constans psalmis, totidemque antiphonis, lectionibus, et responsoriis. Et sanè vix prolixius fieri permittebant præteritæ vigiliæ circa neophytos peracta officia ad mediam usque noctem producta : quibus expletis, vixque levissimâ corpori refectione concessâ, statim ad persolvendum ipsius solemnitatis Paschalis officium sese accingebant, prævio mutuæ charitatis osculo. « In vigilia resurrectionis » Domini, *inquit vulgatus Ordo Romanus*, ante mediam noctem populus » non est dimittendus de Ecclesia, juxta Canonum sanctiones. In ipsa

I. Quâ ratione agenda hæc tanta solemnitas ex mente Ecclesiæ ?

R. 1. Adorandus Christus resurgens à mortuis, cum ea lætitia et grati animi memoriâ quæ tantum beneficium deceat.

2. Cum Christo spiritualiter resurgendum. (F)

I. Quid hoc rei est, cum Christo resurgere ?

R. Hoc est sic ambulare in novitate vitæ, ut non moriamur ampliùs. *Christus* enim *resurgens ex mortuis jam non moritur : mors illi ultrà non dominabitur* (*Rom.* VI. 9.) : *ita et nos existimare debemus, nos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo.* (*Ibid.* 11.)

I. Quibus indiciis novam hanc nos vivere vitam certò comperiemus ?

R. Si mortui peccato, voluptatibus ejuratis, soli Deo vivere perseveremus.

I. Quid hoc rei est mortuum esse peccato ?

R. Hoc est abjicere non actum modò, sed et affectum peccati ; et fugere omnes peccati occasiones : uno verbo, non peccare ampliùs.

I. Quid hoc rei est Deo vivere ?

R. Hoc est adhærere uni Deo ex sincero charitatis affectu, spretis honoribus, voluptatibus, divitiis, delectationibus, commoditatibus, ornamentis superfluis, cæterisque id genus omnibus, quæ præ cupiditate ambiuntur et quæruntur. Uno verbo, quæ *sursum sunt sapere, non quæ super terram.* (*Coloss.* III. 2.) (G)

I. Quid hoc rei est quæ sursum sunt sapere ?

R. Hoc est Deum et divina sectari et diligere. Delectari rebus spiritualibus, verbi gratiâ oratione, lectionibus sacris, Divinis officiis, sacris sermonibus et colloquiis ; uno verbo iis omnibus quibus Christiana pietas nutritur et colitur. (H)

» nocte matutinâ luce rumpente tenebras, surgentes in Ecclesiam » veniunt, et mutuâ charitate se invicem osculantes dicant, *Surrexit* » *Dominus de sepulcro* ; deindè *Domine labia mea aperies.*

(F) COLOS. III. 1. Igitur, si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens. 2. Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.

(G) COLOS. III. 1. Si consurrexistis cum Christo, quæ sursùm sunt quærite... 3. Mortui enim estis, et vita vestra est abscondita cum Christo in Deo. 4. Cùm Christus apparuerit, vita vestra : tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria. 5. Mortificate ergo membra vestra, quæ sunt super terram ; fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, et avaritiam, quæ est simulacrorum servitus.

S. LEO *Serm.* 63. *de Pass. Dom.* 14. *cap.* 7. Hoc est, quo Pascha Domini *in azymis sinceritatis et veritatis* (1. *Cor.* V. 8.) legitimè celebratur : dum fermento veteris malitiæ abjecto, nova creatura de ipso Domino inebriatur et pascitur. Non enim aliud agit participatio Corporis et Sanguinis Christi, quàm ut in id quod sumimus transeamus : et in quo commortui et consepulti et conresuscitati sumus, ipsum per omnia et spiritu et carne gestemus, dicente Apostolo : (*Coloss.* III. 3. *et* 4.) *Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cùm enim Christus apparuerit, vita vestra : tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria.*

(H) S. EPIPHANIUS *in Resurrect. Christi pag.* 277. *et* 278. Hæc dies, cui

benedixit Deus, et sanctificavit ipsam, quoniam in illa ab omni suo opere cessavit; ubi tam eorum qui in terra, quàm qui sub terra sunt, salutem perfectè molitus est.... In ipsa adversariorum omnium vim ac potentiam fregit. In ipsa gentilium solemnibus, ac dæmonum celebritatibus finem adhibuit. In ipsa cruoris immolatitii.... nidorem, ac sacrificia delevit. In eadem impietatis errorem sustulit. In illa tyranni dominatum, et stimulum mortis infregit. In hac celebres sacrificiorum apparatus, et neomenias abstulit. In eadem novas creatis rebus sanctiones, ac decreta præscripsit. In hac Pascha legitimum, ac judaïcum antiquavit. In hac omne figuræ, adumbrationis, ac Prophetiæ genus implevit. Pascha nostrum; Pascha verum scilicet immolatus est Christus, et si qua in Christo nova creatura, si qua est in Christo nova fides, novæ leges, novus Dei populus: novus, inquam, non vetus Israël; novum Pascha; nova et spiritalis circumcisio: novum, incruentumque sacrificium: novum et divinum testamentum. Renovamini hodierno die; et spiritum rectum innovate in cordibus vestris, ut novi illius verique festi mysteria percipiatis.

S. August. *Serm.* 231. *in dieb. Pasch.* 2. *aliàs de temp.* 141. *cap.* 1. *n.* 2. Resurrectio autem Domini nostri Jesu Christi nova vita est credentium in Jesum; et hoc est sacramentum passionis et resurrectionis ejus, quod valdè nosse et agere debetis. Non enim sine causa vita venit ad mortem. Non sine causa fons vitæ undè bibitur ut vivatur, bibit hunc calicem qui ei non debebatur.

Cap. 2. *n.* 2. Pœna culpæ mors: Dominus Jesus Christus mori venit, peccare non venit: communicando nobiscum sine culpa pœnam, et culpam solvit et pœnam. Quam pœnam solvit? Quæ nobis debebatur post istam vitam. Ergo crucifixus est, ut in cruce ostenderet veteris hominis nostri occasum: et resurrexit, ut in sua vita ostenderet nostræ vitæ novitatem. Sic enim doctrina docet Apostolica: *traditus est*, inquit, *propter peccata nostra, et resurrexit propter justificationem nostram* (*Rom.* iv. 25.)... Sabbato Dominus jacuit in sepulcro, septima sabbati: resurrexit octavâ. Resurrectio ipsius innovat nos.

Cap. 3. *n.* 3. Audiamus Apostolum dicentem, *Si resurrexistis cum Christo.* (*Coloss.* iii. 1.) Quomodo resurgimus, qui nondum mortui sumus? Quid est ergo quod voluit dicere Apostolus, *si resurrexistis cum Christo*? Nunquid ille resurrexisset, nisi priùs mortuus fuisset? Viventibus loquebatur, nondum morientibus, et jam resurgentibus. Quid sibi vult? Videte quid dicat: *Si resurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Mortui enim estis.* (*Ibid.* 2. *et* 3.) Ipse dicit Apostolus, non ego: sed tamen veram dicit; et ideò dico et ego. Quare illud dico et ego? *Credidi propter quod locutus sum.* (*Psal.* cxv. 1.) Si benè vivimus, mortui sumus, et resurrèximus. Qui autem nondum mortuus est, nec resurrexit, malè adhuc vivit: et si malè vivit, non vivit: moriatur, ne moriatur. Quid est, moriatur, ne moriatur? Mutetur, ne damnetur.... *Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cùm Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos cum illo apparebitis in gloria.* (*Coloss.* iii. 3. *et* 4.) Hæc sunt verba Apostoli. Ei qui nondum mortuus est, dico ut moriatur: ei qui adhuc malè vivit, dico ut mutetur. Si enim malè vivebat, et jam non malè vivit, mortuus est; si benè vivit, resurrexit.

Cap. 4. *n.* 4. Sed quid est benè vivere? *Quæ sursum sunt sapere, non quæ super terram.* (*Ibid.* 2.) Quandiu terra es, et in terram vadis? (*Gen.* iii. 19.) Quandiu lingis terram? Amando terram, utique lingis terram, et efficeris ejus inimicus, de quo dicit Psalmus, * *Et inimici ejus terram lingent.* (*Psal.* lxxii. 9.) Quid eratis? Filii hominum. Quid estis? Filii Dei. *Filii hominum quò usque graves corde? ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium?* (*Psal.* iv. 3.) Quod mendacium quæritis? Dico modò. Beati esse vultis, scio. Da mihi hominem latronem, sceleratum, fornicatorem, maleficum, sacrilegum, omnibus vitiis inquinatum, omnibus flagitiis seu facinoribus obrutum, qui non velit beatè vivere. Scio, omnes vultis beatè vivere: sed undè homo beatè vivit, hoc non vultis quærere. Quæris aurum, quia putas te de auro beatum

futurum : sed aurum te non facit beatum. Quare quæritis mendacium ? Quare vis esse in isto seculo sublimatus ? Quia honore hominum et pompâ seculi putas te beatum futurum : sed pompa seculi non te facit beatum. Quare quæris mendacium ? Et quidquid hîc aliud quæris, cùm seculariter quæris, cùm amando terram quæris, cùm lingendo terram quæris; propterea quæris, ut sis beatus. Sed nulla res terrena te facit beatum. Quare non cessas quærendo mendacium ? Undè ergo eris beatus ? *Filii hominum quò usque graves corde* ? Non vultis esse graves corde, qui terrâ oneratis cor vestrum ? Quò usque fuerunt graves corde homines ? Antequam veniret Christus, antequam resurgeret Christus, fuerunt homines graves corde. *Quò usque graves corde ? ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium ?* Volentes beati esse, eas res quæritis undè miseri sitis. Fallit vos quod quæritis : mendacium est, quod quæritis.

Cap. 5. *n.* 5. Beatus vis esse ? Ostendo, si vis, undè sis beatus. Sequere ibi : *Quousque graves corde ? Ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium ?* Scitote. Quid ? *Quoniam Dominus magnificavit sanctum suum.* (*Psal.* IV. 4.) Venit Christus ad miserias nostras, esurivit, sitivit, fatigatus est, dormivit, mira fecit, mala passus est, flagellatus est, spinis coronatus est, spiritus illitus est, alapis cæsus, ligno confixus, lanceâ vulneratus, in sepulcro positus, sed tertio die resurrexit, finito labore, mortuâ morte. Ecce ibi oculum habete in ejus resurrectione : quia ita magnificavit sanctum suum, ut resuscitaret eum à mortuis, et daret ei honorem in cœlo sedendi ad dexteram suam. (*Psal.* CIX. 5.) Ostendit tibi quid debeas sapere, si vis beatus esse : hîc enim esse non potes. In hac vita beatus esse non potes : nemo potest. Bonam rem quæris, sed terra ista non est regio ejus rei quam quæris. Quid quæris ? Beatam vitam. Sed non est hîc.... Si habuit hîc illud Christus, habebis et tu.... Malum tuum tulit, et bonum suum non dabit ? Utique dabit. Vitam suam promisit nobis : sed incredibilius est quod fecit. Mortem suam prærogavit nobis : tanquam diceret :.... Non vultis credere, quia dabo vobis vitam meam ? tenete pignus mortem meam. Modò ergo cùm in ista carne corruptibili vivimus, morum mutatione cum Christo moriamur, amore justitiæ cum Christo vivamus : beatam vitam non accepturi, nisi cùm ad illum venerimus, qui venit ad nos, et cum illo esse cœperimus, qui mortuus est pro nobis.

Serm. 232. *in dieb. Paschalib.* 3. *aliàs de temp.* 144. *cap.* 2. *n.* 2. Audivimus infidelitatem Discipulorum : ut intelligamus quantum ejus beneficiis nobis præstitum est, ut quod non vidimus, sic credamus. Vocavit eos, instruxit eos, vixit cum eis in terra, fecit ante eorum oculos tanta mirabilia usque ad mortuos suscitandos. Mortuos resuscitavit, carnem suam posse resuscitare non credebatur. Venerunt mulieres ad monumentum : corpus in monumento non invenerunt ; resurrexisse Dominum ab Angelis audierunt : feminæ viris nuntiaverunt. Et quid scriptum est ? quid audistis ? *Visa sunt ista ante oculos eorum quasi deliramenta.* (*Luc.* XXIV. 11.) Magna infelicitas conditionis humanæ. Quando loquta est Eva quod dixerat serpens, audita est citò. (*Gen.* III. 6.) Mulieri mentienti creditum est, ut moreremur : non est creditum feminis vera dicentibus, ut viveremus.

Cap. 5. *n.* 5. Sed ecce jam dixerat Dominus moriturum se, et resurrecturum tertiâ die. Factum est quod prædixerat, et non credebant qui audierant. * *Ecce jam triduum est, ex quo ista facta sunt ; et nos putabamus quia ipse esset redempturus Israël.* (*Luc.* XXIV. 21.) Sperabatis, jam desperatis ? de spe cecidistis ? Levat vos qui vobiscum ambulat.

Cap. 7. *n.* 7. Ambulabat cum illis, suscipitur hospitio, panem frangit, et cognoscitur. Et nos non dicamus quia Christum non cognovimus : novimus, si credimus : parum est, novimus si credimus : habemus si credimus.

Serm. 236. *in diebus Paschal.* 7. *aliàs de divers.* 88. *cap.* 1. *n.* 1. Dominus noster Jesus Christus, sicut Apostolus dicit, * *mortuus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram.* (*Rom.* IV. 25.) Sicut morte ipsius seminamur, sic resurrectione ipsius germinamus. Etenim morte ipsius significatur mors vitæ nostræ. De hac re audi Apostolum : * *Consepulti*, inquit, *sumus Christo per baptismum in mortem, ut quem-*

admodum Christus resurrexit à mortuis, sic et nos in novitate vitæ ambulemus. (*Rom.* VI. 4.) Ille non habuit quod emendaret in cruce: quia sine peccato ascendit in crucem. Nos in cruce ejus emendemur, et ibi ponamus quod malè contraximus, ut justificari ejus resurrectione possimus. Distinguere enim ita debetis: *Traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram.* Non dixit, Traditus est propter justificationem nostram, et resurrexit propter delicta nostra. In ejus traditione delictum sonat, in ejus resurrectione justitia sonat. Ergo moriatur delictum, et resurgat justitia.

Serm. 240. *in dieb. Paschal.* 11. *aliàs de temp.* 139. *cap.* 3. *n.* 3. Cùm essemus in pœnis, ad quas venimus de peccatis, Dominus noster Jesus Christus voluit esse in pœnis nostris sine peccatis suis. Sustinendo sine culpa pœnam, et culpam solvit et pœnam. Culpam solvit, peccata donando: pœnam solvit, à mortuis resurgendo. Hoc promisit, et nos in spe ambulare voluit: perseveremus, et ad rem perveniemus.

Serm. 241. *in dieb. Paschal.* 12. *aliàs de temp.* 143. *cap.* 1. *n.* 1. Propria fides est Christianorum, resurrectio mortuorum. Hanc in se ipso, id est, resurrectionem mortuorum, caput nostrum Christus offendit, et exemplum fidei nobis præstitit; ut hoc sperent membra in se, quod præcessit in capite.

Serm. 242. *in dieb. Paschal.* 13. *aliàs de temp.* 147. *cap.* 1. *n.* 1. Hæc enim fides est nostra, hoc donum in Domini nostri Jesu Christi nobis carne promissum est, et in ipso præcessit exemplum. Voluit enim nobis quod promisit in fine, non solùm prænuntiare, sed etiam demonstrare. Illi quidem qui tunc fuerunt cum illo, viderunt; et cùm expavescerent, et spiritum se videre crederent, soliditatem corporis tenuerunt. Locutus est enim non solùm verbis ad aures eorum, sed etiam specie ad oculos eorum: parumque erat se præbere cernendum, nisi etiam offerret pertractandum atque palpandum.... In homine carnali tota regula intelligendi est consuetudo cernendi. Quod solent videre credunt: quod non solent, non credunt. Præter consuetudinem facit Deus miracula, quia Deus est. Majora quidem miracula sunt, tot quotidie homines nasci qui non erant, quàm paucos resurrexisse qui erant: et tamen ista miracula non consideratione comprehensa sunt, sed assiduitate viluerunt. Resurrexit Christus, absoluta res est. Corpus erat, caro erat, pependit in cruce, emisit animam, posita est in sepulcro. Exhibuit illam vivam, qui vivebat in illa. Quare miramur? Quare non credimus? Deus est qui fecit: considera auctorem, et tolle dubitationem.

Serm. 243. *in dieb. Pasch.* 14. *aliàs de divers.* 6. *cap.* 3. *n.* 3. Adhibuit ergo Dominus Jesus speciem corporis sui humanis sensibus, ad confirmandum carnis resurrectionem. Nihil nos aliud docere voluit, ostendendo se vivum in corpore post resurrectionem suam, nisi ut credatur à nobis resurrectio mortuorum.

S. Joan. Chrysost. *de resurrectione Christi*, *Serm.* 34. *de divers. N. T. locis.* Duplex in nobis mors est; quapropter et duplicem fieri in nobis resurrectionem oportet. In Christo simplex mors fuit, non enim Christus peccavit: sed ipsa mors simplex propter nos est suscepta: non enim mortem debuit ille, neque enim reus erat peccati, quocirca nec mortis. Propterea ille quidem resurrectione simplici à morte resurrexit: nos autem, qui duplici morte mortui sumus, duplici quoque resurrectione resurgimus. Unà quidem antea resurreximus, quæ est à peccato: consepulti enim sumus ipsi in baptismo et consurreximus cum ipso per baptismum. Una hæc resurrectio est liberatio à peccatis; altera verò resurrectio est corporis. Dedit majorem: expecta etiam minorem: hæc enim multò major est illà: multò enim majus est à peccatis liberari, quàm corpus resurgens intueri. Propterea cecidit corpus, quia peccavit: si igitur principium cadendi est peccatum, principium resurgendi est à peccato liberari: resurreximus deinceps resurrectione majori, abjectà gravi morte peccati, et veteri exutà veste: ne igitur de minori desperemus. Hàc et nos olim resurrectione resurreximus quando baptizati fuimus.

Serm. 1. *triduanam resurrect. Domini*, *tom.* 6. Dominus resurrexit à mortuis, et cum ipso turba multa sanctorum. Festum itaque diem

agamus jucundè simul ac modestè : *hæc* enim verè *dies est*, *quam fecit Dominus ;* (*Ps.* CXVII. 24.) Exsultemus et lætemur in ea. Prædicemus Salvatoris resurrectionem, vel salutem potiùs nostram proclamemus. Porrò sanctæ nobis festivitatis ac celebritatis auctor Christus est, qui et omnium bonorum nobis est conciliator.

Serm. in sanctum Pascha, tom. 6. *pag.* 642. Vetus testamentum, transitum ex hac vita, hoc est, mortem, crebrò admodùm infernum appellat. At quia Christus Dominus noster, semetipsum nostri causà in sacrificium obtulit, et ex mortuis denuò resurrexit, suaque resurrectione viam nobis ad resurrectionem munivit, pro sua clementia, ipsa etiam inferni et mortis nomina sustulit ; novamque, et quodammodo extraneam politiam in vitam induxit. Emigrationem namque ex mortali hac vita, dormitionem, vel sommum potiùs quàm mortem appellandam existimavit.... (Hinc) B. Paulus : *Deus eos, qui dormierunt per Jesum, adducet cum eo.* (1. *Thess.* IV. 13.) Vides hanc mortem dormitionis vocabulo passim exprimi, illamque, quæ ante crucem formidabilem vultum præ se ferebat, nunc post resurrectionem facilè contemni? Vides hinc æquè præclarum resurrectionis trophæum? Per hanc enim innumera nobis bona obtigerunt. Propter hanc, mortem despicatui habemus, et propter hanc, præsentem vitam flocci facimus. Propter hanc, mentis desiderio in futura bona ferimur. Propter hanc, corpus induti, siquidem studium adhibere voluerimus, tantum consequimur, quantum incorporei spiritus. Hodie nobile illud communis victoriæ nostræ festum celebramus. Hodie namque Dominus noster Jesus Christus, illustri trophæo adversùs mortem erecto, tyrannideque diaboli per resurrectionem calcatà planèque eversà, ad salutem viam nobis aperuit. Omnes proindè gaudeamus, et exsultemus, chorosque et festum diem agitemus : nam etsi Dominus noster solus vicerit, trophæumque erexerit, lætitia nihilominus, et gaudium sunt nobis cum illo communia : siquidem omnia propter nos nostramque salutem operatus est.... *Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes ejus?* (*Psal.* CV. 2.) Per mortem facti sumus immortales : per casum surreximus, post cladem victores evasimus. Hæc crucis sunt stratagemata : hæc evidentissima resurrectionis indicia.... Hodie Christus humanam naturam à tyrannide diaboli liberatam, in pristinæ dignitatis nobilitatisque locum denuò restituit. Etenim cùm naturæ meæ primitias, morte tot partibus superiorem evasisse considero, vim illius ampliùs non metuo, hostis impetum ampliùs non expavesco, infirmitatem meam ampliùs non specto. Specto autem immensam illam virtutem, quæ ut opem ferat præstò est. Quid enim mortis tyrannidem debellavit, omnemque illius vim fregit? Quid in posterum pro cognato genere non est effecturus, qui formam nostram, pro sua ingenti clementia, assumere non dubitavit, perque illam contra diabolum in arenam descendit? Quid nostri causà post hæc non præstabit ?... Celebremus igitur festum hoc, in quo Dominus surrexit. Surrexit enim, et terrarum orbem secum pariter exsuscitavit. Et ille quidem surrexit, mortis vinculis disruptis : nos autem exsuscitavit peccatorum nostrorum catenis dissolutis. Peccavit Adam, et mortuus est. Christus non peccavit, et mortem subiit.... Cujus autem rei causà, et propter quod illud? Nimirùm ut is, qui peccarat, et mortuus fuerat, per ejus qui non peccarat, mortem, à mortis vinculis liber evaderet.... Discis hinc illustrem, planèque egregium Dominicæ resurrectionis fructum. Discis insignem Domini clementiam, et beniguitatem : discis curæ et providentiæ ejusdem magnitudinem. Ne igitur tanto benefactori ingrati simus, neque decurso jam jam, absolutoque jejuniorum stadio, solito negligentiùs nos geramus. Quin potiùs majorem nunc, quàm antea unquam animæ curam, et sollicitudinem impendere studeamus, ne carne fortè saginatà impinguatàque, spiritus infirmior evadat : aut ne ancillà lautiùs accuratiùsque curatà, domina ipsa in contemptum veniat.

S. LEO *Serm.* 69. *de Resurrect. Dom.* 1. *cap.* 5. Non ergo nos rerum temporalium occupent species, nec ad se contemplationem nostram à cœlestibus terrena deflectant. Pro transactis habeantur quæ ex maxima parte jam non sunt : et mens intenta mansuris, ibi desiderium suum

figat, ubi quod offertur æternum est. Quamvis enim *spe salvi facti simus* (*Rom.* VIII. 24.) et corruptibilem adhuc carnem mortalemque gestemus; rectè tamen dicimus in carne non esse, si carnales nobis non dominentur affectus : et meritò hujus rei deponimus nuncupationem, cujus non sequimur voluntatem. Cùm itaque Apostolus dicat : *Carnis curam ne feceritis in desideriis*, (*Rom.* XIII. 14.) non ea nobis interdicta intelligimus, quæ saluti congruunt, et quæ humana poscit infirmitas. Sed quia non omnibus desideriis serviendum, nec quidquid caro concupiscit implendum est, de adhibendo temperantiæ modo admonitos nos esse cognoscimus : ut carni quæ sub animi est constituta judicio, nec superflua concedamus, nec necessaria denegemus. Undè idem Apostolus alibi ait : *Nemo enim nunquam carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam* (*Ephes.* V. 29.), cùm utique non ad vitia, non ad luxuriam, sed ad debitum fit alenda et fovenda famulatum : ut teneat ordinem suum renovata natura, nec perversè ac turpiter superioribus inferiora prævaleant, aut inferioribus superiora succumbant, et vitiis animum superantibus ibi fiat servitus, ubi debet esse dominatus.

Serm. 70. *de Resurrect. Dom.* 2. *cap.* 2. Infirmitas sanè atque mortalitas, quæ non peccatum erant, sed pœna peccati, à Redemptore mundi recepta sunt ad supplicium, ut impenderentur ad pretium.... Præbuit enim se crudelissimo exactori liber à debito, et ministras diaboli Judaïcas manus in cruciatum immaculatæ carnis admisit. Quam ideò usque ad Resurrectionem voluit esse mortalem, ut credentibus in eum, nec persecutio inseparabilis, nec mors posset esse terribilis : cùm ita dubitandum non esset de consortio gloriæ, sicut dubitandum non erat de communione naturæ.

Cap. 3. Si incunctanter itaque, dilectissimi, credimus corde, quod ore profitemur, nos in Christo crucifixi, nos sumus mortui, nos sepulti, nos etiam in ipso de tertio suscitati. Undè Apostolus dicit : *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens : quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cùm enim Christus apparuerit, vita vestra; tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria.* (*Coloss.* III. 1. *et seq.*) Ut autem noverint corda fidelium habere se undè ad supernam sapientiam, spretis mundi cupiditatibus, valeant elevari, spondet nobis Dominus præsentiam suam, dicens : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi...* (*Matth.* XXVIII. 20.) Implet ergo Jesus proprietatem nominis sui : et qui ascendit in cœlos, non deserit adoptatos : qui sedet ad dexteram Patris, ipse tolius habitator est corporis : et ipse deorsum confortat ad patientiam, qui sursum invitat ad gloriam.

Cap. 4. Non inter vana igitur nobis desipiendum est, nec inter adversa trepidandum. Ibi quidem blandiuntur deceptiones, et hic gravescunt labores. Sed quia *misericordiâ Domini plena est terra*, (*Psal.* XXXII. 5.) adest nobis Christi ubique victoria, ut impleatur quod ait : " *Nolite timere, quia ego vici mundum.* (*Joan.* XVI. 33.) Sive ergo contra ambitionem seculi, sive contra concupiscentias carnis, sive contra Hæreticorum jacula dimicemus, Dominicâ cruce semper armemur. Nec enim unquam à Paschali festo recedimus, si à fermento malitiæ veteris, veritatis sinceritate abstinemus. Inter omnes namque vitæ hujus varietates, quæ diversarum plenæ sunt passionum, Apostolicæ exhortationis meminisse debemus, qua nos instruit, dicens : *Hoc sentite in vobis, quod et in Christo Jesu.* (*Philip.* II. 5.)

Cap. 5. Imitamini quod operatus est, diligite quod dilexit, et invenietis in vobis Dei gratiam. Vestram in illo redamate naturam :.... Et ut cœlestia apprehendatis, terrena despicite.

S. BERNARD. *de Resurrect. Domini serm.* 1. *n.* 12. *Epulemur in azymis sinceritatis et veritatis, etenim Pascha nostrum immolatus est Christus.* (1. *Cor.* V. 7. *et* 8.) Amplectamur commendatas nobis in cruce virtutes, humilitatem, patientiam, obedientiam, et charitatem.

N. 13. In hac quoque tam præcipua solemnitate quid commendetur nobis, sedulâ cogitatione pensemus. Nempe resurrectio, transitus et transmigratio. Christus enim, fratres, non recidit hodie, sed resurrexit...

I. Cur stantes oramus tempore Paschali ?

R. Hoc fit in signum lætitiæ, et ad designandam vel ipso corporis habitu Christi resurrectionem. (1)

Propterea siquidem quòd mortuus est peccato, mortuus est semel : quia quòd jam vivit, vivit non carni, sed Deo.

N. 14. Quid nos dicimus qui sacram Domini Resurrectionem Paschæ privamus nomine, ut sit nobis in reditum magis quàm in transitum? Luximus his diebus, compunctioni et orationi, gravitati et abstinentiæ dediti ; cæterorum negligentias temporum sacro hoc quadragenario redimere et diluere cupientes. Communicavimus passionibus Christi : complantati ei denuò sumus per baptismum quemdam lacrymarum, pœnitentiæ, confessionis. Si ergo mortui sumus peccato, quomodo vivemus adhuc in illo ? si negligentias planximus, quid causæ est ut recidamus nunc in easdem ? Inveniemur nunc iterùm curiosi ut antè, verbosi ut antè, pigri et negligentes ut antè, vani, suspiciosi, detractores, iracundi, cæterisque impliciti vitiis quæ tam anxiè deploravimus his diebus. " *Lavi pedes meos : quomodo iterùm inquinabo eos ? Exui me tunicam meam : quomodo induam eam* (*Cant.* v. 3.) ? Non est transmigratio hæc, Fratres : non sic videbitur Christus, non hoc *iter quo ostendat nobis Deus salutare suum.* (*Ps.* XLIX. 23.) Denique qui retrò respicit, indignus est regno Dei. (*Luc.* IX. 62.)

N. 15. Proh dolor, peccandi tempus, terminus recidendi facta est resurrectio Salvatoris ! Ex hoc nempe comessationes et ebrietates redeunt, cubilia et impudicitiæ repetuntur : et laxantur concupiscentiis fræna : quasi ad hoc surrexerit Christus, et non magis propter justificationem nostram. Sic honoratis miseri Christum quem suscepistis ? Venturo parastis hospitium confitentes peccata cum gemitu, castigantes corpora, eleemosynas impendentes : et ecce susceptum proditis inimicis, imò exire compellitis, priores nequitias admittendo. Neque enim cohabitatio esse potest lucis ad tenebras ? Christi, cum superbia, cum avaritia, cum ambitione, cum fraterno odio, cum luxuria, cum fornicatione. Quid enim minus præsenti debetur, quàm venturo ? Quid minus reverentiæ Resurrectionis tempus exigit, quàm Passionis ? Sed vos ut manifestum est neutram honoratis. Nam si compateremini, et conregnaretis : si commoreremini, et conresurgeritis.

N. 16. Nunc autem ex sola consuetudine temporis et simulatione quàdam humiliatio illa processit, quam non sequitur exsultatio spiritualis... Ipsum audite dicentem : *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* (*Joan.* VI. 54.) Si indignè suscipitis, judicium vobis manducatis, Sanctum Domini non dijudicantes. Redite ergo prævaricatores ad cor, et in toto corde quærite Dominum, et odite malum : pœnitentes non verbo tantùm et linguâ, sed spiritu et veritate.

N. 17. Utinam autem vēl nos jam sanctificati, et penitùs alieni ab hac misera et sacrilega consuetudine inveniamur, nec quidquam in nobis pereat, aut minuatur de exercitio spirituali sacræ resurrectionis adventu : sed transire magis et excrescere studeamus. Quicunque enim post lamenta pœnitentiæ non ad carnales redit consolationes, sed in fiduciam Divinæ miserationis excedit, ingreditur novam quamdam devotionem, et gaudium in Spiritu sancto : nec tam compungitur præteritorum recordatione peccatorum, quàm delectatur memoriâ, et inflammatur æternorum desiderio præmiorum ; is planè est qui cum Christo resurgit, qui Pascha celebrat, qui festinat in Galilæam. Vos ergo, charissimi, *si consurrexistis cum Christo : quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens : quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram : ut quemadmodum Christus resurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita et vos in novitate vitæ ambuletis.* (*Coloss.* III. 1.) ut à seculari lætitia, et consolatione mundi per compunctionem, et tristitiam quæ secundùm Deum est, ad devotionem sanctam et spiritualem vos transire gaudeatis exsultationem.

(1) CONC. NICÆNUM I. *Canon.* 20. *ann.* 325. Quoniam sunt, in die Dominica, quidam ad orationem genua flectentes, et in diebus Pentecostes ;

§. 13. De festo Ascensionis Christi.

I. Quandonam celebrat Ecclesia festum Ascensionis Christi ?

R. Quadragesimâ die post festum Paschatis ; quia Christus ascendit in cœlum quadragesimâ post resurrectionem die. (A)

propterea itaque statutum est à sancta Synodo, quoniam consona et convenienus per omnes Ecclesias custodienda consuetudo est, ut stantes ad orationem vota Domino reddamus.

S. Aug. *Epist.* 55. *aliàs* 119. *seu lib.* 2. *ad inquis. Januar. cap.* 15. *n.* 28. Stantes oramus, quod est signum resurrectionis.

S. Epiphan. *in Exposit. fidei Cathol. n.* 22. Jejunium toto anno.... observatur quartâ sextâque feriâ ad horam usque nonam, exceptis quinquaginta Pentecostes diebus ; quibus neque genua flectuntur, neque jejunium indicitur.

(A) M. de Tillemont, *art.* 24. *sur J. C. tom.* 1. *Hist. Eccles.* L'Evangile marque encore plusieurs autres instructions que Jésus-Christ donna à ses Apôtres après sa Résurrection, soit dans la grande apparition sur la montagne de Galilée, comme saint Matthieu donne lieu de le croire, de ce qu'il en rapporte, soit en d'autres occasions. Mais ce fut sans doute dans sa dernière apparition, qu'il leur ordonna de ne point sortir de Jérusalem, où il les avait ramenés, jusqu'à ce qu'ils eussent été fortifiés par la vertu du Saint-Esprit, qui viendrait sur eux dans peu de jours. Il mangea encore avec eux dans cette derniere apparition, et les mena ensuite hors de la Ville jusqu'à Béthanie, et à la montagne des Oliviers à une petite demi-lieue de Jérusalem : et là lorsqu'il étendait les mains sur eux pour les bénir, il s'éleva dans le Ciel à leur vue, pour y être assis à la droite de son Père dans l'égalité de sa gloire, et y être en même temps notre Avocat, notre Pontife, et notre Médiateur, jusqu'à ce qu'à ce qu'il en descende au dernier jour en la même manière qu'il y est monté, pour rendre à chacun la récompense ou la peine due à ses œuvres.

Eusèbe dit qu'à l'endroit où il monta au Ciel, qui était le plus haut de la montagne des Oliviers, il y avait une caverne, où on tenait pour une tradition fort assurée, que le Sauveur avait fait entrer ses Disciples dans la participation de ses Mystères les plus secrets, et il peut y avoir voulu joindre le repas sacré de l'ame à celui du corps.

L'Auteur du Traité sur les lieux marqués dans les Actes, que Scaliger et Erasme approuvent extrêmement, quoiqu'il y ait quelque difficulté à croire qu'il soit de saint Jérôme, au moins tout entier : cet Auteur, dis-je, assure que Jésus-Christ en montant au Ciel avait laissé les vestiges de ses pieds imprimés sur la terre, et qu'ils y étaient toujours demeurés depuis, quoique les Fidèles emportassent tous les jours la terre de cet endroit, pour la conserver par dévotion. Saint Sulpice Sévère dit la même chose, et saint Paulin l'atteste aussi assez clairement. Saint Optat marque comme deux choses différentes, que les vestiges sacrés du Sauveur sont imprimés dans l'Orient, et que ses pieds adorables y ont marché. Saint Augustin assure que l'on allait en Judée adorer les vestiges de Jésus-Christ qui étaient au lieu d'où il est monté au Ciel.

Ce que ces Saints disent du IV. et V. siècle, Bède le dit du VIII, où il vivait. Casaubon juge ce miracle si bien attesté, qu'il l'appelle une merveille très-digne de foi : Et cette merveille est d'autant plus grande, que durant le siége de Jérusalem une partie de l'armée Romaine fut long-temps campée sur la montagne des Oliviers. Ainsi Dieu a accompli à la lettre ce qu'il avait dit par un Prophète : Ses pieds demeureront un jour sur la montagne des Oliviers. (*Zach.* XIV. 4.)

A ce miracle on en ajoute un autre, qui est que l'Impératrice Hélène ayant fait bâtir la magnifique Eglise de l'Ascension, au milieu de laquelle est cet endroit, lorsqu'on le voulut paver comme le reste, et couvrir de marbre, on ne le put jamais, tout ce que l'on y mettait pour

(Hìc legesis quæ jam diximus primâ Parte hujus Operis de Christi Ascensione et doctibus.) (*Sect.* 2. *Cap.* 1. §. 22. 26.)

I. Quâ ratione agendum est festum Ascensionis ex mente Ecclesiæ ?

R. 1. Adorandus Christus in cœlo ut Mediator, Advocatus, Pontifex noster. (B)

2. Habenda sursum corda et à terrenis affectibus aliena. Suspiciendum cœlum ut patria, quò Christus præcursor pro nobis introivit hâc die, ad parandum nobis locum. Terra habenda pro loco exilii et peregrinationis. (C)

3. Exemplo Apostolorum, ab hac die ad festum usque

l'orner quittant aussitôt : de sorte qu'il fallut le laisser en l'état où il était auparavant, et on assure qu'on le voit encore aujourd'hui de la même sorte.

On tient aussi qu'on ne put fermer la voute qui répondait sur cet endroit, ainsi on laissa libre et découvert l'espace par lequel le Sauveur était monté dans le Ciel, ou même selon Bède, tout cet endroit qui faisait le corps et le milieu de l'Eglise.

Saint Augustin a cru que Jésus-Christ avait sanctifié l'heure de midi en montant au Ciel. Ce fut comme nous croyons le Jeudi 14 de Mai, 40 jours après sa Résurrection. Toute l'Eglise en célébrait la fête au commencement du v. Siècle, comme aujourd'hui, le quarantième jour après celle de Pâque : et saint Augustin l'appelle quelquefois la fête du *Quarantième*. La solemnité en était si universelle, que ne se trouvant point avoir été ordonnée par aucun Concile œcuménique, il faut croire qu'elle est venue de la Tradition même des Apôtres. Le Livre des Constitutions ordonne qu'on la fera le Jeudi. Les Chrétiens de la Cappadoce l'appelaient le jour du salut. On la célébrait à Jérusalem au VIII. Siècle avec un grand nombre de luminaires, qui brûlaient toute la nuit dans l'Eglise de l'Ascension, en sorte qu'il semblait que toute la montagne des Oliviers fût en feu. Bède qui rapporte ceci, ajoute, qu'en cette fête il venait toujours un si grand vent après la Messe, qu'il renversait par terre tous ceux qui étaient dans l'Eglise.

Note 42. *sur Jésus-Christ, tom.* 1. *Hist. Eccles.* Saint Chrysostôme croit que Jésus-Christ monta au Ciel le Samedi. Il reconnait néanmoins lui-même que la raison de sa conjecture n'est pas tout-à-fait forte : et puisque cela se fit 40 jours après que Jésus-Christ fut ressuscité, il faut dire que c'était le Jeudi, auquel l'Eglise en célèbre toujours la fête, comme cela est même marqué dans les Constitutions Apostoliques.

(B) HEBR. IX. 15. Et ideò novi Testamenti mediator est, ut morte intercedente, in redemptione earum prævaricationum, quæ erant sub priori Testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt æternæ hæreditatis.... 24. Non enim in manufacta sancta Jesus introivit, exemplaria verorum : sed in ipsum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis.

1. JOAN. II. 1. Filioli mei, hæc scribo vobis, ut non peccetis. Sed et si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum. 2. Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris : non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi.

(C) HEBR. VI. 20. Ubi præcursor pro nobis introivit Jesus, secundùm ordinem Melchisedech Pontifex factus in æternum.

XI. 13. Juxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed à longè eas adspicientes, et salutantes, et confitentes quia peregrini et hospites sunt super terram.

1. PETRI. II. 11. Charissimi, obsecro vos tanquam advenas et peregrinos abstinere vos à carnalibus desideriis, quæ militant adversùs animam.

COLOSS. III. 1. Igitur, si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens : Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.

Pentecostes abstinendum à frequentiori hominum consortio, paulisper secedendum, ut vacemus liberiùs orationi, sacris lectionibus meditationibus; atque ita servantes unitatem spiritûs in vinculo pacis, præstolemur cum silentio donum Spiritûs sancti. (D)

(D) Act. I. 1. Primùm quidem sermonem feci de omnibus, ô Theophile, quæ cœpit Jesus facere, et docere.... 13. Et cùm introissent in cœnaculum, ascenderunt ubi manebant Petrus, et Joannes, Jacobus, et Andreas, Philippus, et Thomas, Bartholomæus, et Matthæus, Jacobus Alphæi, et Simon Zelotes, et Judas Jacobi. 14. Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, et Maria matre Jesu, et fratribus ejus.

S. Aug. *Serm.* 261. *in die Ascensionis Domini* 1. *aliàs de diversis* 12. *c.* 1. *n.* 1. Resurrectio Domini, spes nostra: Ascensio Domini, glorificatio nostra. Ascensionis enim hodie solemnia celebramus. Si ergo rectè, si fideliter, si devotè, si sanctè, si piè Ascensionem Domini celebramus, ascendamus cum illo, et sursùm cor habeamus. Ascendentes autem non extollamur, nec de nostris quasi propriis meritis præsumamus. Sursùm enim cor habere debemus, sed ad Dominum. Sursùm enim cor non ad Dominum, superbia vocatur: sursùm autem cor ad Dominum refugium vocatur. Illi enim dicimus qui ascendit, *Domine, refugium factus es nobis.* (*Ps.* lxxxix. 1.) Resurrexit enim ut spem nobis daret.... Descendit, ut sanaret te: ascendit, ut levaret te.

Serm. 262. *in die Ascensionis* 2. *aliàs de diversis* 13. *c.* 1. *n.* 1. Dominus Jesus, Patris unigenitus, et gignenti cæternus, pariter invisibilis, pariter immutabilis, pariter omnipotens, pariter Deus; propter nos, ut nostis, et accepistis, et tenetis, factus est homo, formâ assumptâ humanâ, non amissâ divinâ: potens occultus, infirmus manifestus; sicut nostis, natus est, ut renasceremur; mortuus est, ne nos in æternum moreremur. Ille continuò, id est, die tertio resurrexit: nobis resurrectionem carnis in fine promisit. Exhibuit se Discipulorum oculis videndum, manibusque tractandum; persuadens quod factus erat, non auferens quod semper erat. Conversatus est cum eis diebus quadraginta, sicut audistis, intrans et exiens, manducans et bibens non jam indigentiâ, sed totum potentiâ: et manifestans eis carnis veritatem, in cruce infirmitatem, à sepulcro immortalitatem.

Cap. 3. *n.* 3. Hodierno ergo die, hoc est, quadragesimo post resurrectionem suam, Dominus ascendit in cœlum. Non vidimus, sed credamus. Qui viderunt prædicaverunt, et orbem terrarum impleverunt:.... Ecce celebratur hodiernus dies toto orbe terrarum.

Cap. 4. *n.* 4. *Exaltare super cœlos Deus.* (*Psal.* lvi. 12.) Exaltare tu: tu qui fuisti in ventre matris inclusus; tu qui in illa factus es, quam fecisti; tu qui in præsepi jacuisti; tu qui ubera tanquam parvulus in vena carnis suxisti; tu qui portans mundum, portabaris à matre: tu quem Simeon senex parvulum agnovit, magnumque laudavit: tu quem vidua Anna vidit sugentem, et cognovit omnipotentem: tu qui esuristi propter nos, sitisti propter nos, fatigatus es in via propter nos. (Nunquid esurit panis, aut sitit fons, aut fatigatur via)?.... Tu quem vendidit Judas, quem Judæi emerunt, et non possederunt: tu apprehense, ligate, flagellate, spinis coronate, in ligno suspense, lanceâ percusse, tu mortue, tu sepulte, *exaltare super cœlos Deus.*

Cap. 5. Sede in cœlo, qui pependisti in ligno. Judex exspectaris venturus, qui exspectatus es judicatus.

Serm. 263. *de Ascensione Domini* 3. *aliàs de temp.* 174. *et de divers.* 90. *cap.* 1. *n.* 1. Glorificatio Domini nostri Jesu Christi resurgendo et ascendendo completa est. Resurrectionem ipsius Paschæ Dominico celebravimus: Ascensionem hodie celebramus. Festus nobis dies uterque. Ideò enim resurrexit, ut nobis exemplum resurrectionis ostenderet: et ideò ascendit, ut nos desuper protegeret. Habemus ergo Dominum et Salvatorem nostrum Jesum Christum priùs pendentem in ligno, nunc sedentem in cœlo. Pretium nostrum dedit, cùm penderet in ligno: colligit quod

nit, cùm sedet in cœlo. Cùm enim omnes collegerit, quos utique per tempora colliget, in fine temporis veniet, et quomodo scriptum est, *Deus manifestus veniet:* (*Ps.* XLIX. 3.) non quemadmodum primitùs venit occultus, sed sicut dictum est, manifestus. Occultum enim oportebat eum venire, ut judicaretur: manifestus autem veniet, ut judicet. Si enim priùs manifestus venisset, judicare manifestum quis auderet? quandoquidem dicit Apostolus Paulus, *si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* (1. *Cor.* II. 8.) Sed si ille non occideretur, nos non moreretur. Trophæo suo diabolus victus est. Exsultavit enim diabolus, quando primum hominem seducendo dejecit in mortem. Seducendo primum hominem, occidit: occidendo novissimum, primum de laqueis perdidit. Facta est ergo victoria Domini nostri Jesu Christi, cùm resurrexit et ascendit in cœlum: et impletum est, quod audistis, cum Apocalypsis legeretur, *vicit leo de tribu Juda.* (*Apoc.* V. 5.)

N. 2. Hodie.... Dominus noster Jesus Christus ascendit in cœlum: ascendat cum illo et cor nostrum. Audiamus Apostolum dicentem, *si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* (*Col.* III. 1. 2.) Sicut enim ille ascendit, nec recessit à nobis: sic et nos cum illo ibi jam sumus, quamvis nondum in corpore nostro factum sit, quod promittitur nobis. Ille jam exaltatus est super cœlos. Neque enim propterea nobis desperanda est perfecta et Angelica cœlestis habitatio, quia dixit, *nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est in cœlo.* (*Joan.* III. 13.) Sed hoc dictum est propter unitatem, quâ caput nostrum est, et nos corpus ejus. Cùm ascendit in cœlum, nos ab illo non separamur. Qui de cœlo descendit, non nobis invidet cœlum: sed quodam modo clamat, Membra mea estote, si ascendere vultis in cœlum. In hoc ergo ipsi interim roboremur, in hoc votis omnibus æstuemus. Hoc meditemur in terris, quod computamur in cœlis. Tunc exuturi carnem mortalitatis, nunc exuamus animi vetustatem. Facilè corpus levabitur in alta cœlorum, si non premat spiritum sarcina peccatorum.

Serm. 264. *De Ascensione Domini* 4. *Ed. BB. n.* 2. Ad eorum (*Discipulorum*) confirmationem dignatus est post resurrectionem vivere cum illis quadraginta diebus integris, ab ipso die passionis suæ usque in hodiernum diem, intrans et exiens, manducans et bibens, sicut dicit Scriptura: confirmans hoc redditum esse oculis eorum post resurrectionem, quod ablatum erat per crucem. Verumtamen non illos voluit in carne remanere, nec carnali dilectione diutiùs retinere..... Oportebat autem ut erigerentur aliquantùm, et jam inciperent eum spiritaliter cogitare, tanquam Verbum Patris, Deum apud Deum, per quem facta sunt omnia: et non eos sinebat caro, quam videbant. Proderat ergo illis confirmari in fide per conversationem ejus secum quadraginta diebus: sed plus proderat eis, ut se ab oculis eorum subtraheret; et qui in terra tanquam frater conversatus fuerat, de cœlo tanquam Dominus subveniret; discerentque illum cogitare secundùm Deum.

Serm. 265. *de Ascensione Domini* 5. *aliàs* 6. *inter additos à Parisiensib. c.* 1. *n.* 2. (Discipuli Christum) ascendere mirabantur, sursùm tamen ire gaudebant; capitis enim præcessio, spes membrorum est.... Perditio nostra, peccatum nostrum: Sanguis Christi, pretium nostrum. Resurrectio Christi, spes nostra: adventus Christi, res nostra. Ille ergo qui est ad dexteram Patris, exspectandus est donec veniat. Dicat anima nostra sitiens illi, Quando veniet? Et, * *sitivit anima mea ad Deum vivum.* (*Psal.* XLII. 3.) Quando veniet? Veniet: sed quando veniet? Optas ut veniat: utinam paratum te inveniat.

S. LEO *Serm.* 71. *de Ascensione Domini* 1. *c.* 1. *et* 4. *vide suprà. Part.* 1. *Sect.* 2. *Cap.* 1. §. 22. *litt.* (A *et* K.)

Serm. 72. *de Ascensione Domini* 2. *c.* 2. Ut igitur hujus beatitudinis.... capaces esse possemus; expletis omnibus, quæ Evangelicæ prædicationi, et novi Testamenti mysteriis congruebant, Dominus noster Jesus Christus quadragesimo post Resurrectionem die, coram Discipulis elevatus in cœlum, corporalis præsentiæ modum fecit, mansurus in Patris dextera, donec tempora multiplicandis Ecclesiæ filiis divinitùs præstituta pera-

gantur, et ad judicandos vivos et mortuos in eadem carne, in qua ascendit, adveniat. Quod itaque Redemptoris nostri conspicuum fuit, in sacramenta transivit: et ut fides excellentior esset ac firmior, visioni doctrina successit, cujus auctoritatem supernis illuminata radiis credentium corda sequerentur.

Cap. 3. Hanc fidem Ascensione Domini auctam, et Spiritûs sancti munere roboratam, non vincula, non carceres, non exilia, non fames, non ignis, non laniatus ferarum, nec exquisita persequentium crudelitatibus supplicia terruerunt. Pro hac fide per universum mundum, non solùm viri sed etiam feminæ, nec tantùm impubes pueri, sed etiam teneræ virgines, usque ad effusionem sui sanguinis decertarunt. Hæc fides dæmonia ejecit, ægritudines depulit, mortuos suscitavit.

Cap. 15. Exsultemus itaque, dilectissimi, gaudio spiritali, et dignâ apud Deum gratiarum actione lætantes, liberos cordis oculos ad illam altitudinem, in qua Christus est, erigamus. Sursùm vocatos animos desideria terrena non deprimant; ad æterna præelectos peritura non occupent; viam veritatis ingressos fallaces illecebræ non retardent: et ita fidelibus hæc temporalia decurrantur, ut peregrinari se in hac mundi valle cognoscant, in qua, etiamsi quædam commoda blandiantur, non amplectenda nequiter, sed transeunda sunt fortiter. Ad hanc enim nos devotionem beatissimus Apostolus Petrus incitat, et secundùm illam dilectionem, quam pascendis Christi ovibus trinâ Dominici amoris professione concepit, obsecrans dicit: *Charissimi, obsecro vos tanquam advenas et peregrinos, abstinere vos à carnalibus desideriis, quæ militant adversùs animam.* (1. *Petr.* II. 11.)

S. CHRYSOST. *in Ascensionem Domini serm.* 1. Salvator ascendit, undè descendit, multis contemplantibus viris, atque mulieribus, quousque in altum visûs imbecillitas fieri potuit: Angelis ipsis fidem huic spectaculo præbentibus, secundumque hinc Christi adventum prænuntiantibus: *Et ecce duo viri adstiterunt juxta illos, in vestibus albis: qui et dixerunt: Viri Galilæi, quid statis adspicientes in cœlum? Hic Jesus qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.* (*Act.* I. 10. *et* 11.) O quanta benignissimus Dominus propter improbos servos in salutem peregit! Descendit è cœlis, in cœlos ascendit, et de cœlis iterùm venturus est. Sed quo pacto venturus? Non aliâ quidem assumptâ personâ, sed in forma carnis et habitu humano,.... equo nubis vectus,.... Angelorum comitatu stipatus,.... ipse judicans fines orbis terrarum.

Serm. 2. *tom.* 6. *pag.* 452. *Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes ejus?* (*Psal.* CV. 2.) Hodie enim nostræ primitiæ Christus in cœlos ascendit, et qui ex nobis carnem sibi assumpserat, thronum æterni Patris accepit, ut nos servos reconciliaret, veteremque inimicitiam deleret, ac pacem supernorum exercituum hominibus adhuc in terra degentibus donaret. Communis enim omnibus hodie adversùs diabolum proponitur victoria, communia certaminis præmia, communes coronæ, communis gloria. Quocirca... nos gaudere et exsultare oportet, videntes primitias nostræ salutis Christum ad ipsum cœlorum verticem ascendentem, et regalem thronum, quem ipse reliquerat, sibi vindicantem. Considera enim, dilecte, quanta Dei nostri sit bonitas, quamque occulta et ineffabilis ejus facta sit dispensatio erga genus nostrum, quod fraude diaboli, paradiso exciderat: tantaque maledictione damnatam, repentè in quantam celsitudinem evexit. Et quo pacto nos, qui et terrâ ipsâ videbamur indigni, hodie in cœlum evecti simus; ipsaque nostra natura, quæ etiam paradiso priùs putabatur indigna, quomodo in cœlis primam sedem occupaverit; quæque dæmonum ludibrium evaserat, hodie ab Angelis, supernisque potestatibus adoretur. O beatam atque felicem illam invidiam! O bonas insidias! O invidia bonorum causa, quæ nobis infinita concilias bona, legemque immortalitatis peperisti! Cùm enim antea naturæ nostræ humanæ in terris degenti invideret improbus ille dæmon, jam in cœlis adorari videt. Et qui antea per fraudem, magna et incomparabilia surripuerat, nunc majoribus et illustrioribus nos perfrui cernit: ideò jubilo et exsultu hodie, et vos, ut mecum simul has choreas agatis, cohortor; qui enim nec terreno quidem honore

digni eramus, ad supernum regnum ascendimus, cœlos pervasimus, et regalem thronum apprehendimus: Ipsaque natura, per quam custodiebant paradisum Cherubim, jam evecta est et adoratur. Obstupesce igitur et admirare, charissime, magnam solertiam Domini tui, ac glorifica eum, qui tanta tibi largitus est. Transcendit enim doni magnificentia damni magnitudinem. Nam ecce qui paradiso excideramus, ad cœlum ipsum sublati sumus: qui morte damnati fuimus, immortalitatis donum accepimus. Infensi eramus et abjecti, et filios nos vocare dignatus est; neque filios solùm, sed et hæredes; neque etiam hæredes tantùm, sed et cohæredes Christi. Ecce quomodo majora nobis à Domino sint donata, quàm antea fuerant ablata. Verùm dum audis quòd ascenderit, et assumptus sit, cave localem in Deo descensum opineris: Divinitas enim omnia implet, ubique præsens est, et nusquam abest, velut omnium inspector, et universorum opifex.

Serm. 4. Quintus autem festorum dierum, est sanctissima Domini ad cœlos Ascensio, quam modò celebramus: est autem hæc festivitatum quinta, quoniam et quinto hebdomadæ die contigit. Ac propterea solemnitatem istam celebremus oportet, quandoquidem hodie primitias nostræ massæ, id est, carnem nostram in cœlos Christus sustulit. Idcircò et Apostolus dicebat: *Convivificavit nos et conresuscitavit, et consedere fecit in cœlestibus, in Christo Jesu.* (*Ephes.* II. 5. *et* 6.) Undè auctor omnis mali, et inventor peccati diabolus, propter tumorem elationis, et fumum superbiæ, excidit. Ibi magnitudine benignitatis suæ, hominem pessimo illius consilio paradiso ejectum, Christus contrà convivificavit, et resuscitavit. Omni igitur honore et spiritali gaudio digna est præsens festivitas.

S. BERNARD. *Serm.* 2. *in festo Ascensionis. n.* 1. Solemnitas ista, Fratres charissimi, gloriosa est, et (ut ita dicam) gaudiosa, in qua et singularis in Christo gloria, et nobis spiritalis lætitia exhibetur. Consummatio enim et adimpletio est reliquarum solemnitatum, et felix clausula totius itinerarii Filii Dei. Qui enim descendit, ipse est et qui ascendit hodiernâ die super omnes cœlos, ut adimpleret omnia. Jam enim cùm se Dominum universorum, quæ sunt in terra et in inferno, probasset, non restabat, nisi ut aëris et cœlorum se esse Dominum, argumentis similibus, vel certè potioribus, comprobaret.

N. 2. Ex tunc probabitur quia Dominus universorum tu es, quia omnia in omnibus adimplesti, et jam tibi profectò debebitur, ut in nomine tuo *omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur quia* tu es *in gloria* et in dextera *Patris.* (*Philip.* II. 10.) In hac dextera sunt delectationes usque in finem: et ideò monet Apostolus, ut quæramus *quæ sursum sunt, ubi Christus est in dextera Dei sedens:* (*Coloss.* III. 1.) quia illic profectò thesaurus noster est Jesus Christus, in quo *sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi: in quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* (*Coloss.* II. 3. *et* 9.)

N. 3. Quid tamen putatis, fratres, quantus dolor et timor irruperit Apostolica pectora, cùm eum viderunt à se tolli, et attolli in aera.... Angelico comitatum obsequio: non tamen fultum auxilio, sed gradientem in multitudine fortitudinis suæ. Impletum est quod eis dixerat: *Quò ego vado, vos non potestis venire.* (*Joan.* VIII. 21.) Quòcunque enim terrarum isset, cum indivisibiliter sequerentur: mare (sicut Petrus fecit aliquando *Matth.* XIV. 30.) cum eo etiam submergendi intrarent: sed hàc sequi non poterant: quia *corpus quod corrumpitur, aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem.* (*Sap.* IX. 15.) Dolor ergo nimius erat, quia videbant illum, propter quem omnia reliquerant, à suis sensibus et aspectibus tolli, ut non possent, ablato à se sponso, filii sponsi non lugere: timor, quia orphani relinquebantur in medio Judæorum nondum confirmati virtute ex alto. Benedicens ergo eis ferebatur in cœlum, fortè concussis illius singularis misericordiæ visceribus, cùm miseros suos et pauperem suam scholam relinqueret; nisi quòd veniebat parare eis locum, et quia expediebat ut præsentiam eis subtraheret corporalem. Quàm felix, quàm digna ista processio, ad quam ne ipsi quidem adhuc Apostoli digni fuerunt admitti, cùm et animarum sanctarum et cœlestium virtutum triumphali pompâ deductus ad Patrem, sedet à dexteris Dei. Nunc vere adimplevit omnia, qui natus

est inter homines, cum hominibus conversatus est, ab hominibus et pro hominibus passus et mortuus est, resurrexit, ascendit, sedet ad dexteram Dei. Agnosco tunicam, desuper contextam per totum, quam superna illa mansio claudit, ubi adimpletus est et adimplevit omnia Dominus Jesus Christus.

N. 4. Verumtamen quid mihi et solemnitatibus istis? Quis me consolabitur, Domine Jesu.... Prorsùs renuisset consolari anima mea, nisi me Angeli in voce exsultationis prævenissent, qui dixerunt: *Viri Galilæi quid statis adspicientes in cœlum? Hic Jesus qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.* (*Act.* I. 11.) *Sic*, inquiunt, *veniet.* Ergone veniet quærere nos illà tam singulari quàm universali processione, cum præcedentibus omnibus Angelis, et subsequentibus hominibus universis, descendet judicare vivos et mortuos? Proculdubio veniet, sed quomodo ascendit, non quomodo ante descendit. Humilis enim priùs venit animas salvare, sublimis autem veniet cadaver istud resuscitare, et configurare corpori claritatis suæ; ut infirmiori huic vasculo abundantiorem impendere videatur honorem. Tunc enim videbitur cum Potestate magna et majestate, qui priùs in infirmitate carnis latuerat. * *Intuebor et ego eum, sed non modò: videbo eum, sed non propè:* (*Num.* XLIV. 17.) ita ut hæc secunda glorificatio priori glorificationi, propter excellentem gloriam, manifestè præluceat.

N. 5. Manipulus primitiarum nostrarum Christus oblatus est, ad dexteram Patris assumptus, et assistit nunc vultui Dei pro nobis. Sedet autem ad dexteram, habens in dextera misericordiam, in sinistra judicium.

N. 6. Propterea, dilectissimi, perseverate in disciplina quam suscepistis, ut per humilitatem ad sublimitatem ascendatis; quia hæc est via, et non est alia præter ipsam. Qui aliter vadit, cadit potiùs, quàm ascendit; qui sola est humilitas quæ exaltat, sola quæ ducit ad vitam. Christus enim cùm per naturam Divinitatis non haberet quò cresceret vel ascenderet, quia ultrà Deum nihil est, per descensum quomodo cresceret invenit, veniens incarnari, pati, mori, ne moreremur in æternum. Propter quod Deus exaltavit illum, quia resurrexit, ascendit, sedet ad dexteram Dei. Vade, et tu fac similiter. Neque enim ascendere potes, nisi descenderis, quia ut æternà lege fixum est, *Omnis qui se exaltat, humiliabitur: et qui se humiliat, exaltabitur.* (*Luc.* XIV. 11. XVIII. 14.)

Serm. 3. *n.* 1. Hodie cœlorum Dominus, cœlorum alta cœlesti potentià penetravit, et infirma carnis tanquam nubila quædam excutiens, induit stolam gloriæ. Elevatus est sol in ortu suo, incaluit et invaluit. Dilatavit et multiplicavit radios super terram, *nec est qui se abscondat à calore ejus.* (*Ps.* XVIII. 7.) Rediit ad regionem sapientiæ sapientia Dei, ubi omnes bonum et intelligunt et requirunt, intellectu perspicacissimi, affectu paratissimi, ad audiendam vocem sermonum ejus. Nos autem in regione ista sumus, ubi plurimum est malitiæ, sapientiæ parum: quia *corpus quod corrumpitur, aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem.* (*Sap.* IX. 15.) Per sensum hic ego arbitror intellectum designari: qui tunc verè deprimitur cùm multa cogitat, cùm non colligit se circa illam unam et unicam meditationem, quæ concipitur de civitate illa *cujus participatio ejus in idipsum.* (*Psal.* CXXI. 3.) Hujusmodi intellectum oportet deprimi et distrahi per multa, multis et multiplicibus modis. Animam verò hic æstimo dici affectiones, quæ corrupto corpore diversis passionibus afficiuntur, quæ mitigari nunquam possunt, ne dicam sanari, donec voluntas unum quærat, et tendat ad unum.

N. 2. Duo ergo sunt quæ in nobis purganda sunt; intellectus, et affectus: Intellectus ut noverit, affectus ut velit.

N. 9. Quia igitur, charissimi, hodierna dies est in qua sponsus aufertur à nobis, et non sine tumultu aliquo animorum nostrorum, ad hoc tamen ut mittat nobis Spiritum veritatis: ploremus et oremus, ut dignos nos inveniat, vel potiùs efficiat, et repleat domum istam, ubi sumus sedentes, quatenùs non vexatio, sed unctio ejus doceat nos de omnibus: Sicque et intellectu clarificato, et affectu purificato veniat ad nos, et apud nos faciat mansionem. Et sicut serpens Moysis devoravit omnes

serpentes magorum (*Exod.* VII. 12.), sic iste cùm venerit, absorbebit omnes carnales affectiones et delectationes nostras et consolationes; ita ut de labore requiem, de tribulatione lætitiam, de contumelia gloriam habeamus, sicut illi quos repleverat, *ibant gaudentes à conspectu concilii : quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati :* (*Act.* V. 41.) Spiritus enim Jesu spiritus bonus, spiritus sanctus, spiritus rectus, spiritus dulcis, spiritus principalis; quidquid in hoc seculo nequam videtur difficile et angustum, leve facit et lætum : opprobrium gaudium judicat, despectionem exsultationem esse persuadet. *Scrutemur* ergo juxta Prophetam *vias nostras* et studia nostra, *levemus corda nostra cum manibus* (*Thren.* III. 40. *et* 41.), ut in solemnitate sancti Spiritûs gaudeamus, et abundantiùs gaudeamus, qui nos inducat in omnem, sicut promisit Deus Filius, veritatem.

Serm. 4. *n.* 1. Si Nativitatis et Resurrectionis Dominicæ dignâ devotione solemnia celebramus, hodiernum quoque Ascensionis diem non minùs devotè convenit celebrari. In nullo siquidem à festivitatibus illis ista degenerat, sed finis earum et adimpletio est. Meritò quidem solemnitatis et lætitiæ dies agitur, quando sol ille supercœlestis, sol justitiæ, nostris se præsentavit obtutibus, nube carnis, et mortalitatis sacco fulgorem suum, et lucem temperans inaccessibilem. Magna quoque lætitia, et exsultatio multa nimis, quando conscisso sacco, lætitiâ circumdatus est, factâque de medio sacci ipsius non quidem substantiâ, sed vetustate, sed corruptione, sed miseriâ, sed vilitate, nostræ dedicavit primordia resurrectionis. Verumtamen quid mihi et solemnitatibus istis, si conversatio mea usque adhuc detinetur in terris ? Quis verò vel desiderare præsumeret ascensum cœli, nisi quia is qui descenderat, prior ascendit ? Dico ergo vobis, non multò mihi tolerabilior videretur exilii hujus habitatio, quàm gehenna, nisi Dominus sabaoth reliquisset nobis semen fiduciæ et exspectationis, quando elevatus est in nubibus et spem fecit credentibus. Denique *nisi ego abiero*, inquit, *Paracletus non veniet ad vos.* (*Joan.* XVI. 7.) Quis Paracletus ? Utique per quem diffunditur charitas, et jam spes non confundit, ille Paracletus, per quem in cœlis sit conversatio nostra, virtus ex alto, per quam sursum sint corda nostra. * *Vado*, inquit, *parare locum : et si abiero, iterùm veniam et assumam vos ad meipsum.* (*Joan.* XIV. 3.) *Ubi enim fuerit corpus, ibi congregabuntur et aquilæ.* (*Matth.* XXIV. 28.) Videsne quemadmodum cæterarum solemnitatum, ea quam hodie celebramus, et consummationem habeat, et fructum declaret, et augeat gratiam.

N. 2. Sicut enim cætera omnia ejus qui nobis natus est et nobis datus, ita ipsa quoque ipsius Ascensio propter nos facta est, et facit pro nobis.

N. 3. *Christus qui descendit, ipse est et qui ascendit.* (*Ephes.* IV. 10.) Apostoli verba sunt hæc. Ego autem credo eum in hoc ipso quòd descenderit, ascendisse. Sic enim oportebat Christum ascendere, ut nos ascendere doceremur.

N. 6. Ab ipso demonstranda nobis erat ascensionis via, ne ductoris, imo seductoris iniqui aut vestigium, aut consilium sequeremur. Quia ergo non erat quò ascenderet, descendit Altissimus, et suo nobis descensu suavem ac salubrem dedicavit ascensum.

N. 7. Ut quid enim ascendit ut transfiguraretur, nisi ut doceret nos cogitatione ascendere ad futuram illam gloriam, quæ revelabitur in nobis ? Felix cujus *meditatio in conspectu Domini* (*Psal.* XVIII. 15.) est semper, qui in corde suo delectationes dexteræ Domini usque in finem sedulâ cogitatione revolvit. Quid enim grave illi poterit videri, qui semper mente tractat, quòd non sint condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam ? Quid concupiscere poterit in seculo nequam, cujus oculus semper videt *bona Domini in terra viventium*, (*Ps.* XXVI. 13.) semper videt æterna præmia ? *Tibi dixit cor meum*, Propheta loquitur Domino, *tibi dixit cor meum, Exquisivit te facies mea : faciem tuam, Domine, requiram.* (*Ibid.* 8.) Quis mihi tribuat, ut omnes surgentes stetis in excelso, et videatis exsultationem quæ ventura est vobis à Domino ?

N. 10. In corde tuo pone viam veritatis inquirere, ne forte sis de eorum numero, qui viam civitatis habitaculi non invenerunt. Magis autem sollicitus esto ascendere non modò cogitatione cœlestis gloriæ, sed et conversatione quæ cœlestem gloriam mereatur.

N. 11. Tertium nihilominus montem lego, in quem ascendit solus orare. (*Matth.* XIV. 23.) Vide ergo quàm benè sponsa in Canticis. *Ecce*, inquit, *venit iste saliens in montibus.* (*Cant.* II. 8.) In primo transfiguratus est, ut scires quò tenderes : in secundo verba vitæ locutus est, ut scires quâ pervenires : oravit in tertio, ut... sciens quoniam in oratione datur bona voluntas, cùm videris, quæ agenda sunt, ut convalescas ad agenda quæ videris, ascende tu ad orationem, ora instanter, ora perseveranter, sicut ille pernoctabat in oratione, et dabit Pater bonus spiritum bonum petenti se.

N. 13. Ut in cœlum ascendas, priùs necesse est levare te super te, calcando carnalia desideria, quæ in te militant adversùm te.

N. 13. Sequere etiam ascendentem crucem exaltatum à terra... Nulla te mundi oblectamenta inclinent, nullæ adversitates dejiciant. *Absit* tibi *gloriari nisi in cruce Domini tui Jesu Christi, per quem* tibi *mundus crucifixus est* (*Galat.* VI. 14.), ut quæ mundus appetit, crucem reputes : et tu crucifixus mundo, illis, quæ mundus crucem reputat, toto inhæreas amore.

N. 14. Jam verò quid ex hoc restat, nisi ut ad illum ascendas, qui est super omnia Deus benedictus in secula ?.... Sed de illa ascensione quid dicam ? Quò ascendemus, ut ubi Christus est et nos simus ? ... Desideremus hanc, Fratres mei, suspiremus ad eam jugiter, et eò magis affectus vigeat, quò deficit intellectus.

Serm. 5. *n.* 1. Hodie sedenti in throno antiquo dierum, consessurus pariter oblatus est Filius hominis, ... idem ipse et Dei Filius, et fructus ventris Mariæ est..... Hodie igitur suum hunc et hominis Filium apud semetipsum Pater clarificat claritate quam habuit, priusquam mundus fieret, apud ipsum. Hodie veritatem, quæ de cœlo orta est, cœlum sibi redditam gloriatur.

N. 2. Levemus igitur, Fratres mei, levemus in cœlum corda cum manibus, et ascendentem Dominum sequi velut quibusdam passibus devotionis et fidei contendamus.

N. 3. *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursùm sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens ; quæ sursùm sunt sapite, non quæ super terram.* (*Coloss.* III. 1. *et* 2.) Ac si manifestiùs dicat (*Apostolus*) : Si consurrexistis, et coascendite : si convivitis, et conregnate. Sequamur, fratres, sequamur agnum quocunque ierit : sequamur patientem, sequamur et resurgentem, sequamur multò libentiùs ascendentem. Crucifigatur vetus homo noster simul cum illo, ut destruatur corpus peccati : ut ultra non serviamus peccato, mortificalis nimirùm membris nostris, quæ sunt super terram. Sed et *quomodo ipse resurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus.* (*Rom.* VI. 4.) *In hoc enim mortuus est et resurrexit, ut peccatis mortui justitiæ vivamus.* (1. *Petr.* II. 24.)

N. 4. Cæterùm quoniam vitæ novitas locum exigit tutiorem, et resurrectionis dignitas alliorem expetit gradum, sequamur etiam ascendentem, quærere videlicet et sapere quæ sursum sunt, ubi ille est, non quæ super terram. Quæris quis ille sit locus ? Apostolum audi. *Quæ sursùm est*, inquit, *Hierusalem libera est, quæ est mater nostra.* (*Gal.* IV. 26.) Vis scire quænam ibi sint ? Visio pacis est, *Lauda Hierusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion : qui posuit fines tuos pacem.* (*Ps.* CXLVII. 1. *et* 3.) O pax quæ exsuperas omnem sensum ! ò pax etiam super pacem ! O mensura super mensuram, conferta et coagitata et supereffluens ! Compatere igitur Christo anima Christiana : conresurge, coascende : quod est : *declina à malo, et fac bonum : inquire pacem, et persequere eam.* (*Ps.* XXXIII. 15.)

N. 8. Si quærimus quæ sursùm sunt, etiam sapere et prælibare interim studeamus... Omnes, ni fallor, quæ sursùm sunt quærimus intellectu fidei, et judicio rationis ; sed non æquè forsitan sapimus omnes quæ sursùm sunt, tanquam inescati his quæ sunt super terram, violento quodam præjudicio affectionis. Undè enim ea, quam paulò ante ostendimus, animorum diversitas, tanta disparitas studiorum, conversationum tanta dissimilitudo ? Undè spiritualis gratiæ inopia tanta quibusdam, cùm aliis copia tanta exuberet ? Profectò nec avarus nec inops est gratiæ distributor : sed ubi vacua vasa desunt, stare oleum necesse est. Undique se ingerit amor mundi : cum consolationibus, imò desolationibus suis

observat aditus, per fenestras irruit, mentem occupat, sed non ejus qui dixit : *Renuit consolari anima mea : memor fui Dei, et delectatus sum.* (*Ps.* LXXVI. 3. *et h.*) Præoccupatum nempe secularibus desideriis animum delectatio sancta declinat : nec misceri poterunt vera vanis, æterna caducis, spiritualia corporalibus, summa imis, ut pariter sapias quæ sursùm sunt, et quæ super terram.

N. 10. Nobis autem undè in his tenebris veritas, undè charitas in hoc seculo nequam, in hoc mundo qui totus positus est in maligno? Putasne erit qui intellectum illuminet, qui inflammet affectum? Erit utique, si convertamur ad Christum, ut velamen de cordibus auferatur... Memento enim Dei verbum et sapientiam incarnatam : cujus utique opus erat toto illo tempore, quo videri in terris, et inter homines conversari dignata est ineffabilis illa virtus, illa gloria, illa majestas, illuminare oculos cordis, etiam suadere fidem hominibus prædicatione pariter et ostensione signorum.... Nec modò ante passionem, sed et post resurrectionem *in multis argumentis per dies quadraginta apparens eis et loquens de Regno Dei* (*Act.* I. 3.) ; quando et sensum eis, ut Scripturas intelligerent, legitur aperuisse (*Luc.* XXIV. 32.), intellectum potiùs informabat, quàm purgabat affectum.

N. 11. Quando enim ad spiritualia affici possent animales? Imò vero ne ipsam quidem meram lucem poterant aliquatenùs sustinere, sed exhibere illis oportuit verbum in carne.... Sed eâ quoque usus est in salutem, et Discipulorum animos, qui nec ad fidei intellectum sine aliqua mutatione affectûs poterant promoveri, nec assurgere adhuc ad spiritualia prævalebant, in suæ carnis provocavit affectum : ut amore quodam humano operanti mira, mira loquenti homini adhærerent amore utique carnali adhuc, sed tam valido, ut cæteris omnibus prævaleret.... Beatæ aures quæ verba vitæ ab ipsius incarnati Verbi ore percipere merebantur, quibus enarrabat Unigenitus qui est in sinu Patris, et nota faciebat quæcunque audisset à Patre ; ut fluenta doctrinæ cœlestis ab ipsius veritatis purissimo fonte haurirent, universis postmodùm gentibus propinanda, imò eructanda potarent.

N. 12. Quid mirum, Fratres, si implebat tristitia cor eorum cùm ab eis sese pronuntiaret iturum, et adderet : *Quò ego vado, vos non potestis venire modò?* (*Joan.* VIII. 21.) Quidni conculerentur viscera, turbaretur affectus, hæsitaret animus, hæreret vultus, paveret auditus, nec omninò æquanimiter discessionis ejus sermo posset admitti, ut relinqueret eos, pro quo omnia reliquissent? Cæterùm non ut maneret in carne, sed ut transferretur ad spiritum, totus ab eo in illam carnem Discipulorum fuerat collectus affectus, ut dicere esset aliquando : *Et si cognovimus Christum secundùm carnem, sed nunc jam non novimus.* (2. *Cor.* V. 16.) Undè benignissimus ille Magister blandis eos refovens consolationibus, ait, * *Rogabo Patrem meum, et alium Paracletum dabit vobis, spiritum veritatis, qui vobiscum maneat in æternum.* (*Joan.* XIV. 16.) Et item : *Ego veritatem dico vobis, expedit vobis ut ego vadam. Nisi enim abiero, Paracletus non veniet ad vos.* (*Joan.* XVI. 7.) Grande mysterium, Fratres mei. Quid enim sibi vult, *Nisi ego abiero, Paracletus non veniet?*... Nisi carnis præsentia vestris subtrahatur aspectibus, spiritualis gratiæ plenitudinem occupata mens non admittit, non recepit animus, non capit affectus.

N. 13. Quid vobis videtur, Fratres? Si hæc ita sunt, imò quia ita sunt, audeat quis de cætero phantasticis quibusdam illecebris deditus, sectans lenocinia carnis suæ, carnis utique peccatricis, genitæ in peccatis, assuetæ peccatis, in qua denique bonum non est, illum pariter exspectare Paracletum? Audiat, inquam, qui huic sterquilinio semper inhæret, qui carnem fovet, in carne seminat, carnem sapit, illam nihilominus consolationem supernæ visitationis, torrentem voluptatis illum, illam sperare gratiam Spiritûs vehementis, quam, ut veritas ipsa testatur, ne cum ipsa quidem Verbi carne, percipere ullatenus Apostoli potuerunt? Errat omninò si quis cœlestem illam dulcedinem huic cineri, divinum illud balsamum huic veneno, charismata illa Spiritûs misceri posse hujusmodi illecebris arbitratur. Falleris Thoma sancte, falleris si videre Dominum speras ab Apostolorum collegio separatus.

§. 14. De Festo Pentecostes.

I. Quo die celebratur illapsus Spiritûs sancti in Apostolos?

R. Quinquagesimâ post Christi resurrectionem die (A), quæ ideò Pentecostes dicitur, uam græcè * *Pentecoste Emera* idem est quod latinè quinquagesima dies.

I. Quomodo illapsus est Spiritus sanctus in Apostolos?

Non amat veritas angulos, non ei diversoria placent. In medio stat, id est, disciplinâ et vitâ communi, communibus studiis delectatur. Usquequo miser diverticula captas, et consolationes propriæ voluntatis tanto labore quæritas, tanto rubore mendicas? Et quid facio, inquit? *Ejice ancillam, et filium ejus: non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ:* (*Gen.* XXI. 10. *Gal.* IV. 30.) Nulla, ut dictum est, conventio veritati et vanitati, luci et tenebris, spiritui et carni, igni et tepiditati.

N. 14. *Si moram fecerit, exspecta illum; quia veniens veniet, et non tardabit.* (*Habac.* II. 3.) Apostoli decem dies in hac exspectatione *sederunt perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, et Maria mater Jesu.* (*Act.* I. 14.) Et tu igitur orare disce, disce quærere, petere, pulsare, donec invenias, donec accipias, donec aperiatur tibi.... Præveniet certè *benedictionibus dulcedinis* (*Ps.* XX. 4.) desolatam animam et orantem.

N. 15. Quod evidentiùs in Apostolis invenitur impletum. Ubi enim * *videntibus illis* suus ille Jesus tam manifestè *elevatus est, et ferebatur in cœlum,* (*Act.* I. 9.) ipsâ.... oculatâ fide edocti sunt supplices in cœlum levare oculos, puras tendere manus, promissa sibi dona charismatum postulantes, donec fieret repentè de cœlo sonus advenientis spiritûs vehementis, advenientis utique ignis, quem Dominus Jesus mittebat in terram, volens vehementer ascendi.... Cui nos gratiæ pro nostræ exiguitatis modo præparantes, exinanire per omnia nosmetipsos, et à delectationibus miseris, et caducis consolationibus evacuare studeamus, dilectissimi, corda nostra maximèque nunc instante die festo, et ferventiùs, et fiducialiùs unanimiter perseveremus in oratione, ut suâ nos visitatione, suâ consolatione et confirmatione dignetur Spiritus ille benignus, spiritus dulcis, spiritus fortis, infirma roborans, aspera planans, corda purificans.

(A) S. AUG. *ad inquisitiones Januarii, lib.* 1. *Epist.* 54. *aliàs* 118. *c.* 1. *n.* 1. Illa autem quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem to to terrarum orbe servantur, datur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata atque statuta retineri, sicuti quòd Domini passio et resurrectio et ascensio in cœlum, et adventus de cœlo Spiritûs sancti, anniversariâ solemnitate celebrantur, et si quid aliud tale occurrit quod servatur ab universa, quàcunque se diffundit, Ecclesiâ.

Epist. 55. *aliàs* 119. *seu lib.* 2. *ad inquisitiones Januarii, cap.* 15. *n.* 28. Ipse Dominus et quadraginta dies post resurrectionem in hac terra, et in hac vita cum Discipulis conversatus est, et posteaquam ascendit in cœlum, decem diebus interpositis, promissum misit Spiritum sanctum, completo die Pentecostes.... Dies quinquaginta.... qui celebrantur post Domini resurrectionem jam in figura non laboris, sed quietis et lætitiæ. Propter hoc et jejunia relaxantur, et stantes oramus, quod est signum resurrectionis, unde etiam omnibus diebus Dominicis, id ad altare observatur et *Alleluia* canitur, quod significat actionem nostram futuram non esse nisi laudare Deum.

N. 29. Sed dies quinquagesimus et in Scripturis commendatur, et non tantùm in Evangelio, quia tunc Spiritus sanctus advenit, sed etiam in veteribus Libris. Nam et ibi, posteaquam Pascha occiso agno celebraverunt, dies quinquaginta numerantur, usque ad diem quo lex data est in monte Sina famulo Dei Moysi, digito Dei scripta: in libris autem Evangelii apertissimè declaratur, digitum Dei significare Spiritum sanctum. Cùm enim unus Evangelista dixisset, *in digito Dei ejicio*

* Πεντηκοστὴ ἡμέρα.

R. Circa horam tertiam (B), id est, circa horam nonam matutinam, cùm essent simul omnes, juxta præceptum Domini, Jerosolymis congregati (C), et (*Act.* I. 14.) *perseverantes in oratione cum mulieribus, et Maria matre Jesu, et fratribus ejus*, (*ibid.* II. 2.) *factus est repentè de cœlo sonus tanquam advenientis spiritûs vehementis et replevit totam domum....* 3. *Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditque supra singulos eorum.* 4. *Et repleti sunt omnes Spiritu sancto, et cœperunt loqui variis linguis prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis* (*Ibid.* III. 2.) Et signa multa operati sunt, et mutati in homines alios : et impleti sunt sapientiâ, lumine et zelo.

(Cætera quæ ad hanc rem pertinent jam diximus primâ Parte hujus Operis : Ibi legesis.) (*Sect.* 2. *Cap.* 3. §. 1.)

I. Quid ad hæc Judæi qui tunc Jerosolymis aderant?

R. Advenerant tunc Judæi ex omnibus orbis regionibus Jerosolymam ad celebrandum festum Pentecostes. *Factâ autem hâc voce convenit multitudo et mente confusa est, quoniam audiebat unusquisque linguâ suâ* Apostolos *loquentes.* (*Act.* II. 6.) Plurimique ex Judæis illis ad Christum conversi sunt. (D)

I. Ergo et festum Pentecostes celebrabatur à Judæis;

R. Celebrabatur et quinquagesimâ die post Pascha : eratque dies apud eos solemnissima. (E)

dæmonia (*Luc.* XI. 20.)... alius hoc idem ita dixit : *In spiritu Dei ejicio dæmonia.* (*Matth.* XII. 28.) Occiditur ovis, celebratur Pascha, et interpositis quinquaginta diebus datur lex ad timorem, scripta digito Dei. Occiditur Christus qui * *tanquam ovis ad immolandum ductus est*, sicut Isaïas testatur (LIII. 7.) celebratur verum Pascha, et interpositis quinquaginta diebus datur ad charitatem Spiritus sanctus, qui est digitus Dei.

(B) ACT. II. 15. Non enim sicut vos æstimatis, hi ebrii sunt, cùm sit hora diei tertia.

(C) LUC. XXIV. 49. Et ego mitto promissum Patris mei in vos. Vos autem sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto.

(D) ACT. II. 41. Qui ergo receperunt sermonem ejus (*Petri*), baptizati sunt : et appositæ sunt in illa die animæ circiter tria millia.

(E) LEVIT. XXIII. 9. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : 10. Loquere Filiis Israël, et dices ad eos : Cùm ingressi fueritis terram, quam ego dabo vobis, et messueritis segetem, feretis manipulos spicarum, primitias messis vestræ, ad sacerdotem : 11. Qui elevabit fasciculum coram Domino, ut acceptabile sit pro vobis, altero die sabbati, et sanctificabit illum. 12. Atque in eodem die quo manipulus consecratur, cædetur agnus immaculatus anniculus in holocaustum Domini. 13. Et libamenta offerentur cum eo, duæ decimæ similæ conspersæ oleo, in incensum Domini, odoremque suavissimum : liba quoque vini, quarta pars hin. 14. Panem, et polentam, et pultes non comedetis ex segete, usque ad diem quâ offeretis ex ea Deo vestro. Præceptum est sempiternum in generationibus, cunctisque habitaculis vestris. 15. Numerabitis ergo ab altero die sabbati in quo obtulistis manipulum primitiarum, septem hebdomadas plenas, 16. usque ad alteram diem expletionis hebdomadæ septimæ, id est, quinquaginta dies : et sic offeretis sacrificium novum Domino. 17. Ex omnibus habitaculis vestris, panes primitiarum duos de duabus decimis similæ fermentatæ, quos coquetis in primitias Domini. 18. Offeretisque cum panibus septem agnos, immaculatos anniculos, et vitulum de armento unum, et arietes duos, et erunt in holocaustum cum libamentis suis, in odorem suavissimum Domino. 19.

I. Unde isthæc solemnitas apud Judæos ?

R. 1. Quia hâc ipsâ die, id est, quinquagesimâ post exitum ex Ægypto acceperant per Moysen ad radicem montis Sinaï mediis in ignibus et vocibus tonitruum et fulguribus legem à Deo scriptam in tabulis lapideis. (F)

Facietis et hircum pro peccato, duosque agnos anniculos hostias pacificorum. 20. Cùmque elevaverit eos sacerdos cum panibus primitiarum coram Domino, cedent in usum ejus. 21. Et vocabitis hunc diem celeberrimum, atque sanctissimum : omne opus servile non facietis in eo. Legitimum sempiternum erit in cunctis habitaculis, et generationibus vestris.

DEUT. XVI. 9. Septem hebdomadas numerabis tibi ab ea die quâ falcem in segetem miseris. 10. Et celebrabis diem festum hebdomadarum Domino Deo tuo, oblationem spontaneam manus tuæ, quam offeres juxta benedictionem Domini Dei tui. 11. Et epulaberis coram Domino Deo tuo, tu, filius tuus, et filia tua, servus tuus, et ancilla tua, et Levites qui est intra portas tuas, advena, ac pupillus et vidua, qui morantur vobiscum : in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen ejus ibi : 12. Et recordaberis quoniam servus fueris in Ægypto : custodiesque ac facies quæ præcepta sunt.... 16. Tribus vicibus per annum apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui, in loco quem elegerit : in solemnitate azymorum, in solemnitate hebdomadarum, et in solemnitate tabernaculorum. Non apparebis ante Dominum vacuus. 17. Sed offeret unusquisque secundùm quod habuerit juxta benedictionem Domini Dei sui, quam dederit ei.

(F) EXOD. XIX. 9. Ait ei (Mosi) Dominus : Jam nunc veniam ad te in caligine nubis, ut audiat me populus loquentem ad te, et credat tibi in perpetuum. Nuntiavit ergo Moyses verba populi ad Dominum. 10. Qui dixit ei ; Vade ad populum, et sanctifica illos hodie, et cras, laventque vestimenta sua. 11. Et sint parati in diem tertium ; in die enim tertiâ descendet Dominus coram omni plebe, super montem Sinaï. 12. Constituesque terminos per circuitum, et dices ad eos : Cavete, ne ascendatis in montem, nec tangatis fines illius : omnis qui tetigerit montem, morte morietur. 13. Manus non tanget eum, sed lapidibus opprimetur, aut confodietur jaculis ; sive jumentum fuerit, sive homo, non vivet. Cùm cœperit clangere buccina, tunc ascendant in montem. 14. Descenditque Moyses de monte ad populum, et sanctificavit eum. Cumque lavissent vestimenta sua, 15. ait ad eos : Estote parati in diem tertium, et ne appropinquetis uxoribus vestris. 16. Jamque advenerat tertius dies, et mane inclarueral : et ecce cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, et nubes densissima operire montem : clangorque buccinæ vehementiùs perstrepebat, et timuit populus qui erat in castris. 17. Cumque eduxisset eos Moyses in occursum Dei de loco castrorum, steterunt ad radices montis. 18. Totus autem mons Sinaï fumabat : eò quòd descendisset Dominus super eum in igne, et ascenderet fumus ex eo quasi de fornace ; eratque omnis mons terribilis. 19.... Moyses loquebatur, et Deus respondebat ei.

XX. 1. Locutusque est Dominus cunctos sermones hos : 2. Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo servitutis. 3. Non habebis deos alienos coram me. 4. Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in cœlo desuper, et quæ in terra deorsùm, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra. 5. Non adorabis ea, neque coles : ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam et quartam generationem eorum qui oderunt me. 6. Et faciens misericordiam in millia, his qui diligunt me, et custodiunt præcepta mea. 7. Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. Nec enim habebit insontem Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustrà. 8. Memento ut diem sabbati sanctifices. 9. Sex diebus operaberis, et facies omnia opera tua. 10. Septimo autem die, sabbatum Domini Dei tui est : non facies omne opus in eo, tu, et filius tuus, et filia tua, servus tuus, et ancilla tua, jumentum tuum, et advena qui est

2. Hâc die solemniter offerebant Domino panes ex primitiis novæ messis. (G)

Illud autem festum typus fuit illius quod et nos hâc ipsâ die celebramus. Nam

intra portas tuas. 11. Sex enim diebus fecit Dominus cœlum et terram, et mare, et omnia quæ in eis sunt, et requievit in die septimo. Idcirco benedixit Dominus diei sabbati, et sanctificavit eum. 12. Honora patrem tuum, et matrem tuam, ut sis longævus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi. 13. Non occides. 14. Non mœchaberis. 15. Non furtum facies. 16. Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. 17. Non concupisces domum proximi tui. Nec desiderabis uxorem ejus, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt. 18. Cunctus autem populus videbat voces, et lampades, et sonitum buccinæ, montemque fumantem, et perterriti ac pavore concussi, steterunt procul, 19. Dicentes Moysi: Loquere tu nobis, et audiemus: non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur. 20. Et ait Moyses ad populum: Nolite timere: ut enim probaret vos venit Deus, et ut terror illius esset in vobis, et non peccaretis. 21. Stetitque populus de longè, Moyses autem accessit ad caliginem in qua erat Deus.

S. HIERONYM. *ad Fabiolam, de 42. mansion. Israël in deserto, Mansion.* 12. *tom.* 2. *edit. BB.* Die tertio descendit Dominus in montem: quo fumante, et fulgore, tonitruo, caligine, voce, tubâ, mortalium corda terrentibus, Moyses loquebatur, et Dominus respondebat ei. Supputemus numerum, et inveniemus quinquagesimo die egressionis Israël ex Ægypto in vertice montis Sinaï legem datam. Undè et Pentecostes celebratur solemnitas, et posteà Evangelii sacramentum Spiritûs sancti descensione completur; ut sicut priori populo quinquagesimo die, vero jubilæo et vero anno remissionis, et veris quinquaginta et quingentis denariis, qui debitoribus dimittuntur, lex data est; ad Apostolos quoque et qui cum eis erant, in centum viginti Mosaïcæ ætatis numero constitutis, descenderit Spiritus sanctus, et, divisis linguis credentium, totus Evangelicâ prædicatione mundus expletus sit.

S. AUG. *Quæst. in Exod. lib.* 2. *quæst.* 25. Digitus autem Dei, sicut Evangelium manifestissimè loquitur, Spiritus sanctus intelligitur. Namque uno Evangelista ita narrante verba Domini, ut diceret, *Si ego in digito Dei ejicio dæmonia*, (*Luc.* XI. 20.) alius Evangelista idipsum narrans exponere voluit quid sit digitus Dei, et ait, *Si ego in spiritu Dei ejicio dæmonia.* (*Matth.* XII. 28.)

Quæst. 70. * *Tertiâ enim die descendet Dominus in montem Sina coram omni populo.* (*Exod.* XIX. 11.) Hoc die reperitur data lex, quæ in tabulis lapideis scripta est digito Dei, (*Exod.* XXXI. 18.) sicut consequentia docent. Dies autem iste tertius apparet tertii mensis ab exitu Israël de Ægypto. Ex die ergo quo Pascha fecerunt, id est, agnum immolaverunt et ederunt, qui fuit quartus decimus primi mensis, (*Exod.* XII. 6.) usque ad istum quo lex datur, dies quinquaginta numerantur: decem et septem scilicet primi mensis, reliqui ab ipso quartodecimo: deinde omnes triginta secundi mensis, qui fiunt quadraginta septem; et tertius tertii mensis, qui est à solemnitate occisi agni quinquagesimus. Ac per hoc in ista umbra futuri, secundùm agni immolati diem festum, sicut quinquagesimo die lex data est, quæ conscripta est digito Dei: ita in ipsa veritate novi testamenti, à festivitate agni immaculati Christi Jesu quinquaginta dies numerantur, et Spiritus sanctus de altissimo datus est. Digitum Dei autem esse Spiritum sanctum, et suprà jam diximus teste Evangelio.

JANSENIUS IPRENSIS *hîc*.... Cùm lex data sit die 50. ab egressu, in cujus memoriam dies Pentecostes, quasi diceres quinquagesimæ, institutum est.

MENOCHIUS. *hîc v.* 11. Dies hic tertius fuit quinquagesimus à Paschate, et ab egressu ab Ægypto, fuitque Pentecostes, quâ legem à Deo acceperunt in Sinâ.

Cæteros Scripturæ Interpretes consule.

(G) LEVIT. XXIII. 9. *etc. Vide suprà hocce §. litt.* (E)

1. Hâc die Spiritus sanctus in Apostolos cæterosque Christi Discipulos descendit, ut scriberet legem Dei non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis eorum, ut Prophetæ prædixerant, infunderetque iis non timorem sed amorem Dei. (H)

2. Hâc die primitiæ frugum messis Apostolicæ Domino consecratæ sunt; Judæorum nempe tria millia qui ad primam Petri vocem in Christo renati sunt. (I)

I. Quâ ratione agenda est hæc solemnitas ex mente Ecclesiæ?

R. 1. Hæc omnia frequenti et sedulâ meditatione animo revolvenda.

2. Adorandus Spiritus sanctus, et ab eo postulandum, ut quod in Apostolis operatus est, et in nobis operetur; nimirùm, ut legem Dei, et Præcepta, et monita Christi scribat in cordibus nostris, faciatque ut hæc et amemus et operemur.

3. Quod maximè cogitandum, hâc die consummata sunt omnia Christi mysteria, consummatum magnum opus Christi. Mittens enim Christus Spiritum sanctum, donorum suorum cumulo replevit Ecclesiam suam: quod magnum est opus Christi. Hanc ergo Ecclesiæ perfectionem hac die celebramus. Hinc agendæ gratiæ Salvatori, et conditori, et capiti nostro Jesu Christo. (K)

(H) JEREM. XXXI. 33. Hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israël: post dies illos dicit Dominus: Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam: et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum. 34. Et non docebit ultra vir proximum suum, et vir fratrem suum, dicens: Cognosce Dominum: omnes enim cognoscent me à minimo eorum usque ad maximum, ait Dominus: quia propitiabor iniquitati eorum, et peccati eorum non memorabor ampliùs.

EZECHIEL. XI. 17. Congregabo vos de populis, et adunabo de terris, in quibus dispersi estis, daboque vobis humum Israël. 18. Et ingredientur illuc, et auferent omnes offensiones, cunctasque abominationes ejus de illa. 19. Et dabo eis cor unum, et spiritum novum tribuam in visceribus eorum: et auferam cor lapideum de carne eorum, et dabo eis cor carneum: 20. ut in præceptis meis ambulent, et judicia mea custodiant, faciantque ea: et sint mihi in populum, et ego sim eis in Deum.

XXXVI. 24. Tollam vos de gentibus, congregabo vos de universis terris, et adducam vos in terram vestram. 25. Et effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, et ab universis idolis vestris mundabo vos. 26. Et dabo vobis cor novum, et spiritum novum ponam in medio vestri: et auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum. 27. Et spiritum meum ponam in medio vestri: et faciam ut in præceptis meis ambuletis, et judicia mea custodiatis, et operemini. 28.... Et eritis mihi in populum, et ego ero vobis in Deum.

HEBR. X. 16. Hoc autem testamentum, quod testabor ad illos post dies illos, dicit Dominus, dando leges meas in cordibus eorum, et in mentibus eorum superscribam eas: 17. et peccatorum et iniquitatum eorum jam non recordabor ampliùs.

(I) ACT. II. 41. *Vide suprà hocce* 2. *litt.* (D)

(K) S. LEO. *Serm.* 73. *de Pentecoste* 1. *c.* 1. Hodiernam festivitatem, dilectissimi, in præcipuis festis esse venerandam Catholicorum corda cognoscunt: Nec dubium est quanta huic diei reverentia debeatur, quem Spiritus sanctus excellentissimo sui muneris miraculo consecravit. Nam

ab illo die, quo Dominus super omnem cœlorum altitudinem ad dexteram Dei Patris consessurus ascendit, decimus iste est, qui ab ejusdem Resurrectione quinquagesimus nobis in eo à quo cœpit, illuxit, magna mysteria in se et veterum sacramentorum continens et novorum: quibus manifestissimè declaratur et gratiam prænuntiatam fuisse per legem, et legem impletam esse per gratiam. Sicut enim Hebræo quondam populo ab Ægyptiis liberato, quinquagesimo die post immolationem agni lex data est in monte Sina; ita post Passionem Domini, quà verus Dei agnus occisus est, quinquagesimo à resurrectione ipsius die, in Apostolos plebemque credentium Spiritus sanctus illapsus est: ut facilè diligens Christianus agnoscat initia veteris testamenti Evangelicis ministrasse principiis, et ab eodem Spiritu conditum fœdus secundum, à quo primum fuerat institutum.

Cap. 2. * *Repleti sunt omnes Spiritu sancto, et cœperunt loqui aliis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis.* (*Act.* II. 4.) O quàm velox est sermo sapientiæ: et ubi Deus magister est, quàm citò discitur quod docetur! Non est adhibita interpretatio ad audiendum, non consuetudo ad usum, non tempus ad studium; sed spirante ubi voluit Spiritu veritatis propriæ singularum gentium voces, factæ sunt in Ecclesiæ ore communes. Ab hoc igitur die tuba Evangelicæ prædicationis intonuit; ab hoc die imbres charismatum, flumina benedictionum omne desertum, et universam aridam rigaverunt; quoniam ad renovandam faciem terræ *Spiritus Dei ferebatur super aquas:* (*Genes.* I. 2.) et ad veteres tenebras abigendas novæ lucis fulgura coruscabant, cùm micantium splendore linguarum, et verbum Domini lucidum, et eloquium conciperetur ignitum, cui ad creandum intellectum, consumendumque peccatum, et efficacia illuminandi et vis inesset urendi.

Cap. 3. Quamvis autem, dilectissimi, valdè fuerit ipsa rei gestæ forma mirabilis, nec dubium sit in illo omnium humanarum vocum exsultante conventu, majestatem Spiritûs sancti fuisse præsentem; nemo tamen in iis quæ corporeis visa sunt oculis divinam ejus putet apparuisse substantiam. Natura enim invisibilis, et cum Patre, et cum Filio communis, qualitatem muneris atque operis sui, quà voluit significatione monstravit; proprietatem verò essentiæ suæ in sua deitate continuit: quia sicut nec Patrem, nec Filium, ita nec Spiritum sanctum humanus potest visus attingere. In Trinitate enim divina nihil dissimile, nihil impar est: et omnia quæ de illa possunt substantia cogitari, nec virtute nec gloriâ, nec æternitate discreta sunt. Cumque in personarum proprietatibus alius sit Pater, alius sit Filius, alius Spiritus sanctus; non tamen alia deitas, nec diversa natura est. Siquidem cùm et de Patre sit Filius unigenitus, et Spiritus sanctus Patris Filiique sit Spiritus, non sicut quæcunque creatura, quæ et Patris et Filii est, sed sicut cum utroque vivens, et potens, et sempiternè ex eo, quod est Pater Filiusque subsistens. Unde cùm Dominus ante passionis suæ diem Discipulis suis sancti Spiritûs sponderet adventum: « * inquit, (adhuc) » multa » habeo vobis dicere, sed non potestis illa portare modò. Cùm autem » ille venerit Spiritus veritatis, ille diriget vos in omnem veritatem. » Non enim loquetur à semetipso, sed quæcunque audierit, loquetur, » et futura annuntiabit vobis. Omnia quæ habet Pater, mea sunt; propterea dixi, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis. (*Joan.* XVI. 13. » *et seq.*) » Non ergo alia sunt Patris, alia Filii, alia Spiritûs sancti; sed omnia quæcunque habet Pater, habet et Filius, habet et Spiritus sanctus. Nec unquamin illa Trinitate defuit ista communio: quia hoc est ibi omnia habere, quod semper existere. Nulla ibi tempora, nulli gradus, nullæ differentiæ cogitentur: et si nemo de Deo potest explicare quod est, nemo audeat affirmare quod non est. Excusabilius enim est de natura ineffabili non eloqui digna, quàm definire contraria. Quidquid itaque de sempiterna et incommutabili gloria Patris pia possunt corda concipere, hoc simul et de Filio, et de Spiritu sancto inseparabiliter atque indifferenter intelligant. Ideò enim hanc beatam Trinitatem, unum confitemur Deum, quia in his tribus personis, nec substantiæ, nec potentiæ, nec voluntatis, nec operationis est ulla diversitas.

Cap. 4. Sicut ergo detestamur Arianos, qui inter Patrem et Filium

aliquam volunt esse distantiam; ita etiam Macedonianos pariter detestamur, qui licèt Patri et Filio tribuant æqualitatem, Spiritum tamen sanctum inferioris putant esse naturæ, non considerantes eam blasphemiam se incidere, quæ neque in præsenti seculo, neque in futuro sit remittenda judicio, dicente Domino: *Quicunque dixerit verbum contra Filium hominis remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc seculo, neque in futuro.* (*Matth.* XII. 32.) Permanens itaque in hac impietate, sine venia est; quia exclusit eum à se per quem poterat confiteri: nec unquam perveniet ad indulgentiæ remedium, qui patrocinaturum sibi non habet advocatum. Ab ipso enim est invocatio Patris, ab ipso sunt lacrymæ pœnitentium, ab ipso sunt gemitus supplicantium. *Et nemo potest dicere Dominum Jesum, nisi in Spiritu sancto* (1. *Cor.* XII. 3.): cujus æqualem cum Patre et Filio omnipotentiam, unamque deitatem evidentissimè prædicat Apostolus, dicens: *Divisiones quidem gratiarum sunt, idem autem Spiritus: et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus: et divisiones operationum sunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus.* (1. *Cor.* XII. 4. *et seq.*)

Cap. 5. His, dilectissimi, aliisque documentis, quibus innumerabiliter divinorum eloquiorum coruscat auctoritas, ad venerationem Pentecostes unanimiter incitemur, exsultantes in honorem sancti Spiritûs, per quem omnis Ecclesia Catholica sanctificatur, omnis anima rationalis imbuitur: qui inspirator fidei, doctor scientiæ, fons dilectionis, signaculum castitatis, et totius est causa virtutis. Gaudeant fidelium mentes, quòd in toto mundo unus Deus, Pater et Filius et Spiritus sanctus, omnium linguarum confessione laudatur; quodque illa significatio, quæ in specie ignis apparuit, et opere perseverat, et munere. Ipse enim spiritus veritatis, facit domum gloriæ suæ luminis sui nitore fulgere: et in templo suo, nec tenebrosum aliquid vult esse, nec tepidum.... Pastorali vos sollicitudine cohortamur, ut si quid macularum proximis diebus negligentia incauta contraxit, id et jejunii censura castiget et devotio pietatis emendet.

Serm. 7a. *de Pentecoste* 2. *c.* 1. Plenissimè nobis, dilectissimi, causam atque rationem solemnitatis hodiernæ divinorum eloquiorum textus ostendit, quo sanctum Spiritum quinquagesimo post Domini Resurrectionem die, qui ab Ascensione ejus est decimus, infusum Christi Discipulis, sicut promissus sperabatur, agnovimus.

Cap. 2. Cùm igitur ad intelligendam dignitatem Spiritûs sancti oculos mentis intendimus, nihil diversum ab excellentia Patris et Filii cogitemus; quia in nullo ab unitate sua discrepat Divinitatis essentia. Sempiternum est Patri cœterni sibi Filii sui esse genitorem. Sempiternum est Filio intemporabiliter esse à Patre progenitum. Sempiternum quoque est Spiritui sancto, spiritum esse Patris et Filii: ut nunquam Pater sine Filio, nunquam Filius sine Patre, nunquam Pater et Filius fuerint sine Spiritu sancto: et omnibus existentiæ gradibus exclusis, nulla ibi persona sit anterior, nulla posterior. Hujus enim beatæ Trinitatis incommutabilis Deitas una est in substantia, indivisa in opere, concors in voluntate, par in potentia, æqualis in gloria.

Cap. 3.... Quod enim Pater est, hoc est et Filius, hoc est et Spiritus sanctus; et vera Deitas in nullo sese aut minor, aut major est, quæ sic in tribus confitenda est personis, ut et solitudinem non recipiat Trinitas, et unitatem servet æqualitas. Hàc, dilectissimi, fide firmiter apprehensâ, non ambigamus, quòd cùm in die Pentecostes Discipulos Domini Spiritus sanctus implevit, non fuit inchoatio muneris, sed adjectio largitatis; quoniam et Patriarchæ, et Prophetæ, et Sacerdotes, omnesque Sancti, qui prioribus fuere temporibus, ejusdem sunt Spiritûs sancti sanctificatione vegetati: et sine hac gratia, nulla unquam instituta Sacramenta, nulla sunt celebrata mysteria: ut eadem semper fuerit virtus charismatum, quamvis non eadem fuerit mensura donorum.

Cap. 4. Ipsi quoque beati Apostoli ante passionem Domini sancto Spiritu non carebant, nec potentiæ hujus virtutis aberat ab operibus Salvatoris. Et cùm Discipulis daret infirmitatum curationem, et ejiciendorum dæmonum potestatem, ejus utique Spiritûs largiebatur effectum, in quo ipsum immundis spiritibus imperantem Judæorum negabat

impietas, et Divina beneficia diabolo deputabat. Unde taliter blasphemantes meritò illam Domini excepere sententiam, quâ ait: *Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus; Spiritûs autem blasphemia non remittetur hominibus. Et quicunque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro.* (*Matth.* XII. 31. *et* 32.) Manifestum est peccatorum remissionem sine Spiritûs sancti advocatione non fieri, nec quemquam sine illo, sicut expedit, ingemiscere, aut, sicut oportet, orare, dicente Apostolo: *Quid enim oremus sicut oportet, nescimus, sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* (*Rom.* VIII. 26.) Et *nemo potest dicere Dominum Jesum nisi in Spiritu sancto.* (1. *Cor.* XII. 3.) Quo vacuari nimis exitiabile est, nimisque mortiferum; quia nunquam veniam meretur, qui ab intercessore deseritur.

Cap. 5. * *Cùm autem venerit Spiritus ille veritatis, ille vos diriget in omnem veritatem....* (*Joan.* XVII. 13.) Oportebat capacitatem eorum, qui docebantur, augeri et multiplicari constantiam illius charitatis, quæ omnem formidinem foràs mitteret, et furorem persequentium non timeret. Quod utique Apostoli, posteaquam Spiritûs sancti novâ abundantiâ sunt repleti, ardentiùs velle, et efficaciùs posse cœperunt, proficientes à præceptorum scientia ad tolerantiam passionum: ut sub nulla jam tempestate trepidantes, fluctus seculi et elationes mundi fide supergrediente calcarent, et morte contemptâ omnibus gentibus Evangelium veritatis inferrent.

Cap. 8.... Nos autem, dilectissimi, ad beatam æternitatem et animæ et carnis per regenerationem sancti Spiritûs adoptati, sacratissimum diei istius festum, rationabili obsequio, et castâ lætitiâ celebremus, confitentes cum beato Paulo Apostolo, quòd *Dominus Jesus Christus ascendens in altum, captivam duxit captivitatem: dedit dona hominibus.* (*Ephes.* IV. 8.)

Cap. 9. Ad præsentem autem solemnitatem etiam ista nobis adjicienda devotio: ut jejunium quod ex Apostolica traditione subsequitur celebremus; quia et hoc inter maxima sancti Spiritûs dona numerandum est, quòd nobis adversùm illecebras carnis et insidias diaboli jejuniorum sunt collata præsidia, quibus omnes tentationes, Deo adjuvante, vincamus.

Serm. 75. *in Pentecoste* 3. *cap.* 1. Hodiernam, dilectissimi, festivitatem toto terrarum orbe venerabilem, ille sancti Spiritûs consecravit adventus, qui post Resurrectionem Domini quinquagesimo die in Apostolos populumque credentium, sicut sperabatur, influxit. Sperabatur autem, quia illum Dominus Jesus spoponderat ad futurum, non ut tunc primùm esse Sanctorum habitator inciperet, sed ut sacrata sibi pectora et ferventiùs accenderet, et copiosiùs inundaret: cumulans sua dona, non inchoans: nec ideò novus opere, quia ditior largitate. Nunquam enim ab omnipotentia Patris et Filii, Spiritûs sancti est discreta majestas: et quidquid in dispositione omnium rerum agit divina moderatio, ex totius venit providentia Trinitatis. Una est ibi benignitas misericordiæ, una censura justitiæ, nec aliquid est in actione divisum, ubi nihil est in voluntate diversum. Quæ ergo illuminat Pater, illuminat Filius, illuminat Spiritus sanctus. Cumque alia sit persona missi, alia mittentis, alia promittentis, simul nobis et unitas manifestatur et Trinitas: ut essentia habens æqualitatem et non recipiens solitudinem, et ejusdem substantiæ, et non ejusdem intelligatur esse personæ.

Cap. 4. Cùm igitur ad confitendum Patrem et Filium et Spiritum sanctum aciem mentis intendimus: procul ab animo formas visibilium rerum, et ætates temporalium naturarum, procul corpora locorum, et loca corporum repellamus. Discedat à corde quod spatio extenditur, quod fine concluditur, et quidquid nec semper ubique, nec totum est. Cogitatio de deitate Trinitatis concepta, nihil per distantiam intelligat, nihil per gradus quærat. At si quid dignum de Deo senserit, nulli hoc ibi audeat negare personæ, tanquam honorificentiùs Patri adscribat, quod Filio Spirituique non tribuat. Non est pietas Unigenito præferre Genitorem. Filii contumelia, Patris est injuria: quod uni demitur, utrique detrahitur. Nam cùm illis et sempiternitas sit communis et Deitas, nec omnipotens Pater, nec incommutabilis æstimatur, si aut minorem se genuit, aut quem non habuit, habendo profecit.

Cap. 6. Non minuit in Deo misericordia potestatem, nec dilata reconciliatio creaturæ sempiternæ defectus est gloriæ. Quæ habet Pater, habet Filius, et quæ habet Pater et Filius, habet et Spiritus sanctus, quia tota simul Trinitas est unus Deus. Hanc autem fidem terrena sapientia non reperit, nec opinio humana persuasit : sed ipse unigenitus Filius docuit, ipse Spiritus sanctus instituit; de quo nihil est aliter quàm de Patre et Filio sentiendum. Quia licèt non sit Pater, non sit Filius, non tamen est à Patre Filioque divisus; et sicut propriam habet in Trinitate personam, ita unam habet in Patris et Filii Deitate substantiam, omnia implentem, omnia continentem, et cum Patre et Filio universa moderantem in secula. Amen.

S. Aug. *Serm.* 266. *In vigiliis Pentecostes*, *aliàs* 5. *inter editos ex Major. Carthus.* mss. *n.* 2. Solemnitatem modò celebramus adventûs Spiritûs sancti : nam die Pentecostes, qui dies jam cœpit, erant uno in loco centum viginti animæ, in quibus Apostoli, et mater Domini, et alii utriusque sexûs orantes et exspectantes promissum Christi, hoc est adventum Spiritûs sancti. Non erat inanis spes exspectantis, quia non erat fallax pollicitatio promittentis : quod exspectabatur advenit, et vasa munda, à quibus susciperetur, invenit. * *Visæ sunt illis linguæ divisæ velut ignis, qui et insedit super unumquemque eorum, et cœperunt loqui linguis, sicut Spiritus dabat eis pronuntiare.* (*Act.* II. 3.) Unusquisque homo linguis omnibus loquebatur, quia futura Ecclesia in omnibus linguis prænuntiabatur. Unus homo signum erat unitatis : omnes linguæ in uno homine, omnes gentes in unitate.

Serm. 267. *aliàs de tempore* 186. *c.* 1. *n.* 1. Hodierni diei solemnitas Domini Dei magni et magnæ gratiæ quæ superfusa est super nos recordationem facit. Ideò enim solemnitas celebratur, ne quod semel factum est, de memoria deleatur.... Celebramus hodie adventum Spiritûs sancti : Dominus enim Spiritum sanctum de cœlo misit, quem in terra promisit.... Hoc ergo promissum exspectantes in una domo erant, orabant : quia desiderabant, jam ipsâ fide, quod ipsâ oratione, ipso spiritali desiderio, utres novi erant, vinum novum de cœlo exspectabatur, et venit.

Cap. 2. *n.* 2. Magnum miraculum. Omnes qui aderant, unam linguam didicerant. Venit Spiritus sanctus, impleti sunt, cœperunt loqui linguis variis omnium gentium, quas non noverant, nec didicerant; sed docebat ille qui venerat; intravit, impleti sunt, fudit. Et tunc hoc erat signum, quicunque accipiebat Spiritum sanctum, subitò impletus Spiritu linguis omnium loquebatur.... Docent nos litteræ ipsæ, postea crediderunt homines, baptizati sunt, acceperunt Spiritum sanctum, linguis omnium gentium locuti sunt.

Cap. 3. *n.* 3. *Accipietis virtutem Spiritûs sancti*, *supervenientis in vos*, *et eritis mihi testes in Jerusalem*, *et in tota Judæa et Samaria et usque in fines terræ.* (*Act.* I. 7. 8.) Ecclesia tunc in una domo erat, accepit Spiritum sanctum : in hominibus paucis erat, in linguis totius orbis erat. Ecce quod prætendebat modò. Nam quòd illa Ecclesia parva linguis omnium gentium loquebatur, quid est, nisi quod Ecclesia ista magna à solis ortu usque ad occasum linguis omnium gentium loquitur? Modò impletur quod tunc promittebatur, audivimus, videmus. *Audi filia*, *et vide* (*Ps.* XLIV. 11.) : ipsi Reginæ dictum est, *Audi filia*, *et vide* : audi promissum, vide completum.

Cap. 4. *n.* 4. Si vultis habere Spiritum sanctum, intendite, Fratres mei : spiritus noster quo vivit omnis homo, anima vocatur : spiritus noster quo vivit singulus quisque homo anima vocatur : et videtis quid faciat anima in corpore. Omnia membra vegetat, per oculos videt, per aures audit, per nares olfacit, per linguam loquitur, per manus operatur, per pedes ambulat : omnibus simul adest membris, ut vivant : vitam dat omnibus, officia singulis.... Sic est Ecclesia Dei : in aliis sanctis facit miracula, in aliis sanctis loquitur veritatem, in aliis sanctis custodit virginitatem, in aliis sanctis custodit pudicitiam conjugalem, in aliis hoc, in aliis illud : singuli propria operantur, sed pariter vivunt. Quod autem est anima corpori hominis, hoc est Spiritus sanctus corpori Christi, quod est Ecclesia : hoc agit Spiritus sanctus in tota Ecclesia, quod agit anima in omnibus membris unius corporis.

Serm. 268. *in die Pent.* 2. *aliàs* 20. *ex Sirm. n.* 1. Propter adventum Spiritûs sancti hodiernus dies solemnis est nobis à resurrectione Domini quinquagesimus. Quid ipse adventus Spiritûs sancti, quid egit? Præsentiam suam undè docuit? undè monstravit? Linguis omnium gentium loculi sunt omnes.... Quid ergo, singuli in quos venit Spiritus sanctus, singulis linguis omnium gentium sunt locuti, illi aliâ linguâ, et illi aliâ, et quasi diviserunt inter se linguas omnium gentium? Non sic: sed unusquisque homo, unus homo linguis omnium gentium loquebatur. Loquebatur unus homo linguis omnium gentium: unitas Ecclesiæ in linguis omnium gentium. Ecce et hic unitas Ecclesiæ catholicæ commendatur toto orbe diffusæ.

N. 2. Qui ergo habet Spiritum sanctum, in Ecclesia est, quæ loquitur omnium linguis. Quicumque præter hanc Ecclesiam est, non habet Spiritum sanctum. Ideò enim Spiritus sanctus in omnium linguis gentium se demonstrare dignatus est, ut ille se intelligat habere Spiritum sanctum, qui in unitate Ecclesiæ continetur, quæ linguis omnibus loquitur. *Unum corpus*, Paulus dicit Apostolus: *unum corpus, et unus spiritus.* (*Ephes.* IV. 4.) Membra nostra attendite. Multis membris constitutum est corpus, et vegetat membra omnia unus spiritus.... Quod est spiritus noster, id est anima nostra, ad membra nostra: hoc Spiritus sanctus ad membra Christi, ad corpus Christi, quod est Ecclesia. Ideò Apostolus, cùm corpus unum nominasset, ne intelligeremus mortuum corpus: *unum*, inquit, *corpus.* Sed rogo te, vivit hoc corpus? Vivit. Undè? De uno spiritu. *Et unus Spiritus.*

N. 4. Ecce hodierno die adveniente, Spiritu sancto implentur omnes qui aderant, loquuntur linguis omnium gentium. Item ipsa unitas per linguas omnium gentium commendatur, commendatur à Domino resurgente: commendatur à Christo ascendente: confirmatur à Spiritu sancto hodie veniente.

Serm. 269. *in die Pentecostes* 3. *aliàs* 21. *ex Sirmond. n.* 1. Adventum Spiritûs sancti anniversariâ festivitate celebramus. Non desit obsequium linguæ nostræ ei, qui et linguas omnes indoctis donavit, et linguas doctorum in omnibus gentibus subjugavit, et diversas linguas gentium ad unitatem fidei congregavit. * *Factus est* enim *subitò de cœlo sonus, quasi ferretur flatus vehemens, et visæ sunt illis linguæ divisæ, velut ignis, qui et insedit super unumquemque eorum, et cœperunt linguis loqui, quemadmodum Spiritus dabat eis pronuntiare.* (*Act.* II. 2. *et seq.*) Flatus enim ille non inflavit, sed vegetavit: ignis ille non cremavit, sed excitavit. Impletum est in eis quod fuerat tantò antè prophetatum, *Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum:* (*Ps.* XVIII. 4.) ut deinde ad prædicandum Evangelium distributi, quod sequitur, facerent, *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum.* (*Ibid.* 5.) Quid enim aliud Spiritus sanctus prænuntiabat in linguis omnium gentium, quas donabat eis, qui unam tantùm suæ gentis linguam didicerant, quod judicium præsentiæ suæ tunc esse voluit, nisi omnes gentes Evangelio crediturus, ut primò unusquisque fidelium, postea verò ipsa unitas Ecclesiæ linguis omnibus loqueretur?

Serm 270. *in die Pentecostes* 4. *aliàs* 22. *ex Sirmond. n.* 1. Quoniam sanctam solemnitatem celebramus diei tam sanctæ, ut hodie venerit ipse Spiritus sanctus, admonet nos tam festiva et grata solemnitas, de ipso dono Dei, gratiâ Dei, et abundantiâ misericordiæ ejus in nos, id est, de ipso Spiritu sancto aliquid loqui.

N. 2. *Expedit enim vobis ut ego vadam. Nisi ego abiero, Paraclitus non veniet ad vos.* (*Joan.* XVI. 7.) Nisi aspectibus carnalibus vestris humana forma subtrahatur, divinum aliquid capere, sentire, cogitare minimè poteritis. Hoc sit satis. Indè oportebat, ut post resurrectionem et ascensionem Domini Jesu Christi, ejus de Spiritu sancto promissio compleretur. Sic enim et ipse Joannes Evangelista ex persona sua dixerat, quando Jesus eumdem significans Spiritum sanctum clamaverat, dicens, * *Si quis sitit, veniat ad me, et bibat; et flumina aquæ vivæ fluent de ventre ejus.* (*Joan.* VII. 37. *et* 38.) Secutus enim Evangelista ait, (*Ibid.* 39.) * *Hoc autem dicebat de Spiritu, quem accepturi erant ii, qui in eum crediturus erant. Nondum enim erat Spiritus datus, quia Jesus nondum fuerat glori-*

fcatus. Glorificatus est ergo Dominus noster Jesus Christus resurrectione et ascensione, et misit Spiritum sanctum.

N. 3. Missus est Spiritus sanctus, ut lex impleretur, et fieret quod ipse Dominus dixerat, (*Matth.* v. 17.) *Non veni legem solvere, sed adimplere.* Hoc donat credentibus, hoc donat fidelibus, hoc donat eis quibus dat Spiritum sanctum. Quantò fit eo quisque capacior, tantò ad operandam legem fit facilior.

N. 4. Dico enim dilectioni vestræ, quod et vos considerare, et facilè videre poteritis: charitas implet legem... Si ergo charitas implet legem... undè est ista charitas? Recolite, advertite, et videte, quia donum Spiritûs sancti est charitas. *Charitas enim Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* (*Rom.* v. 5.)

N. 5. * *Implevit eum spiritus sapientiæ et intellectûs.* (numera) *consilii et fortitudinis, scientiæ et pietatis, spiritus timoris Dei.* (*Isaï.* xi. 2.) Veluti descendens ad nos gratia spiritalis, à sapientia incipit, terminat ad timorem. Nos autem ascendentes, ab imo ad summa tendentes, incipere debemus à timore, et terminare ad sapientiam. *Initium* enim *sapientiæ timor Domini.* (*Psal.* cx. 10.)

N. 6. Spiritus sanctus ex multis in unum colligit nos: capitur autem per humilitatem, repellitur per superbiam... Undè dictum est: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* (*Jacob.* iv. 6.) Quid est, *dat gratiam*? Dat Spiritum sanctum. Implet humiles, quia capaces invenit.

Serm. 271. *aliàs de tempore* 187. *in die Pentecostes* 5.... Celebramus istum diem quo Dominus Jesus Christus post Resurrectionem, Ascensione glorificatus, misit Spiritum sanctum... Flatus ille à carnali palea corda mundabat; ignis ille fenum veteris concupiscentiæ consumebat. Linguæ illæ quibus loquebantur à Spiritu sancto impleti, per omnium gentium linguas futuram Ecclesiam præsignabant... Vos autem membra corporis Christi, germina unitatis, filii pacis, hunc diem agite læti, celebrate securi.

S. Joan. Chrysost. *de sancta Pentecoste serm.* 36. *de diversis N. T. locis.* Vultis nosse festivitatem hanc etiam hodiernam singulis diebus impleri posse, immò verò singulis diebus esse? Videamus, quænam illius sit occasio, et cujus rei gratiâ ipsam agamus. Quia nimirùm Spiritus sanctus advenit: nam quemadmodum cum fidelibus est hominibus unigenitus Dei Filius, ita quoque Spiritus Dei. Undè hoc constat? *Qui diligit me, mandata mea servabit: et ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, spiritum veritatis...* (*Joan.* xiv. 15. *et seq.*) Semperque possumus Pentecosten celebrare: atque ut intelligatis nobis semper festum agitare licere, neque determinatum esse tempus, neque nos temporis necessitate coarctari, quid Paulus dicat, audite. * Itaque festum agitemus (1. *Cor.* v. 8.): tametsi non erat tum festivitas: cùm hæc scriberet, non erat Pascha, non erat Pentecoste; sed indicat non tempus, sed conscientiam mundam festum efficere. Nihil enim aliud est festum quàm lætitia: spiritualem verò lætitiam nihil aliud gignit, quàm conscientia bonorum operum: porrò is, cui bona sit conscientia, et talia opera, festum agere semper potest. Hoc igitur ipsum indicans Paulus dicebat: Itaque festum agitemus *non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ et nequitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis.* (*Ibid.*) Vides ut temporum necessitate nequaquam te constrinxerit, sed ad puram habendam conscientiam fuerit cohortatus? Vellem equidem totum in hoc sermonem consumere: qui enim quosdam post longum temporis intervallum in manus sumpserint, eos facilè non dimittunt: quando igitur vos, qui post annum adestis, intra retia nostra cepimus, hodie dimittere minimè volumus; sed ne sermonis de hoc festo recedatis experles, ab hac cohortatione ad festivitatis occasionem oratio traducenda est. Multa quidem sæpenumerò de cœlo in terram generi humano delapsa sunt bona; qualia verò demissa sunt hodierno die, nunquam antea: cognoscite igitur qualia priùs et qualia hodierno die, ut et utrorumque discrimen animadvertatis. Pluit in terram manna Deus, et panem cœli dedit eis: panem enim Angelorum manducavit homo (*Psal.* lxxvii. 24.), res procul dubio magna est. Deique digna benignitate: postea de cœlo demissus est ignis, et Judaicum popu-

§. 15. De Festo Corporis Christi.

I. Quânam die celebratur festum solemne sacro-sancti Eucharistiæ mysterii?

R. Feriâ quintâ post octavam Pentecostes : diciturque festum hoc festum Corporis Christi : quia sacro-sanctum Corpus Christi sub specie panis et vini reipsà continetur.

I. Cur hoc festum non celebratur feriâ quintâ majoris hebdomadæ, quâ die Christus hoc sacramentum instituit?

R. Celebrat quidem Ecclesia et illâ die festum institutionis sacro-sanctæ Eucharistiæ ; sed quia tunc maximè recolit Christi dolores et mortem, ideò diem aliam cum octava deligendam esse censuit, in qua illius tanti mysterii institutio specialiùs et solemniùs ageretur.

Rem sic explicat S. Thomas. (*In Offic. SS. Sacramenti Opusc.* 57.) « Etsi, inquit, in die cœnæ quando sacramentum » prædictum noscitur institutum, inter Missarum solemnia » de institutione ipsius specialis mentio habeatur : totum » tamen residuum hujus diei officium ad Christi passionem » pertinet, circa cujus venerationem Ecclesia illo tempore » occupatur. Ut autem integro celebritatis officio institutionem tanti sacramenti recoleret plebs fidelium, Romanus » Pontifex Urbanus quartus hujus sacramenti devotione » affectus, piè statuit præfatæ institutionis memoriam primâ » quintâ feriâ post octavas Pentecostes à cunctis fidelibus » celebrari, ut qui per totum anni circulum hoc sacramento » utimur ad salutem, hujus institutionem illo tempore spe-

lum errantem correxit, ac sacrificium abripuit ab altari. (3. *Reg.* XVIII. 38.) Omnibus rursùs fame labescentibus demissa est pluvia, multamque frugum attulit ubertatem : magna sunt hæc et admirabilia, sed multò majora sunt præsentia : non manna, ignis, et pluvia demissa est hodie, sed imber spiritualium donorum, nimbi desuper sunt dejecti, quibus non jam ad fruges proferendas tellus excitatur, sed naturæ persuadetur humanæ, ut virtutis fructum hominum agricolæ reddat, quique guttam inde exceperant, naturæ suæ confestim oblivisceb antur ; et Angelis omnis terra subitò replebatur, angelis non cœlestibus, sed qui humano in corpore potestatum incorporearum virtutem exhiberent. Non enim illi deorsùm descenderunt, sed quod mirabilius fuit, qui deorsùm erant, ad illorum virtutem ascenderunt : non enim carne depositâ nudis animabus incedebant, sed naturam retinentes animi proposito Angeli fiebant... Natura nostra ante decem dies ad regium thronum ascendit, et hodierno die Spiritus sanctus ad naturam nostram descendit : primitias nostras Dominus in cœlum evexit, et Spiritum sanctum demisit. Alter est Dominus, qui hæc dona distribuit ; nam Spiritus sanctus est Dominus, et dispensationem nostrâ causâ susceptam Pater et Filius et Spiritus sanctus inter se diviserunt : nondum decem elapsi dies erant, ex quo Christus ascenderat, et spiritualia nobis dona misit, reconciliationis illius munera. Nam ut ambigeret nemo et quæreret, quid tandem in cœlos ascendens Christus egisset, num Patri nos reconciliasset, num propitium ipsum reddidisset, ut nobis ostenderet se naturæ illum nostræ placatum reddidisse, confestim nobis reconciliationis illius dona misit. Cùm enim unîti sunt et reconciliati inter se inimici, post reconciliationem statim sequuntur invitationes, convivia, et munera. Misimus ergo nos fidem, et indè Spiritûs dona recepimus : misimus obedientiam, et justitiam recepimus.

» cialiter recolamus, quo Spiritus sanctus corda Discipulo-
» rum edocuit ad plenè cognoscenda hujus mysteria sacra-
» menti : nam et in eodem tempore cœpit hoc sacramentum
» à fidelibus frequentari. »

I. Cur et quando Urbanus IV. hoc festum instituit?

R. Instituit illud anno 1262. (A) ut obsisteret errori eorum

(A) D. Edm. Martenne *Lib. de antiq. Eccles. discipl. in divin. celebrandis offic. cap.* 29. *n.* 1. Festum sacratissimi Corporis Christi primam sui originem debet Leodiensibus, qui ante omnes Ecclesias illud receperunt, hortante præsertim beatissimâ virgine Juliânâ Montis-Cornelii apud Leodium sanctimoniali, et promovente Roberto, ejusdem civitatis Episcopo : cui cùm Julianæ de instituenda nova festivitate votum complacuisset, ut habent acta S. Julianæ apud Bollandum 5. Aprilis, universis Ecclesiasticis personis suæ Diœceseos, per elegantem Epistolam præcepit, ipsam solemnitatem singulis annis die ad hoc statuto cum officio celebrari, et ab eorum plebibus, sicut diem Dominicam, ab omni servili opere inviolabiliter observari. Atque ut res faciliori negotio exsecutioni demandaretur, circiter viginti officia ipsius festivitatis fecit de proprio conscribi, volens ea ad habendam copiam per loca distribui opportuna. Officium istud aliud fuisse nobis minimè videtur, quàm illud quod ad S. Julianæ preces quidam Joannes conscripsit, de quo in ms. Vallis-rubeæ hæc leguntur : Hoc officium incipit : *animarum cibus*, et reperitur plenum in urbe Tungrensi et aliis locis. Deindè Urbanus IV. Officium quod ubique cantatur instituit. Addit Chapeauvilla, illud officium haberi in Ecclesia collegiata S. Martini, et parochiali S. Joannis Baptistæ Leodii, et pluribus Ecclesiis Leodiensis Diœcesis.

N. 2. Porrò ne pissimo fraudaretur voto Robertus, et ne quisquam negligentium Prælatorum de ignorantia se posset excusare, proposuit in generali sua Synodo, quæ singulis annis convenientibus Ecclesiarum Rectoribus et Conciliorum Decanis in unum fieri solet, quod per Epistolam statuerat vivâ voce solemniter publicare. Verùm ipse morte præventus, sanctum haud quaquam potuit adimplere propositum. At Hugo S. R. E. Cardinalis ad partes Alemanniæ à summi Pontificis latere destinatus, hoc in se suscepit negotium, primusque in S. Martini Ecclesiâ Leodiensi festum illud et promulgavit et celebravit : diem quoque quo per annos singulos celebrari deberet instituit, et ab omnibus ad hoc præparatis, quorum Deus corda tangeret, licentiam tribuit percipiendi singulis annis ipso solemnitatis die SS. Corpus Christi.... Ad ipsius etiam Cardinalis exhortationem Canonici majoris Ecclesiæ Leodiensis, dicto Cardinali in partibus ipsis adhuc agente, præmissam solemnitatem in officio plenario celebrarunt. Neque his contentus Hugo, sed antequam ad Romanam curiam reverteretur, dictæ solemnitati providere studuit in futurum. Nam à cunctis Ecclesiarum Rectoribus et Prælatis, et aliis Christi fidelibus infra legationis suæ terminos constitutis, ipsam statuit celebrandam, eamdem fieri rogans et præcipiens et injungens singulis annis die ad hoc præfixâ cum proprio officio ipsi solemnitati deputato. Cardinalis litteras ad omnes Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, Decanos, Archidiaconos etc. infra terminos suæ legationis exhibent acta S. Julianæ. Postmodum verò, ut inquiunt, eadem acta, cùm Reverendus Pater Petrus ad Velum-aureum Diaconus Cardinalis, Apostolicæ sedis Legatus Leodium advenisset, diclam solemnitatem confirmavit, et de eadem Epistolam composuit elegantem.

N. 3. Ut autem firmior et inconvulsa præfata institutio per futura sæcula permaneret, Stephanus Canonicus Leodiensis unà cum Maria sorore sua non infimam bonorum suorum partem Ecclesiæ S. Martini contulit, quò in perpetuum solemni ritu in ea celebraretur. Joannes verò de Landuno Ecclesiæ prædictæ Canonicus Octavam Corporis Christi fundavit. Sed tandem Jacobus de Trecis Ecclesiæ Leodiensis Archidiaconus factus summus Pontifex Urbanus IV. festum Corporis Christi per universam Ecclesiam celebrari mandavit datâ Bullâ Septembris die 8. anni 1262. quam postmodum Clemens Papa V. confirmavit in Concilio

qui negare tunc temporis ausi sunt Christum esse realiter, ut vocant, et substantialiter præsentem in Eucharistia. Primus errorem hunc docuerat Berengarius Andegavensis Archidiaconus an. 1004. Sed postmodum facti pœnitens hæresim ejuravit, et Catholicus obiit : nec propterea exstinctus error est. Sectatores habuit Berengarius, qui errantem quidem, sed non pœnitentem magistrum secuti sunt. Tandemque penè sopitus error suscitatus est denuò à Zuinglio, Calvino, cæterisque sacramentariis Hæreticis. (B)

Viennensi, ad cujus constitutionem Glossa hæc habet : « Quia illa constitutio Urbani non fuit recepta ab omnibus, ideò Clemens Papa V. innovavit illam constitutionem, et illam præcepit ab omnibus observari. » In Galliis tamen ante annum 1318. haud quaquam receptam fuisse docet Papyrius Massonius in lib. 5. de Episcopis Urbis in vita Urbani IV.

(B) BARONIUS *tom.* 11. *ann. Christi* 1004. *pag.* 21. *edit. Vaticanæ ann.* 1605. *in fol. edit. colon.* 25. Jam viperini fœtus è portis inferi, tanquam e matris utero enixi, in damnum Ecclesiæ emittebantur, qui se spiris sinuosis inferebant in sancta, ut sanctum sanctorum, sacramentum sacramentorum si possent, auferrent ab ea.... Et si (*Leuthericus Senonensis Archiepiscopus*) tacuit ipse, reprehensus à Rege (*Roberto*) timore pœnæ, ne irâ regis caderet ab amplissimâ dignitate, et careret cathedrâ : haud serpens rumor ille est omninò repressus, sed paulatim in dies crescens, in manifestam tandem erupit hæresim sub patrocinio infelicissimi Berengarii.... Adelmanus Episcopus Brixiensis postea adversùs eum disertam valdè scripsit Epistolam, in qua habet inter alia ista quidem memoriâ digna.

V. 7. « Averlat Dominus à te, sancte Frater, semitas tales, et convertat pedes tuos in testimonia sua, et mendaces ostendat, qui famam tuam tam fœdâ labe maculare nituntur, spargentes usquequaque ut non solùm Latinas, verùm etiam Teutonicas aures, inter quas diu peregrinor, repleverint, quasi te ab unitate sanctæ matris Ecclesiæ divulseris et de corpore et sanguine Domini, quod quotidie in universa terra super sanctum altare immolatur, aliter quàm fides Catholica teneat, sentire videaris : hoc est, ut illorum de te dictis utar, non esse verum Corpus Christi, neque verum Sanguinem, sed figuram quamdam et similitudinem.

Ann. 1028. *edit. Rom. pag.* 94. *colon.* 99. Qui (*Fulbertus Episcopus Carnotensis*) moriens, haud dubium testimonium reliquit de Berengario olim suo discipulo. Nam.... cùm in extremis positum multi visitarent, et ædium capacitas vix confluentibus capiendis sufficeret : ille inter oppositas catervas oculis rimatus Berengarium, visu quo potuit expellendum censuit, quo testatus, immanem dæmonem prope eum consistere, multosque ad eum sequendum blandiente manu et illicitè corrumpere.

Anno 1035. *edit. Rom. pag.* 124. *colon.* 130. Berengarius Turonensis Andegavensis Archidiaconus, cujus error de veritate Corporis Christi in sacramento Eucharistiæ negata fuerat.... à Roberto Rege damnatus, ut nedum asseri, sed nec audiri eo vivente permissus sit : eo jam defuncto, liberiùs absque obice hæresim promulgare atque firmare ausus est, annitente Brunone Andegavensi Episcopo.... Cùm verò nefandæ blasphemiæ rumor jam Gallias universas implesset, necnon et Germanias pervasisset; Henricus I. Francorum Rex Christianissimus Roberti parentis ut regni ita et pietatis hæres, ejus exemplo ad condemnandum errorem, profligandam hæresim, penitùsque obruendam, ut nullatenus amplius audiretur ociùs exsurrexit, quamvis suorum civili bello teneretur jugiter occupatus; probè sciens, tunc reddi sibi Deum propitium ad debellandos infestos hostes, cùm emergentes hæreses comprimuntur, et regiâ potestate, ne vel mutire audeant, continuò strangulantur : reddique tunc pacificum, atque divinâ protectione securum regnum cùm rex sollicitè curat ejus Ecclesiam ab omni prorsus hæresis labe

appellatam, integramque servare. Quamobrem paterno exæstuans zelo, impiger ad conficiendum monstrum, ab inferis portis nuper emersum et magnâ omnium admiratione, sed majori detestatione auditum.... totius regni Episcopos ad Concilium vocat. *Verùm* acceptis à Durando Leodiensi Episcopo Henricus Rex Francorum litteris, benè à tanto Antistite persuasus, à cœptis creditur destitisse : non enim ipse dum vixit, aliquod fuisse contra Berengarium et socium impietatis collectum Concilium, memoria reperitur, sicut aliorum Conciliorum longè minoris momenti. Sed et quod, dum idem Christianissimus Rex superstes fuit, nunquam auditus est Berengarius, vel ex suis aliquis quid impium moussitasse ; æquè coërcitos funestos homines regiâ jussione fuisse, par est credere, atque petiisse abdita silvarum bestias truculentas, est dignum existimare : interea verò spumante ore, rabie acuisse dentes ad nova certamina, eventa monstrarunt.

Ann. 1050. *n.* 2. Quæ ex Lanfranco in commentario contra Berengarium de hac eadem Synodo Romana, cui ipse interfuit, didicimus, in medium sic afferimus. Ait enim : « Tempore sancti Leonis Papæ delata » est hæresis tua, *alloquitur Berengarium ipsum*, ad Apostolicam sedem. » Qui cum synodo præsideret, ac resideret secum non parva multitudo » Episcoporum, Abbatum, diversique ordinis è diversis regionibus reli- » giosarum personarum ; jussum est in omni audientia recitari, quas mihi » de corpore et sanguine Domini litteras transmisisti. Portitor quippe » earum legatus tuus me in Northmannia non reperto, tradidit eas » quibusdam Clericis. Quas cùm legissent, et contra usitatissimam » Ecclesiæ fidem scriptas animadverlissent, zelo Dei accensi, quibus- » dam ad legendas eas porrexerunt. Itaque factum est, ut non deterior » de te quàm de me fuerit exorta suspicio, ad quem videlicet tales litte- » ras destinaveris, putantibus multis, me fovere ac favere, quæ à te » dicerentur, vel gratiâ quâ te diligerem, vel fide quâ reverâ ita esse » indubitanter tenerem. Igitur cùm à quodam Rhemensi Clerico Romam » perlatas recitator legerat, intellecto quod Joannem Scotum extolleres, » Paschasium damnares, communi de Eucharistia fidei adversa sentires : » promulgata est in te damnationis sententia, privans te communione » sanctæ Ecclesiæ, quam tu privare sanctâ ejus communione satagebas. » Post hæc præcepit Papa ut surgerem, pravi rumoris à me maculam » abstergerem, fidem meam exponerem, expositam plus sacris auctori- » tatibus, quàm argumentis probarem. Itaque surrexi ; quod sensi, dixi ; » quod dixi, probavi : quod probavi, omnibus placuit, nulli displicuit. » Hactenus de Synodo Romana Lanfrancus, in qua damnato, ut vidisti, Berengario ipse Lanfrancus absolutionis sententiam retulit.

N. b. Quæ autem contra eumdem Berengarium post hæc actitata sint eodem anno in Concilio Vercellensi, à Lanfranco sic accipe : « Dehinc » declarata est Synodus Vercellensis, quæ tunc proximo septembri » eodem præsidente Pontifice, est celebrata Vercellis, ad quam vocatus » non venisti. Ego verò præcepto et precibus præfati Pontificis usque » ad ipsam Synodum secum remansi. In qua inaudientia omnium, qui » de diversis hujus mundi partibus illùc convenerant, Joannis Scoti liber » de Eucharistia lectus est ac damnatus : sententia tua exposita ac dam- » nata. Fides sanctæ Ecclesiæ, quam ego teneo, et tenendum adstruo, » audita, et concordi omnium sensu confirmata. Duo clerici, qui legatos » tuos se esse dixerunt, volentes te defendere, in primo statim auditu » defecerunt, et capti sunt. Ab hac sententia nunquam discessit sanctus » Leo in omnibus suis Conciliis, seu quibus ipse præsentiam suam » exhibuit, seu quæ per Legatos suos in diversis provinciis congregari » instituit. Quæ sententia non effugit successorem quoque suum felicis » memoriæ papam Victorem. »

Ann. 1059. *n.* 11. De numero Episcoporum, qui huic Concilio interfue- runt, Algerus sic habet : « Quod ut certiùs innotescat fidelibus, Beren- » garii Andegavensis Hæretici confessio, quam de hujus rei Catholicâ » fide scripsit Romæ præsente Nicolao Papâ, et coram centum trede- » cim Episcopis jurejurando firmavit, ad medium deferatur, etc. » Eadem de numero habet Lanfrancus : idemque Concilium à Guitmundo hujus temporis nobilissimo Scriptore generale nominatur. Ait enim :

« Reversusque aliquantò post ad vomitum suum, agente sanctæ recordationis Nicolao Papa, in generali Concilio Romæ iterùm confutatur, etc. » In fragmentis verò historiæ Francorum ad Glabrum appositis hæc legunlur de ipso : « Qua de causa à Nicolao Papa evocatus » Romam petiit, ubi in præsentia ejusdem Papæ, et multorum Episcoporum examinatus, suum confitens anathematizavit errorem, Joannem Scotum igni comburens, cujus lectione ad hanc nefariam devolutus fuerat sectam. »

N. 2. De facta autem tunc in eodem Concilio per ipsummet Berengarium combustione librorum, habet ista Lanfrancus : « A beatæ memoriæ Nicolao totius Christianis nominis summo Pontifice, et à centum tredecim Episcopis Romæ audita, examinata atque damnata sunt. Tu quoque inclinato corpore, sed non humiliato corde ignem accendisti, librosque perversi dogmatis in medio sancti Concilii in cum conjecisti, jurans per id, quod rebus omnibus incomparabiliter majus est, fidem à Patribus, qui præsentes erant, traditam inviolabiliter servaturum, veteremque doctrinam tuam de corpore et sanguine Domini ab illa die aliis non prædicaturum. » Quibusnam verbis conceptum fuerit ejusmodi Berengarii jusjurandum, cùm in pleno Concilio est detestatus errorem, fidemque Catholicam professus, hic ex Lanfranco, qui recitat, describendum putamus. Sic se habet : *Ego Berengarius, etc.* Vide sic infrà.

N. 13. Quod jubente Nicolao Papa, universoque Concilio, ab Humberto Episcopo Cardinali scriptum, et ab ipso Papa, universoque Concilio recognitum, atque probatum antea fuerat. Testatur hæc idem Lanfrancus, cùm ista mox subjicit, causam ejusmodi conscribendi per Humbertum confessionem retexens, his verbis Berengarium ipsum compellans.

N. 14. « Cùm ergo venisses Romam, fretus iis, qui plus impensis à te » beneficiis, quàm ratione à te auditâ, opem tibi promiserant, non » ausus defensare, quod antea senseras : postulasti Nicolaum pontificem, » ejusque Concilium, quatenus fidem, quam teneri oporteret verbis » tibi traderet, scripturâ firmaret. Injuncta est hujus rei causa Humberto Episcopo. Itaque verba fidei superiùs comprehensa scripsit, » recitavit, assensu omnium ad legendum, et confitendum tibi tradidit. Tu verò acquiescens accepisti, legisti, confessus es, te ita credere » jurejurando confirmasti, tandem manu propriâ subscripsisti. Nicolaus Papa gaudens de conversione tua, jusjurandum tuum conscriptum misit per urbes Italiæ, Galliæ, Germaniæ, et ad quæcunque » loca fama tuæ pravitatis antea potuit pervenire ; ut sicut Ecclesiæ » scandalizatæ priùs dolebant de te averso atque adverso, ita postea » gauderent gratiasque Deo agerent de te reverso atque converso. Cur » ergo scriptum hoc magis adscribis Humberto Episcopo, quàm tibi ; » quàm Nicolao pontifici ; quàm ejus Concilio ; quàm denique omnibus » Ecclesiis, quæ id cum debita reverentia susceperunt, et pro conversione tuâ Deo gratias retulerunt? »

N. 15. Quid igitur? Versipellis homo, versutus hæresiarcha, veternosus serpens non sic deposuit ibi vetera spolia, ut etiam venena dimiserit : sed ut innovatus squamis in percussores ardentiùs insiliret, quod declaravit eventus. Etenim ut abunde Lanfrancus docet, post Romanum Concilium, ubi quæ vellet scribendi liberam facultatem nactus esset infelix, scripsit invectivam adversùs eam, quam in hoc ipso Concilio legit, probavit, juramento firmavit, atque subscripsit, fidei Catholicæ confessionem, conversus in Humbertum, qui eam scripsisset, et in Romanam Ecclesiam, cujus auctoritate fecisset.

Ann. 1059. Mense Aprili.... Romæ in Laterano celebratum liquet ab eodem Nicolao II. Papa generale Concilium, ad quod reus dicturus causam vocatus est Berengarius ille, Turonensis patriâ, Archidiaconus Andegavensis, sæpè damnatus Hæresiarcha..... suum confitens anathematizavit errorem. « Ego Berengarius indignus Diaconus Ecclesiæ » sancti Mauritii Andegavensis, cognoscens veram et Apostolicam fidem » anathematizo omnem hæresim, præcipuè eam de qua hactenus infamatus sum. Quæ adstruere conatur panem et vinum, quæ in altarâ

» ponuntur, post consecrationem solummodò sacramentum, et non » verum corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi esse, nec posse » sensualiter nisi in solo sacramento manibus Sacerdotum tractari, vel » frangi, vel fidelium dentibus atteri. Consentio autem sanctæ Romanæ » Ecclesiæ Apostolicæ sedi, et ore et corde profiteor de sacramento » Dominicæ mensæ eam fidem me tenere, quam dominus et venerabilis » Papa Nicolaus, et hæc sancta Synodus auctoritate Evangelicâ et Apos- » tolicâ tenendam tradidit, mihique firmavit : scilicet panem et vinum, » quæ in altari ponuntur, post consecrationem non solùm sacramentum, » sed etiam verum corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi esse : » et sensualiter non solùm sacramento, sed in veritate manibus sacer- » dotum tractari, frangi, et fidelium dentibus atteri, jurans per sanc- » tam et homousion Trinitatem, et per hæc sacro-sancta Christi Evange- » lia. Eos verò qui contra hanc fidem venerint, cùm dogmatibus et » sectatoribus suis æterno anathemate dignos esse pronuntio. Quòd si » ego ipse aliquando aliquid contra hæc sentire ac prædicare præsump- » sero, subjaceam canonum severitati. Lecto et perfecto sponte sub- » scripsi. » Hunc usque ex scripto Berengarius recitavit, confirmavit, et suo chirographo roboravit.

Ann. 1079. Romæ mense Februario ex more Synodus à Gregorio Papa VII. habita est, in qua inveteratus dierum malorum senex jam octogenarius Hæresiarcha Berengarius, sæpè revocatus ad pœnitentiam, sæpè relap- sus, iterùm abjurans hæresim jurejurando profitetur Catholicam fidem, damnans errorem, ut ejusdem Concilii acta docent his verbis.... « Omni- » bus igitur in Ecclesia Salvatoris congregatis, habitus est sermo de » corpore et sanguine Domini nostri Jesu Christi, multis hæc, nonnullis » illa priùs sentientibus. Maxima siquidem pars panem et vinum per » sacræ orationis verba, et Sacerdotis consecrationem, Spiritu sancto » invisibiliter operante, converti substantialiter in corpus Dominicum » de Virgine natum, quod et in Cruce pependit; et in sanguinem, qui » de ejus latere militis effusus est lanceâ, asserebat, atque auctoritati- » bus Orthodoxorum sanctorum Patrum, tam Græcorum, quàm Lati- » norum modis omnibus defendebat. Quidam verò cæcitate nimiâ et » longâ percussi, figuram tantùm substantiale illud corpus in dextera » Patris sedens esse, seque et alios decipientes, quibusdam cavillatio- » nibus conabantur adstruere. Verùm ubi cœpit res agi, priùs etiam » quàm tertiâ die ventum fuerit in Synodum, defecit contra veritatem » niti pars altera, nempe sanctus Spiritus ignis emolumenta palearum » consumens, et fulgore suo falsam lucem diverberando obtenebrans, » noctis caliginem vertit in lucem. Deniq. e Berengarius hujus erroris » magister, post longo tempore dogmatizatam impietatem, errasse se » coram Concilio frequenti confessus, veniam postulans et orans, ex » Apostolica clementia meruit, juravitque sicut in consequentibus » continetur.

Jusjurandum Berengarii Turonensis Presbyteri, olim Diaconi Andegavensis.

» Ego Berengarius corde credo, et ore confiteor, panem et vinum, » quæ ponuntur in altari, per mysterium sacræ orationis, et verba » nostri Redemptoris, substantialiter converti in veram et propriam ac » vivificam carnem et sanguinem Jesu Christi Domini nostri : et post » consecrationem esse verum Christi Corpus, quod natum est de Vir- » gine, et quod pro salute mundi oblatum in Cruce pependit, et quod » sedet ad dexteram Patris : et verum Sanguinem Christi qui de latere » ejus effusus est, non tantùm per signum et virtutem sacramenti, sed » in proprietate naturæ, et veritate substantiæ, sicut in hoc brevi con- » tinetur, et ego legi, et vos intelligitis. Sic credo, nec contra hanc » fidem ulteriùs docebo. Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evan- » gelia. »

Tunc Dominus Papa præcepit Berengario, ex auctoritate Dei omni- potentis et Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, ut de corpore et san- guine Domini nunquam ulteriùs cum aliquo disputare, vel aliquem docere præsumeret, exceptâ causâ reducendi ad fidem hanc eos, qui per ejus doctrinam ab ea recesserant.

Ann. 1088. Hoc anno die Epiphaniæ (ut ejus Epitaphium habet) Berengarius cariosus Hæresiarcha, sæpè falsâ pœnitentiâ eludens Ecclesiam, ex hâc vitâ migravit. Scripsit illud; sed cùm non adhuc Cenomanensis Episcopus esset Hildebertus, quo significasse visus est, ipsum in Ecclesia Catholica esse defunctum, cùm Catholicus homo ad ejus tumulum honorificum adeò Epitaphium scripserit: sed planè longè gloriosius, quàm conditio hominis toties lapsi, ac nefandissimi Hæresiarchæ ferret, utpotè qui vix laïcâ communione in exitu magnâ misericordiâ dignus haberi potuisset. Cùm præsertim etiam his temporibus qui vixit, Lanfrancus Cantuariensis Archiepiscopus, de ipso multa habeat indigna Catholico homine, ut apparet ex ejus Epistola.... Et Petrus Cluniacensis Abbas his temporibus proximus, de ipso cùm agit in Epistola contra Petrobrusianos, cum detestatione atque improperio ejus meminit. Interea autem audi epitaphium, quod recitat Willelmus Malmesburiensis in rebus Anglicanis his verbis:

Quem modò miratur, semperque mirabitur orbis,
Ille Berengarius non obiturus, obit;
Quem sacræ Fidei fastigia summa tenentem
Jani sexta dies abstulit ausa nefas.
Illa dies, damnosa dies et perfida mundo,
Quâ dolor et rerum summa ruina fuit.
Quâ status Ecclesiæ, quâ spes, quâ gloria Cleri,
Quâ cultor juris, jure ruente, ruit.
Quidquid Philosophi, quidquid cecinêre Poëtæ
Ingenio cessit, eloquioque suo.
Sanctior, et major sapientia majus adorta
Implevit sacrum pectus et ora Deo.
Pectus eam volvit, vox protulit, actio prompsit,
Singula factori sic studuêre suo.
Vir sacer et sapiens, cui nomen crescit in horas,
Quo minor est quisquis maximus est hominum.
Qui census peperit, partos servavit honores,
Cui potior pauper divite, jusque lucro.
Cui nec desidiam, nec luxum res dedit ampla,
Nec tumidum fecit multus, et amplus honor.
Qui nec ad argentum, nec ad aurum lumina flexit,
Sed doluit quoties cui daret hæc aberant.
Qui non cessavit inopum fulcire ruinas,
Donec inops dando pauper et ipse fuit.
Cujus cura sequi naturam, legibus uti,
Et mentem vitiis ora negare dolis:
Virtutes opibus, verum præponere falso;
Nil vacuum sensu dicere, nil facere:
Lædere nec quemquam; cunctis prodesse favorem,
Et populare lucrum, pellere mente, manu.
Cui vestis textura rudis, cui non fuit unquam
Ante sitim potus, nec cibus ante famem.
Quem pudor hospitium statuit sibi, quamque libido
Incestos superat, tam superavit eam.
Quem natura parens, cùm mundo contulit, inquit:
Degenerant alii, nascitur ille mihi.
Quæque vagabatur, et penè reliquerat orbem
Inclusit sacro pectore Justitiam.
Vir sacer à puero, qui quantum præminet orbi
Famâ, tam famæ præminet ipse suæ.
Fama minor meritis, cum totum pervolat orbem:
Cùm semper crescat, non erit æqua tamen.
Vir pius atque gravis, vir sic in utroque modestus,
Livor ut in neutro rodere possit eum.
Livor enim deflet, quem carpserat antea, nec tam
Carpsit et odit eum, quem modò laudat, amat.
Quàm prius ex vita, tam nunc ex morte gemiscit,
Et queritur celeres hujus abisse dies.

I. Cur hac die in processione solemni circumfertur sanctissimum Eucharistiæ sacramentum?

R. Ut celebretur triumphus Christi et Ecclesiæ de hostibus hujus tanti mysterii.

I. Quâ mente interesse expedit huic solemni Processioni?

R. 1. Cum magna attentione animi, vultuque ad modestiam composito.

2. Adorandus Christus in hoc mysterio.

3. Participandum ejus triumpho.

4. Supplici mente petenda venia à Christo pro omnibus sacrilegiis et sceleribus, quibus tremendi hujus mysterii dignitas quotidiè polluitur. Maximè autem si fortè contigerit et nos ejusmodi crimina quondam perpetrasse.

5. Agendæ gratiæ Christo pro inenarrabili dono ejus, et pro accepta et servata hactenus fide tanti mysterii.

I. Quid agendum per totam Octavam hujus solemnitatis?

R. Maximè expedit ut singulis diebus adsint fideles sacrosancto sacrificio, concionibus sacris, vespertinis precibus quæ sanctissimi sacramenti, ut vocant, Benedictione complentur. Veniantque quotidie in Ecclesiam adoraturi Christum hoc sacramento velatum, et gratias acturi pro tanto beneficio. (C)

Vir verè sapiens, et parte beatus ab omni,
Qui cœlos animâ, corpore ditat humum.
Post obitum vivam secum, secum requiescam.
Nec fiat melior sors mea, sorte suâ.

Hactenus Hildebertus luxurians, ceu vitis in pampinis, fructu careus veritatis poëtico luxu. Subjicit verò ista Willelmus: *Videas in his versibus, quod laudis excessit modum Episcopus.*

Et paulò post: (*Lib.* 3.) « Berengarius planè quamvis ipse sententiam » correxerit, omnes tamen quos ex totis terris depravaverat, convertere » nequivit. Adeò pessimum est alios exemplo, vel verbo, à bono infir» mare, quia fortassis peccatum te gravabit alienum, cùm deletum » fuerit tuum. »

Ac rursus inferiùs. « Quin et ipso die Epiphaniorum moriens, gemitu» que producto recordatus, quòd miseros quosdam adolescentes primo » ætatis flore sectâ suâ infecerit »: *Hodie*, inquit, *in die apparitionis suæ apparebit mihi Dominus meus Jesus Christus propter pœnitentiam, ut spero, ad gloriam, vel propter alios, ut timeo, ad pœnam.*

Pag. 610. Quantum autem temporis Berengarius vixerit, ipsum quidem, si quis.... cuncta superiùs de ipso narrata recenseat, videbit propè nonagenarium decessisse, summam Dei misericordiam consecutum, si post tot iteratos lapsus in hæresim à se damnatam, in Ecclesia Catholica vitæ periodum clausit.

Legesis D. DE ROYE *in Academia Andegavensi Juris utriusque Doctoris et Antecessoris tractatum super Canonem*, Ego Berengarius. *M. de Consecr. dist.* 2. *typis mandatum Andegavi apud Petrum Avrit*, 1656.

(C) *Catéchisme de Meaux de* M. JACQUES BENIGNE BOSSUET, *Leçon* XVI. *D.* Pourquoi l'Eglise a-t-elle institué une Procession si magnifique en ce jour? *R.* Pour deux raisons principales. 1. Pour remercier notre Seigneur d'avoir institué un Banquet si divin, et un si saint Sacrifice. 2. Pour celebrer la victoire que Jésus-Christ a donnée à son Eglise sur les ennemis de ce Sacrement. *D.* Comment faut-il assister à la procession de ce jour? *R.* Avec un esprit recueilli, les yeux baissés en toute modestie, un cierge à la main en signe de joie, pour l'honneur qu'on rend aujourd'hui à Jésus-Christ, et pour la mémoire d'un si grand bienfait.

§. 16. De Festis Sanctorum in genere.

I. Per festa Sanctorum quid intelligis ?

R. Hoc nomine intelliguntur dies quas Ecclesia Deo consecrat in Sanctorum memoriam. (A)

I. Estne antiquo in more positum ut celebrentur festa sanctorum in Ecclesia ?

R. Ritus celebrandi festa Martyrum ad nos usque Apostolicâ traditione manavit. (B) Cæterorum Sanctorum festa celebrandi ritus antiquissimus quidem, sed tamen priori recentior.

Quòd Martyrum festa jam ab Apostolicis temporibus celebrata sint, patet ex libro Constitutionum Apostolicarum, qui licèt non sit Apostolorum, nec sancti Clementis opus, est tamen, ut omnes fatentur, Scriptoris antiquissimi, et proximi temporibus Apostolicis. Ejusdem traditionis veritas constat ex Tertulliano, S. Cypriano, S. Basilio, S. Gregorio Nysseno, S. Gregorio Nazianzeno, S. Hieronymo, S. Chrysostomo, Theodoreto, S. Paulino, S. Augustino. (C)

(A) **Eusebius** *Lib. 4. Histor. Eccles. c. 15. seu Epist. Ecclesiæ Smyrnensis ad Eccles. Ponti.* Quo etiam in loco (*in quo Polycarpus martyrium consummavit*) nobis si fieri poterit convenientibus concedet Deus natalem ejus martyrii diem cum hilaritate et gaudio celebrare, tum in memoriam eorum qui glorioso certamine perfuncti sunt, tum ad posteros hujusmodi exemplo erudiendos et confirmandos.

(B) **Constitut. Apost.** *Lib. 8. cap. 33.* In diebus Apostolorum vacent (*fideles*) : magistri enim vestri fuerunt ad docendum vos de Christo : vobisque Spiritum sanctum dederunt. In die Stephani protomartyris item vacent, ac reliquis diebus sanctorum Martyrum, qui Christum vitæ suæ anteposuerunt.

(C) *Vide Constitutiones Apost. suprà litt.* (B) *hocce 2.*

Tertullian. *Lib. de corona militis. cap. 3.* Quomodo usurpari quid potest, si traditum priùs non est ?.... Oblationes defunctis, pro **natalitiis** annuâ die facimus.

S. Cyprian. *Epist. 12. aliàs 37. ad Clerum suum.* Denique et dies eorum quibus excedunt annotate, ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare possimus : quanquam Tertullus.... significet mihi dies quibus in carcere beati fratres nostri ad immortalitatem gloriosæ mortis exitu transeunt : et celebrentur hic à nobis oblationes et sacrificia ob commemorationes eorum, quæ citò vobiscum Domino protegente celebrabimus.

Epist. 39. aliàs 34. Clero et plebi Carthag. Laurentinus et Ignatius palmas Domini et coronas illustri passione meruerunt. Sacrificia pro eis semper, ut meministis, offerimus, quoties Martyrum passiones et dies anniversarià commemoratione celebramus.

S. Basil. *Homilia 19. in Gordium martyrem.* Naturæ lex est apibus innata, fratres dilectissimi, ut nisi rex priùs agmen præcedat, ab alveoribus nusquam discedant. Vos autem Dei populum, cùm nunc primùm ad Martyres tanquam ad flores cœlestes eveuntes, et hùc frequentes convenire viderim, quod id duce feceritis exquiro. Quis ingentem hunc æstum excitavit ? Quis hiemalem hanc tristitiam in vernam serenitatem commutavit, ut populus ex civitatis ædificiis tanquam ex apum alveoribus hilaris egressus, ad suburbanum decus præclarumque Martyris stadium confluerel ? Quoniam igitur et nos, infirmitatis nostræ oblitos celebritas Martyris excitavit, age et ipsi quoque quantùm voce contendere licet, veluti bombantes apes vernantibus floribus circumfusæ præclara ipsius gesta personemus : rem quidem piam agentes, simul et gratam iis qui adsunt.... Ineptum insuper, si Sanctis, qui res orbis uni-

versas contempserunt, his esse opus commendationibus putamus. Igitur nostri tantùm causa profectûs, sat fuerit illorum celebrare memoriam. Non enim nostris indigent laudibus ornari, sed nos ipsorum vitæ historiâ et commemoratione, imitationis gratiâ indigemus.... Verùm quando ejus hodie festum celebramus, qui in hujuscemodi die certamen pro Christi nomine subiit, quantùm ex ejus historiæ notitia deprehendere licebit, enarrabimus.

S. Gregor. Nazianz. *Orat.* 26. Quâ oratione athletas, quorum est præsens hæc celebritas, ornabo?

Orat. 6. Quid igitur hoc festo atque hac hominum frequentiâ dignum proferemus, ne vos inediâ laborantes dimittamus?.... Purificemus nosmetipsos Martyribus, fratres, vel ei potiùs, cui ipsi quoque cruoris veritatisque confessione purificati et expiati sunt testimonium dicamus veritati propter Martyres. Hoc illorum certaminibus demus, ut ipsi quoque palmam assequamur.... Si ad hunc modum coïmus, aut confluimus, reverà festum hunc diem, ut Christo gratum est, celebramus; reverà Martyres honore afficimus, aut afficiemus.

S. Greg. Nyssen. *De S. Theodoro Mart.* Vos, qui populus Christi, qui grex sanctus, ac regale estis Sacerdotium, qui undique et ex urbibus et ex agris catervatim confluxistis, undè signo itineris accepto ad hunc sacrum locum venistis? Qui vobis hùc veniendi adeò seriam ac quasi præstitutam necessitatem imposuit? Hocque tempore hiemis, quo et à bello quies est, et miles armaturam amovet, et nauta gubernaculum supra fumum ponit, et agricola aratores boves in præsepio curans quiescit? An palàm est, quòd sanctus Martyr ex militaribus ordinibus tubà cecinit, et multos ex diversis regionibus excitatos ad suæ requietis locum ac sedem vocavit, non ad bellicum instruens apparatum, sed ad dulcem ac maximè Christianos utique decentem pacem cogens?.... Ac mihi deinceps animum attendentes considerate, qui hujus puri cultûs ministri ac Martyrum studiosi estis, quanta res sit justus, quàmque multas consequatur remunerationes, (de iis loquor remunerationibus quæ in mundo, et apud nos præstantur: nam earum, quæ visum effugiunt, magnificentiæ nemo satis idoneus æstimator est) et cognito pietatis fructu, imitamini consilium, et aspirate ad animum et voluntatem eorum, qui ita præ cæteris honorantur, atque concupiscite et affectate ea præmia, quæ Christus athletis pro merito cujusque distribuit.... Hodie noster conventus habetur, ubi memoria justi, sanctæque reliquiæ sunt.... Postea quam autem prolata est in eum sententia condemnatoria, et igni confici et consummari jussus, ipse quidem præclaro ac beato itinere abiit ad Deum: nobis verò memoriam certaminis pro doctrina reliquit, populos congregans, Ecclesiam erudiens; dæmonas arcens et fugans, Angelos pacificos reducens, rogans à Deo pro nobis utilia, variorum morborum medicinæ officinam hunc locum efficiens, portum eorum qui afflictionum tempestatibus jactantur, pauperum abundans et copiosum ærarium, viatorum quietum diversorium, locum celebrem conventus ac dies festos continenter agentium. Etsi enim anniversariis feriis hunc diem celebramus: at nunquàm cessat studiosè advenientium multitudo, ac formicarum similitudinem servat ea, quæ hùc pertinet via publica, cùm alii quidem ascendant, alii verò venientibus cedant. Ac nos quidem, ô beate, benignitate Creatoris anniversariam circuli vicissitudinem assecuti, coëgimus tibi publicum conventum, sacrum, inquam, Martyribus addictum, et communem Dominum adorantes, et tuorum certaminum victoriæ commemorationem peragentes: tu verò hùc jam ades ad nos, ubicunque tandem fueris, ut dici festo præsis: vocantem enim te contrà vocamus: ac sive in sublimi æthere habitas, sive per cœlestem aliquem circulum versaris, aut in choros Angelorum cooptatus Domino assistis, aut cum virtutibus et potestatibus, ut servus fidelis adorationis officio fungeris: parumper ab iis officiis vocationem deprecatus, veni ad hos qui te honorant, invisibilis amicus: cognosce ac vise ferias, quæ celebrantur, ut gratiarum adversùs Deum conduplices actionem, qui pro una passione, et una pia confessione tot tibi remunerationes largitus est: ac læteris ob sanguinem effusum, et ignis cruciatus toleratos. Quot enim tunc supplicii spectatores populos

habebas, tot nunc habes honoris ministros.... Etiamsi superasti seculum : at nosti affectus et usus necessitatesque humanæ conditionis : pete pacem, ut hi publici conventus non desinant : ne debacchetur atque grassetur adversùs templa altariave rabiosus et sceleratus Barbarus : ne conculcet sancta profanus et impius.

S. HIERONYM. *in Epist. ad Galat. lib.* 2. *cap.* 4. Dicat aliquis : Si dies observare non licet, et menses, et tempora, et annos, nos quoque simile crimen incurrimus quartam sabbati observantes ; et Parasceven ; et diem Dominicam ; et jejunium Quadragesimæ ; et Paschæ festivitatem ; et Pentecostes lætitiam : et pro varietate regionum, diversa in honore Martyrum tempora constituta.

Epist. 23. *alias* 19. *ad Eustochium.* Festus est dies et natalis beati Petri, festiviùs est solito condiendus :... Nobis sollicitiùs providendum est, ut solemnem diem, non tam ciborum abundantiâ, quàm spiritûs exsultatione celebremus. Q ia valdè absurdum est, nimiâ saturitate velle honorare Martyrem, quem scias Deo placuisse jejuniis.

S. CHRYSOST. *Homil.* 46. *in S. Julianum.* Pro nobis Martyres mactati non sunt, tamen in honorem illorum convenimus : quòd si nos pro quibus mactati non sunt, c nvenimus, Christus, pro quo sua capita devoverunt, quid non præstabit ?

De sancto Martyre Romano, Oratio II. Martyrum verò commemorationes animas adversùs dæmonum artes armant.... Talis est Martyris ejus, qui hodie coronatus est, commemoratio ; quis enim in stadia camposque certaminum adversùs diabolum audacter non prosiliat, cùm animam suam Martyris certaminibus instituerit.

Homilia 59. Martyrum diem festum celebramus, et nemo nobis occurrit.... Martyres pro veritate ipsa sanguinem suum effuderunt, et tu ne brevem quidem viam subire potes ?.... Martyrum celebratur memoria, tu verò piger es, et jacentem animum habes, quem oportet hîc præsentem esse, et diabolum superatum, Martyrem verò ipsos superantem videre, nec non Dei gloriam celebratam, Ecclesiam coronâ insignitam ? Sed istorum excusatio talis est : Peccator, inquit, sum, idcircò festo diei occurrere non possum. Maximè, inquam, ob hanc causam, quoniam peccator es ; occurrere debes diei festo, ut justus efficiaris. At si justus es, occurre, ne à justitia excidas. Ecquisnam ex hominibus, quæso, sine peccato est ? Propterea sacrificium et Ecclesia, propterea preces, ac jejunia, et quoniam multa sunt animæ vulnera, propterea medicamenta ipsa inventa sunt, quæ singulis animæ vulneribus congruentem medicinam afferunt. Habes Ecclesiam, et sacrificium quod perficitur ; habes Patrum orationes ; habes Spiritûs sancti domum, Martyrum memorias, et Sanctorum congregationem, multaque alia quæ sunt hujusmodi, quæque possunt te à peccatis ad justitiam revocare. Cùm res ita se habeat, tu tamen ad Martyrum preces occurrere noluisti. Dic, age, quam peccati veniam habere poteris ? Nihil mali in via positum fuerat, et tamen detentus es, quò minus ad Martyrum concordiam celebrandam convenires.

Homilia 70. *de S. Phoca.* Nemo ab hac sacra solemnitate absit : non virgo domi remaneat : non mulier ædibus se contineat : exhauriamus urbem, et trajecto mari nos ad sepulcrum Martyris conferamus ; nam et Reges unà nobiscum choreas ducunt. Quamnam igitur veniam meretur privatus, cùm regia palatia deserant Reges, et Martyris sepulcro assideant ? Talis nimirùm est virtus Martyrum, ut non modò privatos, sed eos etiam qui diademata gestant, sagena concludat.... Verùm Martyris quidem laudes ad conveniens usque tempus exspectemus : nam et de illis satis multa dicta sunt propter eorum studium, qui congregati debuerant festivitatis diem celebrem reddere ; quod enim hesterno die dixi, etiam hodie rursùs dico : Martyri quidem gloria nulla ex multorum præsentia comparabitur ; vos autem benedictionem lucrifacietis, ex eo quòd ad Martyrem accesseritis.

B. THEODORETI *Serm.* 8. *de Martyribus.* Victorum verò Martyrum templa clara et conspicua cernuntur, magnitudineque, præstantia, et omni ornatûs genere illustria, et pulchritudinis splendorem latè fundentia. Neque ad hæc nos semel, bisve, aut quinquies quotannis accedimus,

sed frequentes conventus celebramus, sæpè etiam diebus singulis horum Domino laudes decantamus, et qui integrâ sunt valetudine, hanc sibi conservari, qui autem morbo quopiam conflictantur, hunc depelli petunt. Petunt et liberos qui his carent, et quæ steriles sunt rogant ut matres fiant : qui donum adepti sunt, salvum id sibi servari postulant. Qui peregrinationem aliquam auspicantur, ab his petunt, ut viæ sibi comites sint, ducesque itineris : qui sospites redierunt, gratias referunt. Non illos adeuntes ut Deos, sed tanquam divinos homines eos orantes, intercessoresque sibi ut esse velint postulantes. Quòd verò votorum compotes fiant qui fideliter petunt, palàm testantur illorum donaria, curationem indicantia. Alii enim oculorum, alii pedum, alii manuum simulacra suspendunt ex argento aurove confecta. Accipit enim horum Dominus etiam parva, pretiique exigui proferentis facultate donum metiens. Hæc autem morborum depulsionem indicant, cui testandæ ab iis posita sunt qui sanitatem receperunt. Eadem ibi sepultorum virtutem prædicant : horum porrò virtus, horum Deum verum esse Deum declarat. Petri et Pauli, et Thomæ, et Sergii, et Marcelli, et Leontii, et Panteleemonis, et Antonini, et Mauricii, aliorumque Martyrum solemnitates peraguntur ; et pro illa veteri pompa, turpique rerum ac verborum obscœnitate, modestæ celebrantur festivitates non ebrietatem et jocos risusque exhibentes, sed divina cantica, sacrorumque sermonum auditionem, et preces laudabilibus lacrymis ornatus.

S. PAULIN. *Poëm. S. Felicis natal.* 2. *Carmin.* 17.

Felix, hoc merito, quod nomine ; nomine, et idem,
Qui merito ; redit alma dies, quà te sibi summus
Adscivit patriam confessum Christus in aulam ;
Tempus adest, plenis grates tibi fundere votis.
O pater, ô domine, indignis licèt optime servis,
Tandem exoratum est, intra tua limina nobis
Natalem celebrare tuum. Tria tempore longo
Lustra cucurrerunt, ex quo solemnibus istis
Coràm vota tibi, coràm mea corda dicavi,
Ecce vias vario plebs discolor agmine pingit :
Urbes innumeras una miramur in urbe.

Natali 3. *Carm.* 18.

Venit festa dies cœlo, celeberrima terris
Natalem Felicis agens, quà corpore terris
Occidit, et Christo superis est natus in astris,
Cœlestem natus sine sanguine Martyr honorem :
Nam Confessor obit, pœnas non sponte lucratus,
Acceptante Deo fidam pro sanguine mentem.
Qui cordis taciti scrutator, ferre paratos
Æquiparat passis, sat habens interna probasse.
Supplicium carnis justâ pietate remittit,
Martyrium sine cæde placet, passura voluntas
Sufficit, et summa est meriti, testatio voti.
Ergo dies, tanto quæ munere retulit alto
Felicem cœlo, sacris solemnibus ista est :
Nam post solstitium, quo Christus corpore natus
Sole novo gelidæ mutavit tempora brumæ,
Atque salutiferum præstans mortalibus ortum,
Procedente die secum decrescere noctes
Jussit, ab hoc quæ lux oritur vigesima nobis,
Sidereum meriti signat Felicis honorem.
Denique nil impar his, qui fudêre cruorem
Testibus et titulo simul et virtute receptâ,
Martyris ostendit meritum, cum jure potenti
Dæmonas exercet, devinctaque corpora solvit.

S. AUG. *Enarrat. in Psal.* 63. *n.* 1. Passionis sanctorum Martyrum diem hodie festum habentes, in eorum recordatione gaudeamus, recolentes quid patiebantur, et intelligentes quid intuebantur. Nunquam enim tantas tribulationes carne tolerarent, nisi magnam quietem mente concíperent. Hunc itaque psalmum pro ipsa solemnitate curramus, hesterno

enim die multa audivit charitas vestra, nec hodie tamen huic festivitati negare potuimus nostram servitutem.

N. 15. Martyres nondum surrexerunt, nondum resurgentium jam natalitia celebramus.

Enarrat. in Psalmum 88. *Serm.* 1. *n.* 10. Quid fecit mare sæviendo, nisi diem quem hodie celebramus? Martyres occidit, semina sanguinis sparsit, seges Ecclesiæ pullulavit.

N. 27. Martyres nostri, quorum natalitia celebramus, sanguinem suum propter hæc credita et nondum visa fuderunt.

Serm. 2. *n.* 11. Dixerunt ista Martyres, quorum natalitia celebramus.

N. 14. *In fine.* Natalitia Sanctorum cum sobrietate celebrate, ut imitemur eos qui præcesserunt, et gaudeant de vobis qui orant pro vobis.

Serm. 273. *aliàs de diversis* 101. *cap.* 2. *n.* 2. Beati Sancti, in quorum memoriis celebramus diem passionis illorum: illi acceperunt pro temporali salute æternam coronam, sine fine immortalitatem: nobis dimiserunt in istis solemnitatibus exhortationem.

Cap. 3. *n.* 3. Ego non colo Fructuosum, sed Deum colo, quem colit et Fructuosus. Quomodo nos admonuit, ut Martyres honoremus, et cum Martyribus Deum colamus?

Cap. 7. *n.* 7. Non eis (*Martyribus*) templa, non eis altaria, non sacrificia exhibemus, non eis Sacerdotes offerunt: absit. Deo præstantur. Etiam apud memorias sanctorum Martyrum cùm offerimus, nonne Deo offerimus? Habent honorabilem locum Martyres sancti... Non tamen pro Christo adorantur. Quando audistis dici apud memoriam sancti Theogenis, à me vel ab aliquo fratre et collega meo, vel aliquo Presbytero: Offero tibi sancte Theogene: aut offero tibi Petre: aut offero tibi Paule? Nunquam audistis. Non fit, non licet... Ego Petrum non colo, sed Deum colo, quem colit et Petrus.

Cap. 9. *n.* 9. Ideò, charissimi, exsultate in diebus sanctorum Martyrum: orate ut sequamini vestigia Martyrum.... Ideò, charissimi, veneramini Martyres, laudate, amate, prædicate, honorate; Deum Martyrum colite.

Serm. 276. *aliàs* 12. *de Sanctis*, *S. Vincentii* 3. *c.* 4. *n.* 4. Quæ hodie regio, quæve provincia ulla, quousque vel Romanum imperium vel Christianum nomen extenditur, natalem non gaudet celebrare Vincentii?

Serm. 277. *aliàs de div.* 102. *S. Vincentii* 4. *c.* 1. *n.* 1... De corpore ejus (*S. Vincentii*) Ecclesiæ præstita est consolationis memoria.... Præstitit ergo Sanctorum corpora Ecclesiis suis ad memorias orationum, non ad glorias Martyrum. Illi enim habent integram gloriam suam apud Creatorem suum.

Serm. 280. *aliàs de diversis* 103. *SS. Perpetuæ et Felicitatis* 1. *c.* 3. *n.* 3. Præmia Martyrum, charissimi, maxima credimus, et rectissimè credimus.

Cap. 6. *n.* 6. Undè solemnitas eorum, sicut facimus, devotissimè celebremus, sobriâ humilitate, casta congregatione, fideli cogitatione, fidenti prædicatione. Non parva pars imitationis est, meliorum congaudere virtutibus... Si eos sequi non valemus actu, sequamur affectu; si non gloriâ, certè lætitiâ: si non meritis, votis: si non passione, compassione: si non excellentiâ, connexione.... Fructus laboris ergo illorum etiam nos sumus. Miramur eos, miserantur nos, gratulamur eis, precantur pro nobis.

Serm. 284. *alias* 1. *inter editos ex Majoris Carthusiæ* MSS. *in natali Martyrum Mariani et Jacobi n.* 5... Non pro illis (*Martyribus*) orat Ecclesia. Nam meritò pro aliis defunctis dormientibus orat Ecclesia: pro Martyribus non orat, sed eorum potiùs orationibus se commendat.

Serm. 286. *aliàs de div.* 39. *in natali Mart. Protasii et Gerv. c.* 5. *n.* 4. Celebramus ergo hodierno die, Fratres, memoriam in hoc loco positam sanctorum Protasii et Gervasii, Mediolanensium Martyrum, non eum diem quò hic posita est, sed eum diem hodie celebramus quando inventa est *pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus* (*Ps.* CXV. 15.) per Ambrosium Episcopum hominem Dei.

In Nativitat. S. Joan. Baptist. vide infrà §. 21. *litt.* (A)

Serm. 300. *aliàs de diversis* 109. *in solemnit. SS. Machabæor.* 1. *cap.* 7. *n.* 6. Machabæi Martyres Christi sunt. Ideò non incongruè, neque importunè,

immò convenientissimè dies eorum et solemnitas eorum à Christianis potiùs celebratur.. Sanctorum Machabæorum Basilica esse in Antiochia prædicatur... Hæc Basilica à Christianis tenetur, à Christianis ædificata est. Eorum ergo memoriam celebrandam nos habemus, nos tenemus.

Serm. 302. *aliàs de diversis* 3. *in solemnit. S. Laurentii* 1. *cap.* 1. *n.* 1. Beati Martyris Laurentii dies solemnis hodiernus est... Martyrum ergo vestigia imitando sectemur, ne solemnitates eorum inaniter celebremus.

Cap. 10. *n.* 9. Impigrè Martyres imitemur, si volumus nobis prodesse solemnitates quas celebramus.

Serm. 304. *aliàs de diversis* 37. *S. Laurent.* 3. *c.* 1. *n.* 1. Beati Laurentii triumphalem diem, quo calcavit mundum frementem, sprevit blandientem, et in utroque vicit diabolum persequentem, hodiernum nobis Ecclesia Romana commendat.

Serm. 309. *aliàs* 12. *inter additos à Parisiensib. in natali Cypriani Martyris* 1. *n.* 1... Grata et religiosa solemnitas quà passionem beati Martyris celebramus.

Serm. 326. *aliàs* 30. *ex Vignerianis in natali Martyrum*, *n.* 1. Solemnitas beatissimorum martyrum lætiorem nobis reddidit diem. Lætamur quia de terra laboris ad regionem quietis Martyres transierunt. Sed hoc non saltando, sed orando; non potando, sed jejunando; non rixando, sed tolerando meruerunt.

At id pluribus testimoniis probare prorsùs futile esset, cùm tot SS. Patrum, qui sex primis Ecclesiæ seculis floruerunt, Orationes panegyricæ in solemnitate non Martyrum modò, sed et Confessorum, seu SS. Pontificum habitæ, annis singulis dies festos seu sacros in eorum honorem celebratos fuisse, ac in eis conventus solemnes haberi solitos, per se clament, ac vel solâ tituli inspectione abundè probent

Bellarm. *Tom.* 1. *Controvers. lib.* 3. *cap.* 16. *de festis Sanctorum, probat festa celebrata fuisse primis Ecclesiæ seculis* ex antiquis Conciliis diversarum Ecclesiarum. Concilium Laodicenum in Oriente celebratum ante annos M. CC. can. 51. vetat in Quadragesima celebrare festa Sanctorum: ex quo sequitur, extra Quadragesimam fuisse in ea Provincia celebrata. Concilium Carthaginense III. ante annos M. C. canone 47. *Liceat*, inquit, *legi passiones Martyrum, cùm anniversarii dies eorum celebrantur.* Concilium Toletanum in Hispania III. can. 23. jubet ut in diebus festis populi non dent operam turpibus saltationibus. Concilium Lugdunense in Gallia, ut habemus canon. *Pronuntiandum*, de consecrat. dist. 3. enumerat inter festa Ecclesiæ festum sanctorum Apostolorum, Assumptionem, et Nativitatem B. Mariæ, festum sancti Sylvestri, S. Martini, et aliorum. Idem ex Germania habemus in Concilio Moguntinensi, cap. 36.

Concil. Chloveshoviæ II. anno 747. capitul. 17. de festivitate colenda sancti Gregorii et Augustini. « Septimo decimo constitutum est præcepto, » ut dies natalis Beati Papæ Gregorii et dies quoque depositionis, qui est » 7. Kalendas Junii; S. Augustini Archiepiscopi atque Confessoris, qui » genti Anglorum missus à præfato Papa et Patre nostro Gregorio, scien- » tiam fidei, Baptismi sacramentum, et cœlestis patriæ notitiam primus » attulit, ab omnibus sicut decet, honorificè venerentur. Ita ut uterque » dies ab Ecclesiasticis et Monasterialibus feriatus habeatur, nomenque » ejusdem B. Patris et Doctoris nostri Augustini in Litaniæ decantatione, » post S. Gregorii vocationem semper dicatur. »

Concil. Mogunt. anno 813. can. 36. de festivitatibus anni. « Festos dies » in anno celebrare sancimus, hoc est, diem Dominicum Paschæ, cum » omni honore et sobrietate venerari: simili modo totam hebdomadam » illam observari decrevimus. Diem Ascensionis Domini pleniter cele- » brare; item Pentecosten similiter ut in Pascha. In natali Apostolorum » Petri et Pauli diem unum, Nativitatem S. Joannis Baptistæ, Assump- » tionem sanctæ Mariæ, Dedicationem sancti Michaelis, natalem S. » Remigii, S. Martini, S. Andreæ; in natali Domini dies quatuor, » octavas Domini, Epiphaniam Domini, Purificationem sanctæ Mariæ, » et illas festivitates Martyrum, vel Confessorum observare decrevimus, » quorum in unaquaque Parochia sancta corpora requiescunt, similiter » etiam Dedicationem Templi. »

Posteriorum Patrum auctoritatem advocare superfluum est ad hujus certissimæ traditionis confirmationem ; à qua licèt Calvinistæ recesserint , non tamen recesserunt omnes Heterodoxi quos Protestantes appellamus. Id patet ex Liturgia Anglicanà et ex Kalendario illi Liturgiæ præfixo , quo utuntur etiamnum Anglicani. (D)

Ideò autem non aliorum quàm Martyrum festa primitùs celebrabantur, quia quatuor prioribus seculis solos Martyres Ecclesia Sanctorum albo inseruerat : sed ex quo sanctos Pontifices seu Confessores , seu cujusvis gradûs justos non Martyres , Ecclesia sanctorum fastis inscripsit , propter cognitam eorum divinà virtute sanctitatem , non dubitavit Ecclesia eorum non secùs ac Martyrum festa celebrare , ut patet ex suprà dictis.

I. Quæ mens est Ecclesiæ in illis festis ?

R. 1. Ut agamus gratias Deo pro collatis in Sanctos beneficiis , et per eos in Ecclesiam. 2. Ut proponamus nobis eorum exempla ad imitationem. 3. Ut invocemus eos tanquam intercessores apud Christum. (E)

(D) Liturgie Anglicane , *à Londres in 4. ann.* 1616. *immédiatement après le Calendrier.* Les jours de Fêtes : de la Purification de la sainte Vierge Marie , de saint Mathias Apôtre , de l'Annonciation de la sainte Vierge Marie , de saint Marc Evangeliste , de saint Philippe et saint Jacques Apôtres , de la Nativité de saint Jean-Baptiste , de saint Pierre Apôtre , de saint Jacques Apôtre , de saint Barthelemy Apôtre , de saint Matthieu Apôtre , de saint Michel Archange , de saint Luc Evangéliste , de saint Simon et saint Jude Apôtres , de la Toussaints , de saint André Apôtre , de saint Thomas Apôtre.... de saint Etienne Martyr , de saint Jean Evangeliste , des SS. Innocens.

(E) S. Aug. *Serm.* 285. *aliàs 4. inter editos ex Maj. Carthus.* MSS. *n.* 1. Sanctorum Martyrum non magna solùm , sed etiam pia virtus , ipsa est enim utilis virtus , immò ipsa est vera et sola dicenda virtus , quæ non militat typho , sed Deo. Admonet nos charitati vestræ loqui , eamque admonere , ita solemnia Martyrum celebrare , ut vestigia Martyrum sequendo delectet imitari.

N. 4. Memineremus quorum celebritatem hodie celebramus : nec velimus imitari quod victi sunt , sed potiùs quod vicerunt.

N. 5. Martyrum perfecta justitia est : quoniam in ipsa passione perfecti sunt. Ideò pro illis in Ecclesia non oratur. Pro aliis fidelibus defunctis oratur , pro Martyribus non oratur ; tam enim perfecti exierunt , ut non sint suscepti nostri , sed advocati. Neque hoc in se , sed in illo cui capiti perfecta membra cohæserunt.

Serm. 311. *aliàs de diversis* 115. *in natali Cypriani Martyris* 3. *cap.* 1. *n.* 1. Istum nobis festum diem passio beatissimi Cypriani Martyris fecit : cujus nos victoriæ celebritas in istum locum devotissimos congregavit. Sed celebratio solemnitatis Martyrum , imitatio debet esse virtutum. Facilè est honorem Martyris celebrare : magnum est fidem atque patientiam Martyris imitari. Hoc sic agamus , ut illud optemus : hoc sic celebremus , ut illud potiùs diligamus.

Serm. 325. *aliàs* 30. *ex Sirmond. in natali viginti Martyrum* , *n.* 1. De gloria Martyrum locuturos, breviter justam causam Martyrum loquturos, adjuvent nos orationes Martyrum. Hoc enim per istas solemnitates commemorare debet sanctitas vestra, primùm ne arbitremur aliquid nos conferre Martyribus, quia eorum dies solemnissimos celebramus. Illi nostris festivitatibus non egent, quia in cœlis cum Angelis gaudent : congaudent autem nobis , non si honoremus eos , sed si imitemur eos. Quanquam et quòd honoramus , nobis prodest , non illis. Sed honorare, et non imitari,

nihil est aliud quàm mendaciter adulari. Ad hoc ergo istæ festivitates in Ecclesia constitutæ sunt Christi, ut per eas congregatio membrorum Christi admoneatur imitari Martyres Christi. Hæc est omninò hujus festivitatis utilitas, alia non est. Si enim nobis proponatur imitandus Deus, respondet humana fragilitas, multum esse ad se imitari eum, cui non potest comparari. Si deinde ipsius Domini nostri Jesu Christi ad imitationem nobis proponatur exemplum, qui propterea cùm Deus esset, mortali carne vestitus est, ut hominibus mortalem carnem gerentibus insinuaret præceptum, et demonstraret exemplum : de quo etiam scriptum est, * *Christus pro nobis passus est, relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus :* (1. *Petr.* II. 21.) tamen et hîc adhuc respondet humana fragilitas, Quid simile ego et Christus ? Ille etsi caro, tamen Verbum caro. *Verbum* enim *caro factum est, ut habitaret in nobis* : (*Joan.* I. 14.) carnem assumpsit, non Verbum perdidit : quod non erat accepit, non quod erat amisit. *Deus* enim *erat in Christo mundum reconcilians sibi.* (2. *Cor.* V. 19.) Quid ergo simile ego et Christus? Ad tollendas igitur omnes excusationes infidelis infirmitatis, Martyres nobis stratam construxerunt. Lapideis enim tabulis construenda erat, quâ securi ambularemus. Ipsi fecerunt sanguine suo, confessionibus suis. Denique contemptis corporibus suis, venienti ad gentes lucrandas Christo, tanquam in jumento illo sedenti, corpora sua sicut vestimenta straverunt. Quis est, quem pudeat dicere, Impar sum Deo ? Planè impar. Impar sum Christo ? Etiam mortali Christo impar. Petrus hoc erat quod tu, Paulus hoc erat quod tu, Apostoli et Prophetæ hoc erant quod tu. Si piget imitari Dominum, imitare conservum. Præcessit agmen servorum, servata est excusatio pigrorum. Postremò adhuc dicit, Impar sum Petro, impar sum Paulo. Impar es veritati ? Coronatur rusticitas, non excusatur vanitas. Postremò impar es pueris ? Impar es puellis ? Impar es sanctæ Valerianæ ? Si adhuc sequi piget, non vis adhærere Victoriæ ? Sic enim nobis sanctorum viginti Martyrum series recitata est. Cœpit ab Episcopo Fidentio, clausit ad fidelem feminam sanctam Victoriam.

N. 2. Videte ergo Fratres : sic celebrate passiones Martyrum, ut cogitetis imitari Martyres.

De Civit. Dei lib. 8. *cap.* 27. *n.* 1. Honoramus sanè memorias eorum tanquam sanctorum hominum Dei, qui usque ad mortem corporum suorum pro veritate certarunt, ut innotesceret vera religio, falsis fictisque convictis :... Ut eâ celebritate et Deo vero de illorum victoriis gratias agamus, et nos ad imitationem talium coronarum atque palmarum, eodem invocato in auxilium, ex illorum memoriæ renovatione adhortemur.

S. Joan. Chrysost. *Hom.* 73. Ad sacram istam solemnitatem, festumque conventum beatus nos Barlaam convocavit : non ut ipsum laudemus, sed ut ipsum æmulemur : non ut laudum simus auditores, sed ut præclarorum ejus facinorum fiamus imitatores. In secularibus quidem rebus, qui ad magistratus summos provehuntur, haud alios unquam ejusdem honoris prærogativæ consortes vellent cernere : livor enim illic, et invidia dividunt charitatem. In spiritualibus verò non ita, sed contrarium penitùs evenit : tunc enim maximè honoris proprii sensum capiunt Martyres, cùm suos conservos ad bonorum suorum consortium viderint pervenisse..... Itaque si quis Martyres laudare velit, Martyres imitetur : si quis religionis athletas celebrare præconiis velit, illorum labores æmuletur : hoc nihilo minorem quàm propria rectè facta Martyribus afferet voluptatem... Et quî fieri potest, dicet aliquis, ut Martyres imitemur : non enim persecutionis est tempus ? Et quidem id etiam scio : persecutionis quidem tempus non est, at martyrii est tempus : luctarum ejusmodi tempus non est, at coronarum est tempus : non persequuntur homines, at persequuntur dæmones : non vexat tyrannus, at vexat diabolus tyrannorum omnium sævissimus : non objectas prunas conspicis, at cupiditatis conspicis flammam accensam. Illi prunas calcarunt, tu naturæ pyram calca : illi cum bestiis pugnarunt, tu iram immitem et indomitam belluam fræna : illi adversùs intolerabiles dolores steterunt, tu absurdas, pravasque cogitationes, quæ in corde tuo pullulant, vince : ita Martyres imitabere.

I. Quinam sunt Sanctorum ordines quorum Ecclesia festum diem agit ?

R. 1. B. Virgo Maria Dei genitrix. 2. SS. Angeli. 3. S. Joannes Baptista. 4. SS. Apostoli. 5. SS. Evangelistæ. 6. SS. Martyres. 7. SS. Pontifices. 8. SS. Confessores. 9. SS. Virgines. 10. SS. Mulieres vel conjugatæ, vel viduæ, vel pœnitentes.

I. Quænam festa B. Mariæ Virginis ex præcepto Ecclesiæ solemniter celebrantur, et cum cessatione ab servilibus operibus ?

R. Ejus Conceptio, Nativitas, Annuntiatio, Purificatio, Assumptio.

(De Annuntiatione et Purificatione jam satis diximus ubi de festis Christi (*hujusce Cap.* §. 3. *et* 8.) : de cæteris nunc agendum.).

§. 17. De Festis B. Mariæ Virginis. Ac primò de ejus Conceptione.

I. Quâ die celebrat Ecclesia Conceptionem B. Mariæ Virginis ?

R. Sexto Idus Decembris. (A)

Hæc ne audiamus tantùm, dilectissimi, sed et imitemur : quod enim à principio dicebam, nunc etiam dico : ne hac tantùm horà, quà hic versamur, celebretur Martyr, sed et domum abiens unusquisque Sanctum deducat, et in ædes suas, vel in cor suum potiùs per eorum quæ dicta sunt recordationem introducat. Suscipe illum, ut ante dictum est, et in corde illum tuo protensam manum habentem siste : suscipe victorem coronatum, nec unquam ex mente tua exire permitte. Idcircò vos etiam ad ipsos sanctorum Martyrum oculos adduximus, ut ipse vos conspectus ad virtutem quodammodo incitet, et ad eamdem vos zelum accingatis. Nam militem quidem præstantissimi cujuspiam bellatoris excitat etiam fama : multò autem vehementiùs intuitus et aspectus, ac præsertim si ipsum fortissimi bellatoris tentorium ingressus sanguinolentum ensem viderit, caput hostis jacens, spolia sublimè pendentia, recentem cruorem ex manibus ejus stillantem, qui trophæum erexit, ubique lanceas et clypeos, et arcus, et omnem aliam armaturam jacentem. Idcircò nos etiam hic convenimus : tentorium enim est militare Martyrum tumulus : ac si fidei oculos aperueris, hic justitiæ loricam jacentem intuebere, scutum fidei, galeam salutis, ocreas Evangelii, gladium spiritûs, ipsum diaboli caput in terram projectum. Ita sanctos istos imitemur ; ita fortes bellatores, coronatos athletas, Dei amicos honoribus prosequamur : et cùm per eamdem cum illis viam incesserimus, easdem cum illis coronas consequemur.

(A) M. DE TILLEMONT *Mem. pour l'Hist. Eccles. tom.* 1. *n.* 5. *sur la vie de la sainte Vierge.* Baronius croit que la Fête de la Conception de la Vierge a commencé en Angleterre sur la fin du XI. siècle. Il est certain que quand les Chanoines de Lyon voulurent l'établir vers le XII. sous prétexte de quelque révélation, saint Bernard s'y opposa par plusieurs raisons, et entr'autres, parce que c'était une nouveauté, qui n'avait encore été reçue que de quelques Particuliers. La Fête n'a pas laissé de s'établir, et a été autorisée par le Concile de Basle, et par le Pape Sixte IV. Elle se fait le 8. de Décembre. Les Grecs la font aussi, mais le 9. du même mois, selon la Constitution de Manuel Comnène vers 1150. Et cela se voit ainsi dans leurs Menées page 130. 152. et plusieurs Ménologes. Dans celui de Canisius pag. 930. on lit seulement ce jour-là *Commemoratio sanctæ Annæ.* Je pense qu'il faudrait *Conceptio :* car c'est ainsi que cette Fête est exprimée dans leurs Menées. Il semble selon Baronius qu'ils l'aient faite dès le temps de Léon le sage, vers l'an 900. Néanmoins le premier monument que le P. Thomassin ait trouvé pour cette Fête dans l'Orient, est celui de Manuel.

I. Fuitne B. Virgo Deipara immunis à peccati originalis labe ? Fuitne ejus Conceptio immaculata ?

R. Fuisse communis est omnium ferè Theologorum sententia. Sed quæstionem hanc nondum Ecclesia definivit. (B)

(B) *Constitutio* SIXTI IV. *anno.* 1483. Grave nimis gerimus et molestum, cùm sinistra nobis de quibusdam Ecclesiasticis personis referuntur; sed in eorum, qui ad Evangelizandum verbum Dei sunt deputati, excessibus prædicando commissis eò graviùs provocamur, quò illi periculosiùs remanent incorrecti, cùm facilè deleri nequeant, quæ multorum cordibus sic publicè prædicando, diffusiùs et damnabiliùs imprimuntur errores. Sanè cùm sancta Romana Ecclesia de intemeratæ, semperque Virginis Mariæ Conceptione publicè festum solemniter celebret, et speciale ac proprium super hoc Officium ordinaverit: nonnulli, ut accepimus, diversorum Ordinum Prædicatores, in suis Sermonibus ad populum publicè per diversas civitates et terras, affirmare hactenùs non erubuerunt, et quotidie prædicare non cessant, omnes illos qui tenent aut asserunt eamdem gloriosam et immaculatam Dei genitricem, absque originalis peccati maculâ fuisse conceptam, mortaliter peccare, vel esse hæreticos : ejusdem immaculatæ Conceptionis Officium celebrantes, audientesque sermones illorum, qui eam sine hujusmodi macula conceptam esse affirmant, peccare graviter. Sed et præfati Prædicatores non contenti confectos super his suis assertionibus libros in publicum ediderunt; ex quorum assertionibus et prædicationibus non levia scandala in mentibus fidelium exorta sunt, et majora meritò exoriri formidantur in dies. Nos igitur hujusmodi temerariis ausibus ac perversis asserlionibus, ac scandalosis quæ exinde in Dei Ecclesia exoriri possunt, quantùm nobis ex alto conceditur, obviare volentes, motu proprio, non ad alicujus nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, seu de nostra mera deliberatione et certa scientia, hujusmodi assertiones Prædicatorum eorumdem et aliorum quorumlibet, qui affirmare præsumerent, eorum qui crederent aut tenerent, eamdem Dei genitricem ab originalis peccati macula in sua conceptione præservatam fuisse, propterea alicujus hæresis labe pollutos fore, vel mortaliter peccare: aut hujusmodi Officium Conceptionis celebrantes, seu hujusmodi sermones audientes, alicujus peccati reatum incurrere, utpote falsas et erroneas, et à veritate penitùs alienas, editosque desuper libros prædictos id continentes, quoad hoc auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium reprobamus, et damnamus : ac motu, scientiâ, et auctoritate prædictis statuimus et ordinamus quòd Prædicatores verbi Dei et quicunque alii cujuscunque statûs, aut Ordinis, ac conditionis fuerint, qui de cætero ausu temerario præsumpserint in eorum Sermonibus, ad populum seu aliàs quomodolibet affirmare, hujusmodi sic per nos improbatas, et damnatas assertiones veras esse, aut dictos libros pro veris legere, tenere, vel habere, postquam de præsentibus scientiam habuerint, excommunicationis sententiam eo ipso incurrant, à qua ab alio quàm Romano Pontifice (nisi in mortis articulo) nequeant absolutionis beneficium obtinere. Item motu, scientiâ, et auctoritate similibus, simili pœnâ sententiæ subjicientes eos, qui ausi fuerint asserere, contrariam opinionem tenentes, videlicet gloriosam Virginem Mariam cum originali peccato fuisse conceptam, hæresis crimen vel peccatum incurrere mortale, cùm nondum sit à Romana Ecclesia et Apostolica sede decisum : non obstantibus Constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis contrariis quibuscunque, quibus communiter, vel divisim à sede Apostolicâ indultum existat, quod intercidi, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto ejusmodi mentionem : et ne de præmissis aliquando valeant ignorantiam allegare, volumus quòd locorum Ordinarii requisiti, præsentes litteras in Ecclesiis consistentibus in eorum civitatibus et suarum Diœcesum locis insignibus, dum major ibi multitudo populi ad divina convenerit, Sermonibus ad populum mandent, et faciant publicari. Præterea, quia difficile foret præsentes litteras ad singula loca, in quibus expediens fuerit, deferre; etiam volu-

mus et dictâ auctoritate decernimus, quòd earumdem litterarum transsumpto manu publici Notarii confecto, et authentico alicujus Prælati Ecclesiastici sigillo munito, ubique stetur, prout staretur eisdem originalibus litteris, si forent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ reprobationis, damnationis, statuti, ordinationis, voluntatis et decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1483. pridie nonas Septembris, Pontificatûs nostri anno 13.

Hanc Constitut. confirmavit CONCIL. TRIDENT. *sess. quintâ* 27. *Junii ann.* 1546. *Cap.* 5. Declarat tamen hæc ipsa sancta Synodus, non esse suæ intentionis, comprehendere in hoc Decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam et immaculatam Virginem Mariam, Dei genitricem; sed observandas esse Constitutiones felicis recordationis Sixti Papæ quarti, sub pœnis in eis Constitutionibus contentis, quas innovat.

PIUS V. *Bulla* Super speculam *ann.* 1570. Super speculam Domini, viribus licèt exiguis, constituti, Prophetæ sollicitudinem imitantes, die noctuque ad diversos Ecclesiæ status nostræ mentis aciem intendimus, studiosè providentes, ut communi Domino ab omnibus gradibus fideliter serviatur, ac illis maximè, quibus digniora ministeria divini Spiritûs favore credita sunt, inter quos divini verbi Prædicatores annumerandos esse nemo dubitare poterit, qui eorum munus ab ipso Domino consecratum, Apostolis præcipuè injunctum fuisse animadvertet. Qui, si adepto gradu dignè fungerentur, evangelizantes pacem, annuntiantes bona, prædicantes salutem, non solùm vox eorum dulcis, verùm et speciosi pedes viderentur; et fraternæ salutis uberes fructus referentes, multam fiduciam haberent in die Domini. Verùm quod neque sine animi dolore accepimus, nec referre possumus, quidam diversorum Ordinum Regulares, Clericique seculares, omissis quæ divinæ majestatis gloriam et sanctissimæ Dei Genitricis, aliorumque divinorum venerationem atque fidelium pietatem promovere poterant, quod Apostolus in quibusdam arguit, languent circa quæstiones et pugnas verborum, ex quibus oriuntur invidiæ, et contentiones, cæteraque vitiorum monstra. Potissimùm verò cùm de gloriosæ Virginis Mariæ Conceptione sermo inciderit, tam pertinaciter pro alterutra parte contendunt, ac si de illis dogmatibus esset, quæ corde credere ad justitiam, ore confiteri ad salutem necessarium est. Quibus illud Prophetæ convenire videtur, *dicunt, Ait Dominus, cùm ego non sum locutus.* {*Ezech.* XIII. 7.} Cùm sancta Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum magistra, et doctrix disciplinæ de eâ re huc usque non definierit, nemo absque temeritate præjudicare, vel alterius partis sententiam damnare potest, et quasi desint præclarissima inventricis gratiæ merita, quæ nec Angelicâ quidem linguâ satis dignè referri possunt, et cùm ex illo uberrimo fonte putreoque aquarum viventium non possint saluberrimas haurire aquas, quibus fidelis populus magna cum utilitate atque dulcedine reficeretur, ad dissipatas cisternas occurrunt, stultas scilicet et sine disciplina quæstiones, quæ generant lites, quas nec frequens multitudo intelligere, nec viri sapientes, qui capiunt, utiliter percipere valeant. Præsertim quoniam, ut experimento didicimus, ipsorum Concionatorum, qui ad quæstiones hujusmodi proponendas facilius erumpere solent, major numerus materiæ difficultatem prorsùs ignorantes, neque intelligentes quæ loquuntur, aut de quibus affirmant, simplicium animos indiscretæ devotionis obtentu, vel potius loquacitatis et ostentationis effectu, ad tumultus et simultates concitant, quos tumultuantes atque dissidentes, componere sedareque potiùs oportebat. Cumque parvulis in Christo lac infundere, provectis solidum cibum apponere deberent, dum in hujusmodi controversiis interminatis versantur, omnibus ubera proferunt arentia, quòd non absque maledictionis nota legimus in Prophetâ. {*Osee* IX. 14.}

§. 1. Nos igitur, qui Prædecessorum saluberrima decreta pro viribus salva esse cupimus, potissimùm illa, quæ à sacro-sanctâ Synodo Tridentina denuo sunt confirmata, liberam cuique facultatem relinquentes

opinandi hujus controversiæ quamlibet partem, prout vel magis pium, vel magis probabile esse judicaverit. Prædictorum igitur Concionatorum aliorumque contentioni, atque temeritati, populorumque scandalis occurrere studentes, motu proprio, non ad alicujus nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, statutum felicis recordationis Sixti IV. Prædecessoris nostri super ea re, quòd à præfata Synodo innovatum est (illud præsentibus, ac si de verbo ad verbum esset insertum, pro plenè, ac sufficienter expresso et inserto habentes) Apostolicâ auctoritate tenore præsentium confirmamus, et approbamus.

§. 2. Atque ut deinceps efficaciùs cunctis observetur, perpetuò statuimus et ordinamus, ac per Apostolica scripta mandamus, quatenùs nemo cujuscunque ordinis, gradûs, conditionis, vel dignitatis existat, in popularibus concionibus, vel ubicunque promiscua virorum ac mulierum multitudo convenire solet, de hujus controversiæ alterutra parte disputare, rationibus, vel Doctorum auctoritate asserendo propriam sententiam, et contrariam refellendo aut impugnando, vel de hac ipsa quæstione, cujusvis pietatis, aut necessitatis prætextu, vulgari sermone scribere vel dictare præsumant. Qui contra fecerit suspensionis pœnam à divinis, absque nova declaratione, ipso facto, incurrat, si modò fuerit in sacris constitutus, et quocunque præterea gradu, sive dignitate, vel administratione fungatur, illis omnibus sit ipso jure privatus, et ad eadem vel similia munera obtinenda vel obeunda perpetuæ inhabilitatis censuræ ipso facto sit obnoxius, super quibus nisi à Romano Pontifice pro tempore existente dispensari atque absolvi non possit. Et nihilominùs aliis pœnis, si opus fuerit, à proprio Prælato pro delicti mensura infligendis subjiciatur, prout subjicimus.

§. 3. Cæterùm quamdiu per Apostolicam sedem, altera pars definita non fuerit, oppositaque sententia condemnata, liceat viris doctis, in publicis Academiæ disputationibus, sive generalium aut provincialium Capitulorum, vel ubi aliàs intersunt, qui rem capere possunt, nec scandali ulla subest occasio, de illa quæstione disserere, et argumentis utramlibet partem, vel asserere, vel impugnare, dum tamen neutra veluti erronea prædicetur, serventurque illa omnia, quæ à dicto Sixto prædecessore nostro statuta sunt, quorum singula, ut præfertur, etiam quantùm ad alias pœnas, duximus innovanda et innovamus per præsentes.

§. 4. Ut autem hæc nostra Constitutio et præmissa omnia, ad eorum omnium quorum interest, notitiam congruentiùs pervenire possint, in virtute sanctæ obedientiæ, et sub pœna privationis ab ingressu Ecclesiæ etiam eo ipso incurrenda, si in his quæ mandamus exsequendis se negligentes exhibuerint, præcipimus et mandamus omnibus et singulis locorum Ordinariis, et eorumdem Vicariis suffraganeis, et Officialibus quibuscunque, et aliis singulis ad quos quomodolibet spectat et pertinet, quatenùs hujusmodi nostram Constitutionem singulis suæ Diœcesis, vel districtûs Prædicatoribus et aliis quibus expedire judicaverint, opportunè insinuent et publicent, ac insinuari et publicari faciant. Et ne quis in posterum quoquomodo ignorantiam de præmissis possit prætendere, aut se contra præmissa valeat excusare.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1570. pridiè Kalendas Decembris Pontificatûs nostri V.

PAULUS V. *anno* 1616. *Bulla* 97. Regis Pacifici, quanquam nullo nostro merito, divinâ dispositione vices gerentes in terris, ex muneris nostri debito, pacis et concordiæ inter Christi fideles, præsertim Ecclesiasticas personas, quæ aliis in viam pacis dirigendis et in unitate Spiritûs continendis sunt præpositæ, conservationi sedulò invigilare cupientes, ea quæ à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus ad scandalorum semina tollenda salubriter constituta sunt, cùm hostis antiqui insidiis, qui ab initio dissidia serere cœpit, minimè observari, aut variis modis eludi dignoscuntur, ut inviolata serventur, opportunis remediis, quantùm cum Domino possumus, providemus.

§. 1. Olim siquidem per felicis recordationis Sixtum Papam IV. prædecessorem nostrum, accepto quòd nonnulli diversorum Ordinum Præ-

dicatores, in suis Sermonibus ad populum publicè per diversas civitates et terras affirmare non erubuerant, et quotidiè prædicare non cessabant, omnes illos qui tenebant aut asserebant gloriosam et immaculatam Dei Genitricem absque originalis peccati maculâ fuisse conceptam, mortaliter peccare, vel esse hæreticos: ejusdemque immaculatæ Conceptionis Officium celebrantes, audientesque Sermones illorum, qui eam sine hujusmodi macula conceptam esse affirmabant, graviter peccare; sed et prædictis prædicationibus non contenti, confectos super eisdem suis assertionibus, et prædicationibus libros in publicum ediderant, ex quorum assertionibus et prædicationibus, non levia scandala in mentibus fidelium exorta erant, et majora meritò exoriri formidabantur in dies. Idem Sixtus prædecessor hujusmodi temerariis ausibus, et perversis assertionibus et scandalosis, quæ exinde in Dei Ecclesia exoriri poterant, obviare volens, hujusmodi assertiones Prædicatorum eorumdem, et aliorum quorumlibet, qui affirmare præsumerent, eos qui crederent, aut tenerent eamdem Dei Genitricem ab originalis peccati macula in sua conceptione præservatam fuisse, propterea alicujus hæresis labe pollutos fore, vel mortaliter peccare, aut hujusmodi Officium Conceptionis celebrantes, seu hujusmodi Sermones audientes alicujus peccati reatum incurrere, utpote falsas et erroneas, et à veritate penitùs alienas, editosque desuper libros prædictos id continentes, quo ad hoc reprobavit et damnavit, ac statuit et ordinavit, quòd Prædicatores verbi Dei, et quicunque alii cujuscunque statûs, gradûs, aut ordinis et conditionis essent, qui ausu temerario præsumerent in eorum Sermonibus ad populum, seu aliàs quomodolibet affirmare, hujusmodi sic per eum improbatas et damnatas assertiones veras esse, aut dictos libros pro veris legere, tenere, vel habere, excommunicationis sententiam eo ipso incurrerent, à qua ab alio quàm à Romano Pontifice, nisi in mortis articulo nequirent absolutionis beneficium obtinere. Similique pœnæ et censuris subjecit eos, qui ausi essent asserere contrariam opinionem tenentes, videlicet, gloriosam Virginem Mariam cum originali peccato fuisse conceptam, hæresis crimen vel peccatum incurrere mortale, cùm nondum id esset à Romana Ecclesia et Apostolica sede decisum.

§. 2. Hanc verò Sixti prædecessoris nostri Constitutionem œcumenica Tridentina Synodus postea innovavit.

§. 3. Ac deinde similis recordationis Pius Papa V. etiam prædecessor noster, statuit, ordinavit, et mandavit, quatenùs nemo cujuscunque ordinis vel dignitatis existeret, in popularibus concionibus, vel ubicunque promiscua virorum et mulierum multitudo convenire solet, de hujus controversiæ alterutra parte disputare, rationibus vel Doctorum auctoritate asserendo propriam sententiam, et contrariam refellendo vel impugnando, aut de hac ipsa quæstione cujusvis pietatis aut necessitatis prætextu vulgari sermone scribere, vel dictare præsumeret. Qui contra faceret suspensionis pœnam à divinis absque nova declaratione ipso facto incurreret, si modò esset in sacris constitutus, et quocunque præterea gradu, sive dignitate, vel administratione fungeretur, illis omnibus foret ipso jure privatus, et ad eadem vel similia munera obtinenda vel obeunda perpetuæ inhabilitatis censuræ ipso etiam facto obnoxius foret; super quibus nisi à Romano Pontifice pro tempore existente dispensari, sive absolvi non posset, et nihilominùs aliis pœnis, si opus foret, a proprio Prælato pro delicti mensura infligendis subjectus esset, prout subjecit.

§. 4. Cæterùm quandiu per Apostolicam sedem altera pars definita non esset, oppositaque sententia condemnata, liceret viris doctis in publicæ Academiæ disputationibus, sive Generalium, aut Provincialium Capitulorum, vel ubi aliàs interessent qui rem capere possent, nec scandali ulla subesset occasio, de illa quæstione disserere, et argumentis utramlibet partem asserere vel impugnare, dum tamen neutra veluti erronea prædicaretur, servarenturque illa omnia, quæ à dicto Sixto Prædecessore statuta sunt, quorum singula etiam quantùm ad alias pœnas duxit innovanda, et innovavit, prout in Sixti et Pii prædecessorum litteras desuper confectis plenius continetur.

§. 5. Verùm licet hæc providè statuta sint, nihilominùs sicut acce

pimus, nonnulli in diversis Christiani orbis partibus, interminatis quæstionibus nimis intenti, dissensionum hujusmodi, jam pridem Ecclesiæ disciplinæ vigore recisa germina coalescere procurant, indeque contentiones et rixæ non sine Dei offensa et scandalo plurimorum exortæ sunt, et graviores in die ne exoriantur periculum est, nisi à nobis opportunè provideatur.

§. 6. Quamobrem motu proprio non ad alicujus nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, Constitutionum Sixti et Pii prædecessorum hujùsmodi veriores tenores præsentibus pro expressis et ad verbum insertis habentes, easdem Constitutiones Apostolicâ auctoritate tenore præsentium approbamus, et confirmamus, et etiam quò ad earum pœnas quascunque etiam absolutionis reservationem innovamus, et inviolabiliter ab omnibus etiam Regularibus, cujuscunque Ordinis et Instituti, et aliis quibuscunque tam Ecclesiasticis quàm secularibus personis, cujusvis statûs, gradûs, ordinis et conditionis, aut dignitatis, tam Ecclesiasticæ quàm secularis, etiamsi specialis, specifica, et individua earum esset necessariò facienda mentio, observari præcipimus et mandamus, donec à Romana Apostolica sede hujusmodi controversia fuerit diffinita.

§. 7. Ac prætereà si quis quovis modo contravenerit, præter suprà dictarum Constitutionum pœnas respectivè ipso facto incurrendas, etiam concionandi publicè, legendi, seu docendi, et interpretandi facultate, ac voce activâ et passivâ in quibuscunque electionibus, eo ipso absque alia declaratione privatus existat, necnon ad concionandi et publicè legendi, docendi, et interpretandi perpetuæ inhabilitatis pœnas similiter ipso facto incurrat, absque aliâ declaratione, à quibus non nisi à nobis ipsis, vel successoribus nostris Romanis Pontificibus pariter absolvi, seu super his dispensari possit; et nihilominùs aliis pœnis nostro et eorumdem Romanorum Pontificum successorum nostrorum arbitrio infligendis, subjiciatur, prout eum subjicimus per præsentes.

§. 8. Et contra hujusmodi transgressores etiam Regulares cujusvis Ordinis et Instituti, etiam quomodolibet exemptos, et alias quascunque Ecclesiasticas et seculares personas cujuscunque statûs, gradûs, ordinis, aut dignitatis, tam Ecclesiasticæ quàm secularis, ut præfertur, tam Episcopi et Prælati, Superiores, aliique Ordinarii locorum, quàm hæreticæ pravitatis ubique locorum deputati Inquisitores procedant et inquirant, atque in eos severè animadvertant. Nos enim iis et eorum cuilibet, contra eosdem transgressores procedendi et inquirendi, ac pœnas coërcendi et puniendi liberam facultatem et auctoritatem iisdem auctoritate et tenore tribuimus, et impartimur, eosque, ut præfertur, procedere, inquirere et punire præcipimus et mandamus.

§. 9. Non obstantibus omnibus iis, et singulis, quæ tam Sixtus quàm Pius prædecessores prædicti in litteris suis hujusmodi voluerunt non obstare. Quibus omnibus et singulis eorum tenores præsentibus pro plenè et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, hàc vice duntaxat specialiter et expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 6. Julii 1616. Pontificatûs nostri 12.

GREGOR. XV. *Bulla* 29. 24. *Maii ann.* 1622. §. 1. Sanctissimus Dominus noster, post longam et maturam discussionem, auditis votis illustrissimorum et Reverendissimorum DD. Cardinalium..... re accuratè ac diligenter perpensâ, providè considerans, quòd quamvis in Constitutione felicis recordationis Sixti IV. super Conceptione Beatissimæ Virginis Mariæ pro submovendis inter Christi fideles scandalis, rixis, et contentionibus edita, à S. Tridentina Synodo innovata, et deinde in alia Constitutione sanctæ memoriæ Pii V. super eadem re, quas similiter Sanctitas sua innovavit, cum quibusdam provisionibus et adjectionibus pœnarum, pro efficaciori earum observatione, relinquatur unicuique libera facultas tenendi et etiam asserendi utramque partem, quòd scilicet fuerit, vel non fuerit concepta cum peccato originali, et dum tamen neutra veluti erronea, aut hæretica damnetur, nihilominùs ex occasione assertionis affirmativæ in publicis concionibus, lectionibus, con-

clusionibus, et actibus publicis, quòd eadem beatissima Virgo fuerit cum peccato originali concepta, oriuntur in populo Christiano, cum magna Dei offensâ, scandala, jurgia, et dissensiones. Propterea volens hujusmodi scandalis ex debito sui muneris providere, decrevit, et præcepit, ac præsentis Decreti virtute mandat et præcipit omnibus et singulis cujusvis Ordinis, et instituti Regularibus, et aliis quibuscunque tam Ecclesiasticis quàm secularibus personis cujusvis conditionis, statûs, gradûs, ordinis, aut dignitatis tam Ecclesiasticæ quàm secularis, etiamsi specialis, specifica, et individua earum esset necessariò mentio facienda, ut in posterum donec articulus hujusmodi à sancta Sede Apostolica fuerit diffinitus, vel per Sanctitatem suam et Sedem Apostolicam fuerit aliter ordinatum, non audeant in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus, et aliis quibuscunque actibus publicis asserere, quòd eadem Beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato originali. Contrafacientes autem eadem Sanctitas sua voluit et declaravit subjacere debere et subjecit censuris, et pœnis contentis in supradictis Constitutionibus suorum prædecessorum, et sua ipso facto incurrendis. Per hujusmodi tamen provisionem Sanctitas sua non intendit reprobare alteram opinionem, nec ei ullum prorsùs præjudicium inferre, eam relinquens in eisdem statu, et terminis in quibus de præsenti reperitur, præterquàm quoad suprà disposita. Ulteriùs sub eisdem censuris, et pœnis mandans, quòd negativam opinionem, videlicet quòd non fuerit concepta cum peccato originali, in prædictis publicis actibus afferentes, aliam opinionem non impugnent, nec de ea aliquo modo agant, seu tractent. Insuper voluit et expressè mandavit, ut extra hos casus expressos publicorum actuum, in reliquis omnibus supradictæ Constitutiones firmæ, et illæsæ remaneant et exactè observentur perinde ac si præsens Decretum non emanasset. Et ita decrevit, et mandavit ubique inviolabiliter observari, non obstantibus in hac parte supradictis Constitutionibus, et aliis omnibus in contrarium facientibus.

§. 2. Hoc suo præsenti Decreto ex eisdem causis ad evitanda scandala, dissensiones, atque discordias in populo Christiano, quæ pari ratione, oriri possunt, et ut accepit, in aliquibus Regionibus jam orta sunt ex sermonibus privatis, occasione assertionis affirmativæ, extendit, et ampliavit etiam ad privata colloquia et scripta, mandans et præcipiens omnibus et singulis supradictis, ne de cætero, donec articulus hujusmodi à Sede Apostolica definitus, vel per Sanctitatem suam et Sedem Apostolicam fuerit aliter ordinatum, neque etiam in sermonibus, et scriptis privatis audeant asserere, quòd eadem Beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato originali, nec de hac opinione affirmativa aliquo modo agere, seu tractare, exceptis tamen quibus à sancta Sede Apostolica fuerit super hoc specialiter indultum. Per hoc tamen Sanctitas sua non intendit reprobare hanc opinionem, nec ei ullum prorsùs præjudicium inferre, eam relinquens in eisdem statu et terminis, in quibus reperitur, præterquam quoad in supradicto felicis recordationis Pauli V. et hoc suo Decreto disposita.

§. 3. Eademque Sanctitas sua voluit, et expressè mandavit, ut in reliquis omnibus, ubi hujusmodi Decretis non adversantur, Constitutiones Sixti IV. Alexandri VI. et Pii V. ac Pauli V. ejus prædecessorum super Conceptione Beatissimæ Virginis firmæ et illibatæ remaneant, ac exactè observentur, perindè ac si hujusmodi Decretum non emanasset.

§. 4. Et insuper eadem Sanctitas sua, cùm S. R. E. de Beatiss. Virginis Conceptione festum solemniter et officium celebret, omnibus et singulis personis Ecclesiasticis tam secularibus quàm cujusvis Ordinis et Instituti Regularibus mandat ac præcipit, ut in sacro-sancto Missæ sacrificio ac divino officio celebrandis, tam publicè, quàm privatim, non aliò quàm Conceptionis nomine uti debeant. Contravenientes autem Sanctitas sua voluit, et declaravit subjacere debere et subjecit censuris et pœnis contentis in suprà dictis Constitutionibus ac præfato Decreto suorum prædecessorum ipso facto incurrendis. Et ita decrevit et mandavit ubique inviolabiliter observari.

§. 5. Nonobstantibus in hac parte Constitutionibus suprà scriptis.

Decreto præfato Pauli V. consuetudinibus etiam immemorabilibus, necnon omnibus et singulis quæ prædecessores prædicti voluerunt non obstare, ac aliis quibuscunque in contrarium facientibus.

§. 6. Volens, et decernens, pro observatione et executione præsentis Decreti, et omnium in eo contentorum, quòd contra hujusmodi transgressores etiam Regulares cujusvis Ordinis et instituti, etiam quomodolibet exemptos, et alias quascunque Ecclesiasticas, et seculares personas cujuscunque statûs, conditionis, gradûs, ordinis, aut dignitatis, tam Ecclesiasticæ quam secularis, tam Episcopi et Prælati Superiores, aliique Ordinarii locorum, quàm hæreticæ pravitatis ubique locorum deputati Inquisitores procedant, et in eos severè animadvertant, tribuens eis et eorum cuilibet liberam facultatem et auctoritatem contra eosdem transgressores procedendi, ac pœnis coërcendi et puniendi.

Alexander VII. *Bulla anni* 1661. Sollicitudo omnium Ecclesiarum, quam, licèt meritis et viribus longè impares, Dei optimi maximi voluntate et providentiâ gerimus, in id nos anxiè tenet intentos et vigilantes, ut scandala quæ inter fideles, pro humanæ naturæ corruptione et fragilitate, necesse est ut veniant, quantùm fieri potest paucissima exoriantur: utque exorta quàm celerrimè et quàm diligentissimè amoveantur. Nam iis per quos veniunt certum peccati periculum, quibus verò præbentur præsens afferunt labendi periculum; quorum nos pro nostro pastoralis officii debito, et damnum summoperè dolemus, et discrimine assiduè urimur.

Sane vetus est Christi fidelium erga ejus beatissimam Virginem Mariam pietas, sentientium ejus animam in primo instanti creationis, atque infusionis in corpus, fuisse speciali Dei gratiâ et privilegio, intuitu meritorum Jesu Christi ejus Filii, humani generis Redemptoris, à macula peccati originalis præservatam immunem: atque in hoc sensu ejus Conceptionis festivitatem solemni ritu colentium et celebrantium: crevitque horum numerus, atque hujusmodi cultus post editas à felicis recordationis Sixto PP. IV. prædecessore nostro, in ejus commendationem Apostolicas Constitutiones, quas sacrum Concilium Tridentinum innovavit, atque observari mandavit. Aucta rursùs et propagata fuit pietas hæc, et cultus erga Deiparam post erecta hoc nomine, approbantibus Romanis Pontificibus, Religiosum Ordinem, et Confraternitates, ac concessas ab iisdem Indulgentias; ita ut accedentibus quoque plerisque celebrioribus Academiis ad hanc sententiam, jam ferè omnes Catholici eam complectantur.

Et quia ex occasione contrariæ assertionis in concionibus, lectionibus, conclusionibus, et actibus publicis, quèd nempè eadem Beatissima Virgo Maria fuerit concepta cum peccato originali, oriebantur in populo Christiano, cum magna Dei offensâ, scandala, jurgia, et dissensiones, fel. rec. Paulus PP. etiam prædecessor noster, vetuit horum opinionem præfatæ sententiæ contrariam publicè doceri, aut prædicari. Quam prohibitionem piæ memoriæ Gregorius PP. XV. similiter Prædecessor noster, ad privata etiam colloquia extendit: mandans insuper in favorem ejusdem sententiæ, et in sacro-sancto Missæ sacrificio, ac divino officio celebrandis tam publicè, quàm privatim, non alio quàm Conceptionis nomine uti quicunque debeant.

Nihilominùs, prout venerabiles Fratres Episcopi ferè omnes Hispaniarum cum Ecclesiarum suarum Capitulis, datis ad Nos litteris exposuerunt, accedente etiam insinuatione charissimi in Christo filii nostri Philippi, earum Hispaniarum Regis Catholici, qui specialem super hoc misit ad nos Oratorem venerabilem Fratrem Ludovicum Episcopum Placentinum, per quem etiam delatæ fuerunt ad Nos supplicationes Regnorum earumdem Hispaniarum, pergunt aliqui contrariæ illius opinionis assertores contra præfatas prohibitiones, tum privatim, tum publicè præfatam sententiam, aut impugnare, aut vellicare, et favorem a Romanis Pontificibus cultui, et festo secundùm illam præstitum interpretari, ut frustrentur; imò Ecclesiam Romanam huic sententiæ, et cultui juxta illam Beatæ Virgini exhibito favere negant, pios Christi fideles è sua pacifica quasi possessione deturbare conando: undè offensiones, scandala, et jurgia, quibus obviare voluerunt Paulus V. et Gre-

gorius XV. nostri Prædecessores, perdurant adhuc, et ex occasione eorumdem adversantium majora his incommoda imposterùm prudenter et meritò timentur. Quapropter super his tam præfati Episcopi cum Ecclesiarum suarum Capitulis, quàm memoratus Philippus Rex, ejusque Regna nobis pro opportuno remedio instanter supplicari fecerunt.

Nos considerantes, quòd sancta Romana Ecclesia de intemeratæ semperque Virginis Mariæ Conceptione festum solemniter celebrat, et speciale, ac proprium super hac officium olim ordinavit juxta piam, devotam, et laudabilem institutionem, quæ à Sixto IV. Prædecessore nostro tunc emanavit, volentesque laudabili huic pietati, et devotioni, et festo, ac cultui secundùm illam exhibito in Ecclesia Romana, post ipsius cultùs institutionem nunquam immutato, Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum exemplo favere, necnon tueri pietatem et devotionem hanc colendi et celebrandi Beatissimam Virginem, præveniente scilicet Spiritùs sancti gratiâ, à peccato Originali præservatam: cupientesque in Christi grege unitatem spiritûs in vinculo pacis, sedatis offensionibus, et jurgiis, amotisque scandalis, conservare: ad prætatorum Episcoporum cum Ecclesiarum suarum Capitulis, ac Philippi Regis, ejusque Regnorum oblatam nobis instantiam ac preces, Constitutiones, et Decreta à Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, et præcipuè à Sixto IV. Paulo V. et Gregorio XV. edita in favorem sententiæ asserentis, animam beatissimæ Mariæ Virginis in sui creatione et in corpus infusione Spiritùs sancti gratiâ donatam, et à peccato originali præservatam fuisse; necnon et in favorem festi, et cultûs Conceptioni ejusdem Virginis Deiparæ secundùm piam istam sententiam, ut præfertur, exhibiti, innovamus, et sub censuris et pœnis in eisdem Constitutionibus contentis observari mandamus.

Et insuper omnes, et singulos, qui præfatas Constitutiones, seu Decreta ita pergent interpretari, ut favorem per illas dictæ sententiæ, et festo seu cultui secundùm illam exhibito frustrentur, vel qui hanc eamdem sententiam, festum, seu cultum in disputationem revocare, aut contra ea quoquomodo directè, vel indirectè, aut sub quovis prætextu, etiam definibilitatis ejus examinandæ, sive sacram Scripturam, aut sanctos Patres, sive Doctores glossandi vel interpretandi, denique alio quovis prætextu, seu occasione, scripto, seu voce, loqui, concionari, tractare, disputare, contra ea quidquam determinando, aut asserendo, vel argumenta contra ea afferendo, et insoluta relinquendo, aut alio quovis excogitabili modo disserendo, ausi fuerint, præter pœnas et censuras in Constitutionibus Sixti IV. contentas, quibus illos subjacere volumus, et per præsentes subjicimus, etiam concionandi, publicè legendi, seu docendi, et interpretandi facultate, ac voce activâ et passivâ in quibuscunque electionibus eo ipso absque alia declaratione, privatos esse volumus; necnon ad concionandum, publicè legendum, docendum et interpretandum perpetuæ inhabilitatis pœnas ipso facto incurrere absque alia declaratione; à quibus pœnis nonnisi à Nobis ipsis, vel à Successoribus nostris Romanis Pontificibus absolvi, aut super iis dispensari possint: necnon eosdem aliis pœnis nostro et eorumdem Romanorum Pontificum Successorum nostrorum arbitrio infligendis pariter subjacere volumus, prout subjicimus per præsentes, innovantes Pauli V. et Gregorii XV. superiùs memoratas Constitutiones, sive Decreta. Ac libros in quibus præfata sententia, festum, seu cultus secundùm illam in dubium revocatur, aut contra ea quomodocunque, ut suprà, aliquid scribitur, aut legitur, seu Locutiones, Conciones, Tractatus, et Disputationes contra eadem continentur, post Pauli V. suprà laudatum Decretum edita aut imposterùm quomodolibet edenda, prohibemus, sub pœnis, et censuris in Indice librorum prohibitorum contentis, et ipso facto absque aliâ declaratione pro expressè prohibitis haberi volumus, et mandamus.

Vetamus autem Sixti IV. Constitutionibus inhærentes, quempiam asserere quòd propter hoc contrariam opinionem tenentes, videlicet Gloriosam Virginem Mariam cùm Originali peccato fuisse conceptam, hæresis crimen, aut mortale peccatum incurrant, cùm à Romana Ecclesia, et ab Apostolica sede nondùm fuerit hoc decisum, prout Nos nunc

Quod spectat ad B. Virginem Deiparam, cùm de peccatis agitur nullam sanctus Augustinus vult haberi quæstionem, propter honorem filii ejus Domini nostri Jesus Christi. (C) **Minimè dubium est quin beatam Virginem Matrem Christus ab omni labe puram et gratiâ plenam servaverit ad exsecutionem æterni consilii divinæ sapientiæ : et ad paratam ipsi Virgini ab æterno misericordiam, et ad electionem divinæ maternitatis.** (D)

minimè decidere volumus, aut intendimus : quin potiùs contrariam illam opinionem hæresis, aut peccati mortalis, aut impietatis damnare audentes, præter pœnas, quibus eos subjecit Sixtus IV. aliique Prædecessores nostri Romani Pontifices, gravioribus aliis pœnis subjicimus, quas in contrafacientes huic nostræ Constitutioni superiùs infliximus. Volentes quòd contra hujus nostræ Constitutionis transgressores, etiam Regulares cujusvis Ordinis et Instituti, etiam Societatis Jesu, et quomodolibet exemptos, et alias quascunque Ecclesiasticas et Seculares personas cujuscunque statûs, gradûs, ordinis, aut dignitatis, tam Ecclesiasticæ quàm secularis, ut præfertur, tam Episcopi et Prælati, Superiores aliique locorum Ordinarii, quàm hæreticæ pravitatis ubique locorum deputati Inquisitores procedant et inquirant, atque in eos strictè animadvertant. Nos enim iis, et eorum cuilibet contra eosdem transgressores procedendi, et inquirendi, ac pœnis coërcendi et puniendi liberam facultatem, et auctoritate et tenore tribuimus, et impartimur, eosque, ut præfertur, procedere, inquirere, et punire districtè præcipimus, et mandamus. Nonobstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus, ac quibusvis indultis et litteris Apostolicis, quibusvis quantumcunque qualificatis, et in quacunque, etiam Cardinalatûs, Patriarchali, Archiepiscopali, Episcopali, et quavis aliâ dignitate et honore constitutis, etiam quòd contra eos procedi, interdici, suspendi, vel excommunicari nequeat, quomodolibet concessis. Quibus omnibus, et eorum singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de eis, ipsorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, et expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per generales, etiam id importantes clausulas, mentio habenda, aut alia exquisita forma observanda foret, tenores hujusmodi ac si de verbo ad verbum inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis, et insertis habentes, harum serie specialiter, et expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Ut autem hæc nostra Constitutio, et præmissa omnia ad eorum omnium quorum interest, notitiam congruentiùs pervenire possint, in virtute Sanctæ Obedientiæ, et sub pœna privationis ab ingressu Ecclesiæ eo ipso incurrenda præcipimus, et mandamus omnibus et singulis locorum Ordinariis, ac eorum Vicariis, Suffraganeis, et Officialibus quibuscunque, et aliis singulis ad quos quomodolibet spectat, et pertinet, quatenùs hujusmodi nostram Constitutionem singulis suæ Diœcesis, vel districtûs Prædicatoribus et aliis, quibus expedire judicaverint, opportunè insinuent, et publicent, ac insinuari, et publicari faciant, ne quis impostorum quoquomodo ignorantiam de præmissis possit prætendere, aut se contra præmissa valeat excusare. Volumus, et similiter eadem auctoritate decernimus, et mandamus, quòd præsentes litteræ per aliquos ex nostris Cursoribus in Basilicarum S. Joannis Lateranensis, ac Principis Apostolorum, et Cancellariæ Apostolicæ valvis, ac in acie Campi Floræ de Urbe de more publicentur, et affigantur ; quæ affixio et publicatio ita omnes et singulos, ad quos spectat, afficiat, et arctet, ac si illis personaliter intimatæ fuissent ; et quod illarum transsumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii subscriptis, et sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsùs fides adhibeatur, quæ præsentis litteris adhiberetur, si ostensæ, vel exhibitæ forent.

Legesis ESTIUM *in* 3. *Sentent. Distinct.* 3. §. 2. *et seq. aliosque Theologos.*

(C) S. AUG. *Lib. de nat. et grat. cap.* 36. *n.* 42. *vide* 2. *seq. litt.* (C)

(D) *Heures du* C. DE NOAILLES *in* 12. *Paris* 1707. *sur la Fête de la Conception de la sainte Vierge, pag.* 267. Ce jour est un jour de joie : il

I. Nonne sententia quæ asserit B. Virginem Deiparam immunem fuisse à peccati originalis labe, nonne, inquam, pugnat ea sententia cum iis Scripturæ locis, in quibus dicuntur omnes homines in Adam peccasse ?

R. Ex ipsâ Scripturâ constat propositiones universales, qualis est hæc, *in Adam peccaverunt*, posse exceptione aliquà restringi. Neque ulla temeritas est exceptionem et restrictionem hujusmodi admittere, ubi id fit permittente et approbante Ecclesiâ.

I. Si B. Virgo immunis fuit à macula originali, non ergo fuit Christus ejus Salvator et redemptor ?

R. Nihilominùs Christus fuit ejus redemptor : solius enim Christi virtute et gratiâ fieri potuit ut B. Virgo immunis esset ab originali maculâ, quam contraxisse debuerat non secùs ac cæteri homines.

I. Quæ mens est Ecclesiæ in hoc festo ?

R. Ut faveat immunitati Mariæ à labe originali, et agantur gratiæ Deo pro concessa nobis B. Virgine, de qua natus est Jesus. (E)

annonce le salut qui doit nous être apporté par Jésus-Christ, dont la Mère est aujourd'hui conçue. En quelque moment que nous considérions la sainte Mère de Dieu, éloignons d'elle pour l'honneur de son Fils, toute idée, tout soupçon de péché. Celle que l'Eglise tient avoir reçu de Dieu une grâce particulière qui l'a préservée de toute faute, même vénielle, pendant tout le temps de sa vie, a bien pu être préservée de la tache originelle par un privilége singulier. C'est le sentiment commun et le plus autorisé dans l'Eglise, quoique l'Église n'en ait pas fait une décision, et que ce ne soit pas un article de foi : et les Papes ont défendu de prêcher et d'enseigner publiquement l'opinion contraire.

On ne peut trop blâmer la témérité de ceux qui sans avoir examiné, et même sans être capables d'examiner les raisons de part et d'autre, prennent d'abord le parti qui leur paraît le moins contribuer à la gloire de la sainte Vierge. Les simples fidèles doivent respecter et recevoir avec joie le pieux sentiment qui semble honorer davantage la Mère et le Fils ; ou du moins arrêter leur curiosité, s'en tenir à ce que la foi et la piété leur enseignent, et ne point douter que Dieu n'ait rendu Marie toute pure et toute sainte, au moment et de la manière qui ont été les plus convenables à l'exécution de ses desseins éternels, à la miséricorde qu'il voulait exercer envers elle, et au choix qu'il en avait fait pour être la Mère de Jésus-Christ.

Venons à l'instruction que nous pouvons tirer de l'abondante bénédiction qui prévient Marie. Que le Fils de Dieu s'y prend de bonne heure à sanctifier et à remplir de grâce celle en qui il doit demeurer, et de qui il doit naître ! Apprenons de là quelle pureté et quelle sainteté il demande de nous, et que nous ne pouvons pas nous prendre de trop bonne heure à nous préparer à le recevoir. Appliquons cette réflexion au temps où nous sommes, et efforçons-nous de redoubler nos désirs, nos vœux, nos bonnes œuvres, pour nous disposer à recevoir le Fils de Dieu à sa naissance.

Il faut à toutes les Fêtes de la sainte Vierge, remercier Dieu des grâces dont il l'a comblée, et de celles qu'il nous a faites par son intercession : il faut nous affermir dans cette dévotion solide, qui consiste à invoquer tellement la sainte Vierge, qu'on ait soin en même temps de l'imiter, et de se rendre agréable à son Fils et à elle, par la fuite du péché et par l'amour de Dieu.

(E) Bellarm. *Tom.* 1. *Controv. de Cultu Sanct. lib.* 3. *cap.* 16. *de festis Sanctorum. sibi objicit ex adversariorum scriptis adversus solemnitates*

§. 18. De Nativitate B. Mariæ Virginis.

I. Quandonam celebrat Ecclesia Nativitatem B. Virginis Mariæ?

Sanctorum, Secundò (*rejicienda esse festa*,) quia aliqua falso fundamento nitantur, ut Conceptionis Beatæ Mariæ festum, quod festum B. Bernardus nominatim reprehendit in Epist. 174. ad Canonicos Lugdunenses: ubi dicit, errorem, et superstitionem sapere hoc festum, quia eo vel peccatum honoratur, sine quo Conceptio ista non fuit; vel falsa inducitur sanctitas. Et prætereà apud nos etiam non est certum, an B. Virgo sine peccato originali concepta fuerit; Ecclesia enim utramque opinionem permittit, ergo saltem dubium est, an rectè hoc festum celebremus.

Huic objectioni respondet his verbis: Ad secundum de festo Conceptionis, quòd falso fundamento niti videtur, dico; Primò, in majori parte Ecclesiæ pie credi B. Virg. sine peccato originali conceptam, quod etiam ex adversariis fatentur Lutherus, et Erasmus; ille in sermone de festo Conceptionis; iste in Apologia ad Albertum Pium Carpensem.

Dico secundò, fundamentum hujus festi præcipuum non esse Conceptionem immaculatam, sed simpliciter Conceptionem matris Dei futuræ: qualiscunque enim fuerit illa conceptio, eo ipso quòd conceptio fuit matris Dei, singulare gaudium affert mundo ejus memoria: tunc enim primùm habuimus pignus certum redemptionis, præsertim cùm non sine miraculo ex matre sterili concepta fuerit. Itaque hoc festum etiam illi celebrant, qui putant Virginem in peccato conceptam.

Dices, hoc modo etiam Joannis Baptistæ conceptio celebrari posset. Respondeo, Posset sanè, ut Græci faciunt. Nam in Kalendario Græcorum die 23. Septembris annotatur festum Conceptionis Joannis Baptistæ: sed Ecclesiæ Latinæ non est visum tot festa multiplicare. Et prætereà magnum est discrimen inter Matrem Dei, et Præcursorem ejusdem, et inter utrumque conceptionem. Nam quia major pars Ecclesiæ piè credit immaculatam Conceptionem, indè habuit eadem Ecclesia occasionem instituendi hoc festum; quam occasionem non habuit ad instituendum festum de conceptione Joannis Baptistæ.

Porrò B. Bernardi sententia nobis favet; ille enim reprehendit Canonicos Lugdunenses, quòd sine exemplo vel præcepto Romanæ Ecclesiæ novum festum instituissent. Si ergo nunc B. Bernardus videret ex auctoritate Romanæ Ecclesiæ festum celebrari, etiam ipse libentissimè celebraret.

Ad rationem autem Bernardi dico, nos nec peccatum honorare, nec inducere falsam sanctitatem, etiamsi Virgo in peccato concepta esset, sed honorare officium matris Dei, ad quod ab ipsa conceptione designata fuit. Nam idem Bernardus ibidem dicit, meritò celebrari Nativitatem Joannis Baptistæ, quia sancta fuit, et tamen ibidem dicit, se non audere asserere sanctificationem Joannis in utero delevisse originale peccatum, licèt hoc pium sit credere. Si ergo ita adversùs Bernardum argumentarer: Colis festum Nativitatis Joannis, quem non audes asserere natum sine peccato, ergo vel honoras peccatum, vel inducis incertam sanctitatem. Responderet Bernardus, nec peccatum se honorare, nec inducere incertam sanctitatem, sed honorare officium Præcursoris, ad quod sanctificatus fuit adhuc in utero matris existens. Idem ergo respondeo illi de Conceptione Beatæ Mariæ. Quòd si ipse quæreret, undè habeamus Beatam Mariam ab ipsa conceptione sanctificatam, saltem ad hoc, ut esset Mater Dei designata; responderem, indè nos hoc didicisse, undè ipse didicit, B. Mariam ab ipsa Nativitate sanctam fuisse. Asserit enim ibidem, ex eo, quòd Ecclesia jam tunc celebrabat B. Virginis ortum, se nihil dubitare, quin ortus ille sanctus fuerit; et nos ergo ex eo, quòd Ecclesia celebrat festum Conceptionis, nihil dubitamus, Conceptionem illam sanctam aliquo modo fuisse, ac saltem ratione officii, ad quod assumebatur.

Tom. 4. Controv. de amiss. grat. Lib. 4. c. 15. 16. et 17. Sententiam de Concept. immacul. B. M. V. contrariâ opinione longè probabiliorem *asserit.*

R. Sexto idus Septembris. (A)

I. Potestne dici Virgo Maria nata cum peccati labe sicut cæteri homines ?

R. Absit ut quid tale audiamus vel cogitemus. Plus certè Deus gratiæ contulit in Virginem Deiparam, quàm in sanctum Joannem Baptistam, qui sanctificatus est ex utero matris suæ. (B)

(A) M. DE TILLEMONT *Tom.* 1. *de ses Mem. pour l'Hist. Eccles. Note* 5. *sur la sainte Vierge.* La Fête de la Nativité de la Vierge est beaucoup plus ancienne, selon Baronius, (*que celle de sa Conception*,) quoiqu'on ne la fit pas encore du temps de S. Augustin. Il marque qu'elle se faisait à Rome du temps du Pape Sergius vers 688. et que saint Ildephonse en parle. C'est pourquoi elle est marquée dan Bede, et même dans Usuard, et dans Adon, quoiqu'elle ne fût pas encore reçue en France du temps de Charlemagne et de Louis son fils, pour être fêtée du peuple par tout le Royaume. Car dès le huitième siècle saint Boniface de Mayence l'avait mise entre les grandes solennités. Cependant le P. Thomassin soutient que le prémier Auteur qui en ait parlé est Fulbert de Chartres vers l'an mille. Et néanmoins il ne conteste aucune des preuves contraires, sinon l'Ordre Romain sujet à avoir été altéré, et le Traité de Ildephonse sur la virginité, qu'il dit n'être pas de lui selon les plus habiles Critiques. Veut-il dire seulement que le peuple ne célébrait pas cette fête, quoiqu'on en fit l'Office dans l'Eglise ? Si c'est sa pensée, je voudrais qu'il l'eût marqué : car il dit généralement que la fête n'a commencé que vers le temps de Fulbert. On la trouve dans l'Angleterre en 994. Elle était établie en France et par toute la terre du temps de saint Bernard. On croit qu'elle a pu commencer vers l'Anjou, parce que dans ces quartiers on l'appelle l'angevine.

Tous nos Martyrologes la mettent le 8. de Septembre, auquel les Grecs la font comme nous. Elle est marquée le même jour dans le Sacramentaire de saint Gregoire p. 128. Mais elle est le 9. dans le Calendrier du P. Fronto p. 129. D'autres la marquent le 16. d'Août.

(B) S. AMBROS. *in Lucam. lib.* 1. *n.* 29. Solemnis autem lætitia est in ortu et generatione Sanctorum : Sanctus enim non solùm parentum gratia, sed etiam salus est plurimorum. Undè admonetur hoc loco Sanctorum generatione lætari.

N. 33. *Et Spiritu*, inquit, *sancto replebitur adhuc in utero matris suæ.* (*Luc.* 1. 15.) Non est dubium, verum hoc Angeli esse promissum : siquidem sanctus Joannes, antequam nasceretur, matris adhuc in utero positus, Spiritûs accepti gratiam designavit..... Sic enim habes, quòd cùm advenisset mater Domini ad Elisabeth, ait illa : *Ecce ut facta est salutatio tua in auribus meis, exsultavit infans in utero meo.* (*Ibid. hâ.*) Nondum enim erat illi Spiritus vitæ, sed Spiritus gratiæ. Denique et alibi vivendi substantiæ præcurrere sanctificandi gratiam potuimus advertere, cùm dicit Dominus : " *priusquam exires de vulva, sanctificavi te, et Prophetam in gentibus posui te.* (*Jerem.* 1. 5.) Alius enim est spiritus vitæ hujus, alius gratiæ : ille nascendo sumit exordium, moriendo defectum : iste non temporibus, non ætatibus coërcetur, non obitu exstinguitur, non alvo matris excluditur.. Cui enim adest Spiritus gratiæ, nihil deest. Et cui Spiritus sanctus infunditur, magnarum plenitudo virtutum est.

S. BERNARD. *Serm.* 2. *de Assumpt. B. M. V. n.* 8. *Vide infrà hocce §. litt.* (L)

M. DE TILLEMONT *Mémoires pour l'Hist. Eccles. tom.* 1. *art.* 1. *de la sainte Vierge.* Il suffit d'être assurés par un Archange qu'elle était chérie de Dieu, et agréable à ses yeux, comme le terme grec de saint Luc semble proprement signifier, ce que l'Ecriture n'a jamais dit d'aucun autre ; qu'elle était pleine de grâce, comme l'Eglise Latine et plusieurs autres l'ont toujours lu ; et que le Seigneur était avec elle.

Il suffit pour notre dessein de dire avec saint Augustin, que la piété nous porte à croire qu'elle a reçu une grâce proportionnée à sa dignité

I. Vixtne Virgo Deipara sine peccato ?

R. Vixit. Gratiâ plena nunquam peccavit, ne venialiter quidem. (C)

I. Quomodo vixit Virgo Deipara ?

R. Vixit parcè ac duriter. Pauper, humilis, abjecta, ignota hominibus, plena Deo, Divinamque legem meditans et implens die ac nocte. (D)

de Mère de Dieu, c'est-à-dire plus grande que celle de tous les Saints.... Aussi quelques éloges que les Pères et particulièrement saint Augustin aient donné après Jésus-Christ à saint Jean-Baptiste, pour le relever au-dessus de tous les autres Saints, neanmoins saint Augustin ne fait point difficulté de reconnaître que la sainte Vierge peut avoir eu une éminence de grâce au-dessus de saint Jean même pour vaincre entièrement le péché.

C'est cette grâce intérieure et cette vertu éminente qui fait proprement la grandeur de la sainte Vierge : puisque la qualité même de Mère de Dieu ne lui eût servi de rien, si en portant le Verbe divin dans son sein, elle ne l'eût porté encore plus heureusement dans son cœur. Sa principale gloire n'est pas de ce que sa chair a engendré la chair de Jésus-Christ ; mais de ce qu'elle a fait la volonté du Père, et observé les commandemens de son Fils. Et c'est en cela qu'elle est plus véritablement sa Mère.

Catéchisme de Meaux de M. Ben. Bossuet, *Leçon* 2. *sur les Fêtes de la sainte Vierge. D.* Naquit-elle dans le péché comme les autres hommes ? *R.* On ne le doit pas croire, ni que Dieu lui ait accordé moins de grâces qu'à saint Jean-Baptiste. *D.* Quelle grâce Dieu accorda-t-il à saint Jean-Baptiste ? *R.* D'être sanctifié dès le ventre de sa mère ; et cela se fit à la voix de la Sainte Vierge. *D.* Que conéluez-vous de là ? *R.* Qu'elle même ne doit pas avoir reçu un moindre privilége : et il faut plutôt croire qu'elle en aura reçu de plus grands.

(C) Concil. Trident. *Sess.* 6. *ann.* 554. *Can.* 23. Si quis hominem semel justificatum dixerit ampliùs peccare non posse, nec gratiam amittere, atque ideò cum qui labitur et peccat nunquam verè fuisse justificatum ; aut contrà posse in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de beata Virgine Maria tenet Ecclesia, anathema sit.

S. Ambros. *in vers. ult. Ps.* 118. *n.* 27. Ovis quæ erravit, quærenda est à Pastore, ne pereat. Idcò dicit : Erravi.... Quòd lapsum fateris, in eo tibi cum omnibus commune consortium est : quia nemo sine peccato : negare hoc, sacrilegium est ; solus enim Deus sine peccato est. Confiteri hoc Deo, impunitatis remedium est.

N. 30. Suscipe me in carne, quæ in Adam lapsa est. Suscipe me non ex Sarrâ, sed ex Mariâ ; ut incorrupta sit Virgo, sed Virgo per gratiam ab omni integra labe peccati.

S. Aug. *Lib. de nat. et grat. cap.* 36. *n.* 42. Exceptâ itaque sanctâ Virgine Mariâ, de qua propter honorem Domini nullam prorsùs cùm de peccatis agitur, haberi volo quæstionem : unde enim scimus, quid ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum ?

(D) S. Ambros. *Lib.* 2. *de Virg. cap.* 2. *n.* 6. Sit igitur vobis tanquam in imagine descripta virginitas vitæ Mariæ, de qua velut speculo refulgeat species castitatis et forma virtutis. Hinc sumatis licet exempla vivendi, ubi tanquam in exemplari magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid effingere, quid tenere debeatis, ostendunt.

N. 7. Sed primus discendi ardor nobilitas est magistri. Quid nobilius Dei matre ? Quid splendidius eâ, quam splendor elegit ? Quid castius eâ quæ corpus sine corporis contagione generavit ? Nam de cæteris ejus virtutibus quid loquar ? Virgo erat non solùm corpore, sed etiam mente, quæ nullo doli ambitu sincerum adulteraret affectum : corde humilis, verbis gravis, animi prudens, loquendi parcior, legendi studiosior : non in incerto divitiarum, sed in prece pauperum spem reponens:

intenta operi, verecunda sermone, arbitrum mentis solita non hominem sed Deum quærere : nullum lædere, benè velle omnibus, assurgere majoribus natu, æqualibus non invidere, fugere jactantiam, rationem sequi, amare virtutem. Quando ista vel vultu læsit parentes? Quando dissensit à propinquis? Quando fastidivit humilem? Quando derisit debilem? Quando vitavit inopem; eos solos solita cœtus virorum invisere, quos misericordia non erubesceret, neque præteriret verecundia? Nihil torvum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inverecundum : non gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior; ut ipsa corporis species simulacrum fuerit mentis, figura probitatis. Bona quippe domus in ipso vestibulo debet agnosci, ac primo prætendat ingressu nihil intùs latere tenebrarum; ut mens nostra nullis repagulis corporalibus impedita, tanquam lucernæ lux intùs posita foris luceat.

N. 8. Quid ego exsequar ciborum parcimoniam, officiorum redundantiam : alterum ultrà naturam superfuisse, alterum penè ipsi naturæ defuisse : illic nulla intermissa tempora, hic congeminatos jejunio dies? Et si quando reficiendi successisset voluntas, cibus plerumque obvius, qui mortem arceret, non delicias ministraret. Dormire non priùs cupiditas quàm necessitas fuit? et tamen cùm quiesceret corpus, vigilaret animus : qui frequenter in somnis aut lecta repetit, aut somno interrupta continuat, aut disposita gerit, aut gerenda prænuntiat.

N. 9. Prodire domo nescia, nisi cùm ad Ecclesiam conveniret, et hoc ipsum cum parentibus, aut propinquis; domestico operosa secreto, forensi stipata comitatu; nullo meliore tamen sui custode quàm se ipsâ, quæ incessu affatuque venerabilis, non tam vestigium pedis tolleret, quàm gradum virtutis attolleret. Ut tamen alios habeat Virgo membrorum custodes suorum, morum autem suorum se habeat ipsa custodem : plures erunt de quibus discat, si ipsa se doceat, quæ virtutes magistras habet; quia quidquid egerit, disciplina est. Sic Maria intendebat omnibus, quasi à pluribus moneretur : sic omnia implebat virtutis officia, ut non tam disceret, quàm doceret.

N. 10. Talem hanc Evangelista monstravit, talem Angelus reperit, talem Spiritus sanctus elegit. (*Luc.* I. 27.) Quid enim in singulis morer, ut eam parentes dilexerint, extranei prædicaverint, quæ digna fuit ex qua Dei Filius nasceretur? Hæc ad ipsos ingressus Angeli inventa domi in penetralibus, sine comite, ne quis intentionem abrumperet, ne quis obstreperet; neque enim comites feminas desiderabat, quæ bonas cogitationes comites habebat. Quin etiam tum sibi minùs sola videbat, cùm sola esset. Nam quemadmodum sola, cui tot libri adessent; tot Archangeli, tot Prophetæ?

N. 11. Denique et Gabriel eam ubi revisere solebat, invenit : (*Ibid.* 28.) et Angelum Maria quasi virum specie nota trepidavit : quasi non incognitum audito nomine recognovit. Ita peregrinata est in viro, quæ non est peregrinata in Angelo : ut agnoscas aures religiosas, oculos verecundos. Denique salutata obmutuit, et appellata respondit : sed quæ primò turbaverat affectum, postea promisit obsequium.

N. 12. Quàm verò religiosa in propinquas fuerit, Scriptura divina significat. Nam et humilior facta est, (*Ibid.* 38.) ubi se à Deo cognovit electam, et statim ad cognatam suam in montana processit : non utique ut exemplo crederet, quæ jam crediderat oraculo : *Beata* enim, inquit, *quæ credidisti.* (*Ibid.* 45.) Et tribus cum ea mensibus mansit. Tanti autem intervallo temporis non fides quæritur, sed pietas exhibetur. Et hoc posteaquam in utero parentis exsiliens puer matrem Domini salutavit, (*Ibid.* 41.) priùs compos devotionis, quàm naturæ.

N. 13. Inde tot sequentibus signis, cùm sterilis pareret, Virgo conciperet, loqueretur mutus, adoraret Magus, exspectaret Simeon, sidera nuntiarent, Maria mobilis ad introitum, immobilis ad miraculum : *conservabat*, inquit, *hæc omnia in corde suo.* (*Luc.* II. 19.) Quamvis mater Domini, discere tamen præcepta Domini desiderabat; et quæ Deum genuerat, Deum tamen scire cupiebat.

N. 14. Quid, quòd annis quoque omnibus ibat in Jerusalem solemni die Paschæ, et ibat cum Joseph? (*Ibid.* 41.) Ubique in Virgine comes sin-

I. Quid est quod magis miremur in virtutibus Mariæ ?

R Propositum castitatis, quam ab ineunte ætate vovit Deo in perpetuum. Cujus quidem propositi nullum hactenus exemplum exstiterat, ut sancti Patres unanimi consensu asserunt. (E)

gularum virtutum est pudor. Hic individuus debet esse virginitati, sine quo non potest esse virginitas. Nec ad templum igitur Maria sine pudoris sui custode processit.

N. 15. Hæc est imago virginitatis. Talis enim fuit Maria, ut ejus unius vita omnium sit disciplina. Si igitur auctor non displicet, opus probemus ; ut quæcunque sibi ejus exoptat præmium, imitetur exemplum. Quantæ in una Virgine species virtutum emicant ? Secretum verecundiæ, vexillum fidei, devotionis obsequium : virgo intrat domum, comes ad ministerium, mater ad templum.

Lege vitam B. Mariæ Virg. D. DE TILLEMONT *tom.* 1. *comment. in Hist. Eccles.*

(E) MALDONAT. è Soc. Jesu, *Comment. in Luc.* I. 34. Quomodo fiet istud ?.... Beata Virgo non potuit naturalem impotentiam significare, cùm nubilis credatur fuisse, et re jam ipsâ nupta esset. Significavit ergo moralem impotentiam, non eam quæ ex lege aut præcepto oritur, nullâ enim lege, nullo præcepto, viro suo uti vetabatur ; significavit igitur moralem impotentiam, natam ex voto. Itaque rectè multi gravesque auctores existimaverunt, beatam Virginem antequam ad eam veniret Angelus, virginitatis votum edidisse, in quibus est Gregorius Nyssenus, et Divus Augustinus, et Beda, ut apparet hoc loco, et Bernardus, et Anselmus, et Rupertus.

De tempore quo votum fecerit, inter recentiores Theologos disputatur. Gregorius Nyssenus, et Nicephorus existimant, antequàm nasceretur Virgo, aut antè certè quàm ex infantia excederet, fuisse eam à parentibus Deo consecratam ; in qua consecratione, et virginitatis perpetuæ votum contineretur. Alii recentiores Theologi post initum cum Josepho conjugium, ejus consensu votum à Virgine factum volunt. Alii, quibus magis equidem assentior, priùs etiam quàm matrimonio jungeretur, factum fuisse putant. Horret enim imbutus pietate animus, vel cogitare, sanctissimam Virginem corpus aliquando suum periculo corruptionis exposuisse, quod fecisset profectò, si non obstricta priùs voto nupsisset.

MENOCHIUS è Soc. Jesu, *Comment. in Luc.* I. 34. *Quomodo fiet istud ?* Non dubitat de veritate dictorum ab Angelo, sed modum quærit : *Virum non cognosco*, id est, vovi non cognoscere ; scilicet voverat castitatem ante desponsationem.

TIRINUS *ibid. Quomodo fiet istud ?* Non dubitat de veritate prædictionis, ut vult Calvinus, sed solùm de modo sollicita, ne fieret cum aliqua voti sui et virginitatis jactura : ita Ambrosius, Augustinus, Theophylactus, et Beda. Malebat enim esse virgo, quàm mater Dei, inquit Anselmus et Nyssenus.

ESTIUS *in Sentent. lib.* 4. *Distinct.* 30. *explicans hæc verba Luc.* I. 34. Quomodo fiet istud ? etc. *hæc habet* §. 4. Consequens igitur est, tum ex interrogatione Virginis benè expensa et intellecta, tum ex adjunctis rationibus, illam sine conditione et absolutè vovisse ; ac proinde hunc esse verborum ejus sensum : Quis erit modus hujus conceptûs et partûs, quem tu mihi annuntias, cùm mihi jam integrum non sit cum viro commiscere, eò quòd per votum virginitatem meam consecraverim Deo ? Hunc sensum et hanc de voto Virginis doctrinam confirmat auctoritas Patrum. Scribit enim apertissimè de ea re sanctus Augustinus libro de sancta virginitate, capite quarto, in hæc verba : « Ipsa quoque virginitas » ejus ideò gratior et acceptior, quia non eam conceptus Christus viro » violaturo, quam conservaret, ipse præripuit, sed priusquam concipe» retur, jam Deo dicatam, de qua nasceretur, elegit. Hoc indicant verba » quæ sibi fœtum annuntianti Angelo Maria reddidit, *Quomodo*, inquit, » *fiet istud, quoniam virum non cognosco ?* Quod profectò non diceret nisi » Deo virginem se antè vovisset. Sed quia hoc Israëlitarum mores adhuc

» recusabant, desponsata est viro justo non violenter ablaturo, sed potiùs » contra violentos custoditurо, quod illa jam voverat. *Et infrà :* Poterat » et juberi Virgo permanere, in qua Dei Filius formam servi congruenti » miraculo acciperet : sed exemplo sanctis futura virginibus virginita- » lem Deo dicavit, cùm adhuc quid esset conceptura nesciret, ut in » terreno mortalique corpore cœlestis vitæ imitatio voto fieret, non præ- » cepto ; amore eligendi, non necessitate serviendi. » Hæc Augustinus, qui etiam in Serm. 20. de tempore, cap. 2. ejusdem voti apertè meminit, et tractatu 10. in Joannem dicit à Maria cœpisse dignitatem virginum, scilicet sacrarum, quæ nimirùm Deo sese per votum dicaverint. Et in tractatu de Cataclysmo sub finem, sive Augustinus sive Eradius ejus successor, *Virgo Mater*, inquit, *quod vovit, implevit.*

Similiter Gregorius Nyssenus in Oratione de Nativit. Domini : « Si nup- » tiarum causà, *inquit*, assumpta erat à Josepho, quomodo Angelum de » partu prædicentem, quasi re novâ atque insolità obstupefacta, aver- » sata esset ? Cùm prorsus speraret se quoque ipsam aliquando juxta » legem naturæ matrem esse futuram ? Quoniam Deo dicatam et conse- » cratam carnem, veluti sanctum quoddam donarium, intactum servari » oportebat : propterea etiamsi Angelus sis, inquit, ac de cœlo veneris, » etiamsi supra hominem sit id quod apparet, attamen ut virum cognos- » cam, fieri non potest. Qui mater ero absque viro ? Nam Josephum » sponsum quidem novi, virum autem non cognosco ». *Sic ille.*

Beda quoque scribens in primum Lucæ ad illa verba, *Quomodo fiet, etc.* « Propositum, *inquit*, suæ mentis reverenter exposuit, vitam videlicet » virginalem se ducere decrevisse : quæ quia prima feminarum tantæ se » virtuti mancipare curavit, jure singulari præ cæteris feminis beati- » tate meruit excellere. » Et in sermone de annuntiatione Domini. « Verè » gratiâ plena, cui divino munere collatum est, ut prima inter feminas » gloriosissimum Deo virginitatis munus offerret. »

Item Rupertus lib. 3. in Cantica, ad illud cap. 4. *In uno crine colli tui.* « Dicunt, *inquit*, et verè dicunt amici, quia votum egregium Deo prima » vovisti, votum virginitatis. »

Anselmus autem libro de excellentia Virginis capite 4. de ea testatur, quòd « totam intentionem suam, totum amorem suum, totum studium » suum ad hoc intendit, ut corpus et animam suam Deo virginitate per- » petuâ consecraret. » Idemque rursus in eum sensum Virginis interro- gationem exponit Homiliâ super Evangelio, *intravit Jesus in quoddam castellum*, dicens quòd « beata Virgo meritò mirata est, ab Angelo scisci- » tata, *quomodo* : quia quamvis desponsatam, tamen se nunquam nuptu- » ram, neque virum cognituram certissimè sciebat. » Sic ille ; sed undè certissimè sciebat, nisi quia voverat ?

His accedit Bernardi clarissimum testimonium : qui Sermone 2. super *Missus est*, affirmat quod « Deus beatæ Virgini jam antè virginitatis » inspiraverat votum. » Et Sermone 4. ejusdem Virginis verba ponde- rans, sic ait : « Non dubitat de pacto, sed modum requirit et ordinem. » Nec enim quærit an fiet istud, sed quomodo : quasi dicat, Cùm sciat » Dominus mens, testis conscientiæ meæ, votum esse ancillæ suæ, non » cognoscere virum, quâ lege, quo ordine placebit ei, ut fiat istud ? Si » oportuerit me frangere votum, ut pariam talem filium, et gaudeo de » filio et dolco de proposito. » Item in sermone qui incipit : *Signum mag- » num*, ex eisdem verbis Virginis concludit eam illibatam Deo corpore » simul et spiritûs sanctimoniam vovisse. »

Bernardo consentit familiaris ejus Arnoldus Carnotensis Abbas Bona- vallis, qui in tractatu de laudibus beatæ Mariæ diserte affirmat, eam Deo virginitatem vovisse, licèt lex conjugium ab omnibus exigere videretur.

His denique accedit concors sententia Scholasticorum in præsentem distinctionem, qui omnes votum agnoscunt ; tametsi nonnulli cum Magistro conditionem affingunt, sed improbabiliter, ut jam antè osten- dimus.

Legitur etiam in vita Catharinæ Senensis, revelatum ei fuisse quòd sancta Maria prima omnium nuncupaverit Deo perpetuæ virginitatis votum : nimirùm conformiter cum doctrina Augustini, Bedæ, Ruperti et aliorum.

Contendit Grotius non fuisse rem apud Judæos insolitam, ut puellæ perpetuæ virginitati sese consecrarent, profertque ea de re obscurum Philonis Judæi testimonium. (F) Verùm pugnat in eo Grotius (ut in multis aliis sæpissimè) cum omni antiquitate. (G)

I. Quos parentes habuit Virgo Deipara?

R. Creditur vulgò ex patre Joachim et Anna matre pro-

JANSEN. IPRENS. *Comment. in Luc.* I. 34. Quoniam virum, scilicet meum Joseph, non cognosco.... Quasi diceret, Non possum, aut licet mihi virum cognoscere. Quod cùm fieri non soleat, nisi ex voto, hinc est quòd Bernard. Hom. 4. in *Missus est*, Beda, Nyssenus oratione in Nativitatem Christi, et imprimis Aug. libro de virginit. cap. 4. constanter inde colligant, eam fuisse voto virginitatis adstrictam, antequam Angelus ei loqueretur: imò antequam nuberet, ut Augustinus. « Quia enim votum » virginitatis, *inquit*, Israëlitarum mores adhuc recusabant, desponsata » est viro justo, non violenter ablaturo, sed potiùs contra violentos cus- » todituro, quod illa jam voverat. »

M. DE TILLEMONT, *Mem. pour l'Hist. Ecclesiast. tom.* 1. *Vie de la Sainte Vierge*, *art.* 2. L'une des plus grandes grâces que Dieu répandit dans la Sainte Vierge, est celle qu'il lui fit d'embrasser pour toute sa vie l'état de la virginité, qui fut accompagnée en elle de deux priviléges tout singuliers. Car elle est la première de son sexe qui ait fait profession de demeurer vierge toute sa vie. Ainsi c'est par elle que la dignité des Vierges a commencé: les prémices de cet état saint lui appartiennent: et elle a, pour dire ainsi, levé l'étendard d'une entière pureté, dont elle n'avait trouvé le modèle que dans le Ciel, y en ayant eu très-peu d'exemples avant elle sur la terre, ou plutôt n'y en ayant eu aucun dont nous ayons connaissance.

(F) GROTIUS *Comment. in Luc.* I. 27. Παρθένον *Virginem.* Maria Ecclesiæ fert imaginem, quæ *Virgo casta* * (2. *Cor.* XI. 2.) parit.... *non ex voluntate viri, sed ex Deo.* (*Joan.* I. 13.) Pertinet huc illud Philonis.... « Apud homines quæ, sobolis quærendæ causâ, fit congressio, eas, » quæ virgines fuerant, mulieres facit: at Deus, ubi cum anima sociare » se cœpit, eam, quæ mulier erat, rursùs virginem facit. »

v. 34. *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Non dubitantis esse arbitror, sed admirantis. Videntur ita Angeli verba à Virgine accepta quasi res jamjam futura indicaretur. Et *non cognosco* ** est, *hactenus viro sum intacta.* Meritò igitur admiratur quomodo conceptura sit sine virili opera, cùm ejus rei nullum exstaret exemplum. *Virum cognovit* etiam apud Ovidium est. Si verum est quod Epiphanius ex veteri auditione narrat, senem admodum fuisse Josephum cùm Maria ipsi desponderetur, tantò erit probabilius quod veteres plerique existimant, his verbis etiam propositum quoddam perpetuæ virginitatis indicari à Maria, ut quæ æquato seni nuptum iret non prolis spe, sed ut haberet cujus sub tutela delitesceret sexûs injuriis obnoxia. Propositum autem virginitatis non tam incognitum Judæis fuit quàm quidam existimant: quod quia ab aliis minùs solidè probatum video, adducam insignem Philonis locum.... (*De Vita contemplat.*) « Intersunt convivio et mulieres, quarum pleræ- » que virgines sunt senectæ, non ex necessitate id servantes magis quàm » suâ sponte, ut nonnullæ apud Græcos Flaminicæ, sed studio et amore » sapientiæ, cum qua vivere cupientes corporis voluptates spreverunt, » immortalis non verò mortalis prolis desiderio, qualem edere sola de » se potest anima pia, serente in eam radios intelligibiles Patre, per » quos intueri possit sapientiæ dogmata. » Hebræi tales votrices virginitatis vocabant Pharisæas, qualis fuit et Jephthæ filia.

(G) *Id suprà probavimus adductis variorum Interpretum S. Scripturæ in hunc locum sententiis, ubi* ignotum fuisse apud Judæos virginitatis votum *omnes clamant....*

* Παρθένος ἀγνή.

** Οὐ γινώσκω.

genita. (H) Ex Regio genere David paternam (I), ex Sacerdotali Aaron genere maternam ducebat originem. (K)

I. Quæ mens est Ecclesiæ in hoc festo?

R. 1. Ut sanctitatem B. Virginis et veneremur et imitemur.

2. Ut ejus exempla secuti, digni efficiamur Christum in corde nostro suscipere, sicut ipsa præ vitæ sanctitate Christum in utero concipere meruit. (L)

(H) M. DE TILLEMONT, *tom.* 1. *de ses Mem. pour l'Hist. Eccl. Note* 3. *sur la Sainte Vierge.* L'opinion qui avait commencé avant saint Jérôme, et qui s'est tout-à-fait établie depuis, est que le père de la Vierge était nommé Joachim. Saint Epiphane le cite des traditions et de l'histoire de la Vierge.... Bollandus... consent qu'on regarde tout cela (*ce qui se dit des parens de la Vierge*) comme des choses sans aucune autorité, à la réserve des noms de Joachim et d'Anne, que l'on peut croire, dit-il, s'être conservés dans la tradition de l'Eglise. J'aimerais mieux dire que ces imposteurs étant assez anciens pour avoir su les véritables noms du père et de la mère de la Sainte Vierge, il est à présumer qu'ils n'en ont pas inventé de faux, n'ayant point de raison de le faire : car pour l'Eglise, il est visible par saint Augustin et par saint Jérôme, qu'elle n'avait aucune tradition que le père de la Vierge fût un Joachim. Bollandus ne veut pas en effet qu'on s'en assure beaucoup, et il croit qu'on peut bien avoir donné au père et à la mère de la Vierge les noms de Joachim et d'Anne, parce que le premier signifie *la préparation du Seigneur*, et l'autre *la grâce.*

(I) MATTH. I. 16. Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus.... 20. Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam.

LUC. I. 26. Missus est Angelus Gabriël à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, 27. ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Virginis, Maria.

(K) LUC. I. 5. Fuit in diebus Herodis, regis Judææ, Sacerdos quidam nomine Zacharias de vice Abia, et uxor illius de filiabus Aaron, et nomen ejus Elisabeth.... 36. Et ecce Elisabeth cognata tua, *inquit Angelus ad Mariam. Ex quo probari potest, Mariam ex Levitico genere duxisse originem, uti ex conjugio ejus cum Josepho, ex regio Davidis sanguine progenitam fuisse necessario infertur, quod apud Judæos ejusdem familiæ viri ac fœminæ connubio invicem jungerentur, ne miscerentur Tribus, et unius familiæ possessiones ad aliam transirent.*

(L) S. BERNARD. *In Assumpt. B. Mariæ Serm.* 2. *n.* 2. Sed quid introïsse cum dicimus in castellum? Etiam in angustissimum virginalis uteri diversorium introivit. Denique et *mulier quædam excepit illum in domum suam.* (*Luc.* X. 38.) Felix mulier, quæ non jam exploratores Hierico, sed potiùs fortissimum illum exspoliatorem stulti illius, qui verè ut luna mutatur, non legatos Jesu filii Nave, sed ipsum magis suscipere meruit verum Jesum Filium Dei. Felix, inquam, mulier : cujus domus, Salvatore suscepto, inventa est munda quidem : sed planè non vacua. Quis enim vacuam dixerit, quam salutat Angelus gratiâ plenam? Neque hoc solum : sed adhuc quoque in eam superventurum asserit Spiritum sanctum. Ad quid putas, nisi ut etiam superimpleat eam? Ad quid, nisi ut, adveniente jam Spiritu plenâ, sibi eodem superveniente, nobis quoque superplena et supereffluens fiat? Utinam fluant in nos aromata illa, charismata scilicet gratiarum : ut de plenitudine tanta omnes accipiamus. Ipsa nempe mediatrix nostra, ipsa est per quam suscepimus misericordiam tuam Deus, ipsa est per quam et nos Dominum Jesum in domos nostras excipimus. Et nobis enim singulis castra sunt singula, et singulæ domus : et sapientia pulsat ad ostia singulorum. Si quis ei aperuerit, introibit, cœnabitque cum eo. Est vulgare proverbium, quod multorum in ore, magis autem in corde versatur : Bonum, inquiunt, servat castellum, qui custodierit corpus suum. Sapiens tamen non sic, sed magis, inquit, *Omni custodiâ serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit.* (*Prov.* IV. 23.)

N. 8. Absit enim ut propriî quidquam inquinamenti domus hæc aliquando habuisse dicatur, ut in ea proinde scopa Lazari quæreretur. Quòd si originalem à parentibus maculam traxit, sed minùs à Hieremia sanctificatam in utero (*Jerem.* I. 5.), aut non magis à Joanne Spiritu sancto repletam credere prohibet pietas Christiana. Hæc enim festis laudibus nascens honoratur. Postremò cùm omni modo constet ab originali contagio, solâ gratiâ, mundatam esse Mariam: quippe cùm et nunc in baptismate solâ hanc maculam lavet gratia, et solâ eam raserit olim petra Circumcisionis: ut omninò pium est credere, proprium Maria delictum non habuit, nihilominùs ab innocentissimo corde etiam pœnitentia longè fuit.

M. 9. *Omnis* quidem *gloria filiæ regis ab intus*, nihilominùs *in fimbriis aureis circumamicta* est *varietate.* (*Ps.* XLIV. 14.) Non est de numero fatuarum virginum prudens Virgo. Lampadem habet, sed in vase oleum portat. An fortè excidit vobis Evangelica illa parabola, quæ fatuas virgines prohibitas narrat ab introitu nuptiarum (*Matth.* XXV. 4.)? Erat equidem domus earum munda, virgines enim erant. Erat ornata, quia simul omnes, id est, fatuæ cum prudentibus, lampades ornaverunt; sed erat vacans, quia in vasis suis oleum non acceperunt. Hinc est quòd nec ab eis suscipi in domos suas, nec admittere eas dignatur sponsus cœlestis ad nuptias. Non sic mulier illa fortis, quæ serpentis caput contrivit. Habes enim post multa in laudibus ejus, quia *non cæstinguetur in nocte lucerna ipsius.* (*Prov.* XXXI. 18.) In suggillationem hoc dicitur fatuarum, quæ, veniente mediâ nocte sponso, conqueruntur serò et dicunt: *Quia lampades nostræ cæstinguuntur.* (*Matth.* XXV. 8.) Processit igitur gloriosa Virgo, cujus lampas ardentissima ipsis quoque Angelis lucis miraculo fuit, ut dicerent (*Cant.* VI. 9.): *Quæ est ista quæ progreditur sicut aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol?* Clariùs enim cæteris ratilabat, quam replevit oleo gratiæ præ participibus suis Christus Jesus filius ejus.

De Virgine Deipara, *Serm.* 2. *n.* 7. Totis ergo medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, et votis omnibus Mariam hanc veneremur, quia sic est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam. Hæc, inquam, voluntas ejus est, sed pro nobis. In omnibus siquidem et per omnia providens miseris, trepidationem nostram solatur, fidem excitat, spem roborat, diffidentiam abigit, erigit pusillanimitatem. Ad Patrem verebaris accedere: solo auditu territus ad folia fugiebas. Jesum tibi dedit mediatorem. Quid non apud talem Patrem Filius talis obtineat? Exaudietur utique pro reverentia sua: Pater enim diligit Filium. An verò trepidas et ad ipsum? Frater tuus est et caro tua, tentatus per omnia absque peccato, ut misericors fieret. Hunc tibi fratrem Maria dedit. Sed forsitan et in ipso Majestatem vereare divinam, quòd licèt factus sit homo, manserit tamen Deus. Advocatum habere vis et ad ipsum? Ad Mariam recurre. Pura siquidem humanitas in Maria, non modò pura ab omni contaminatione, sed et pura singularitate naturæ. Nec dubius dixerim, exaudietur et ipsa pro reverentia sua. Exaudiet utique Matrem Filius, et exaudiet Filium Pater. Filioli, hæc peccatorum scala, hæc mea maxima fiducia est, hæc tota ratio spei meæ. Quid enim? Potestne Filius aut repellere, aut sustinere repulsam: non audire, aut non audiri Filius potest? Neutrum planè. *Invenisti*, ait Angelus, *gratiam apud Deum.* (*Luc.* I. 30.) Feliciter semper hæc inveniet gratiam, et sola est gratia quâ egemus. Prudens Virgo non sapientiam, sicut Salomon, non divitias, non honores, non potentiam, sed gratiam requirebat. Nimirùm sola est gratia quâ salvamur.

N. 8. Quid nos alia concupiscimus, Fratres. Quæramus gratiam, et per Mariam quæramus: quia quod quærit, invenit, et frustrari non potest. Quæramus gratiam apud Deum: nam apud homines gratia fallax. Quærant alii meritum, nos invenire gratiam studeamus.

§. 19. De Assumptione B. Mariæ Virginis.

I. Quâ die celebrat Ecclesia Assumptionem B. Mariæ Virginis.

R. Decimo octavo Kalendas Septembris. (A)

(A) M. DE TILLEMONT *tom.* 1. *de ses Mem. pour l'Hist. Eccles. Note* 18. *Sur la Fête de l'Assomption.* Toute l'Eglise Grecque et Latine célèbre aujourd'hui la mort et la glorification de la sainte Vierge le 15. d'Août. Les Grecs appellent cette Fête le *sommeil* (*coimesis*), et quelquefois le *passage* de la sainte Vierge (*metastasiv*). * Les Latins se sont aussi servi du nom de *sommeil :* mais ordinairement ils lui donnent celui *d'Assomption*, que l'usage a attribué particulièrement à la Vierge, quoiqu'on s'en soit aussi quelquefois servi pour marquer la mort des autres Saints. On en rapporte divers exemples, auxquels on peut ajouter celui de saint Augustin, qui parlant d'un enfant ressuscité par l'intercession de saint Etienne, et mort une seconde fois apres avoir été baptisé, se sert des mêmes termes : *assumptus est.* Le Père Thomassin reconnait cet usage du mot d'*assomption* : c'est pourquoi il est un peu étonnant qu'il en ait fait une preuve de la résurrection de la Vierge.

Cette preuve est d'autant plus fausse, que l'Eglise célèbre proprement le jour de la mort de la Vierge le 15 d'août dans la fête de l'Assomption, comme on le voit par les oraisons dont elle se sert, aussi-bien que par le terme de *sommeil* commun parmi les Latins, et encore plus parmi les Grecs. Or personne ne prétend qu'elle soit ressuscitée le jour même de sa mort. Les uns disent trois jours après, les autres quarante : et ceux qui sont de cette dernière opinion en ont marqué la fête le 23 de septembre, supposant par consequent qu'elle était morte le 15 d'Août. Les anciens calendriers Romains donnés l'un par le P. Fronto, l'autre par Leo Allatius, marquent la fête de l'Assomption par le titre de *repos*, *pausatio*. Dans le Sacramentaire de saint Grégoire, outre les oraisons de la veille et du jour qui se disent encore, on met la veille l'Oraison ordinaire *Concede misericors Deus*, en changeant *memorium* en *requiem*. On dit cette Oraison de la même manière le jour de la fête à None, dans les Monastères des Bernardins, selon leur bréviaire imprimé en 1648.

Nicéphore dit que ce fut l'empereur Maurice qui ordonna le premier de fêter par tout l'empire d'Orient la mort de la Sainte Vierge (*coimesin*) le 15 d'août ; ce qui n'empêche pas qu'on n'en fit dès auparavant quelque solennité. Cent ans après Maurice, André de Crète dit que la mort ou la résurrection de la Vierge était honorée de tout le monde, mais qu'on n'en faisait la fête qu'en peu d'endroits.

De fort anciens Martyrologes marquent le 18 janvier la fête de la mort de la Sainte Vierge, *Depositio ;* et quelquefois celle de son Assomption : et on prétend aussi que les chrétiens d'Egypte célèbrent le 16 du même mois le jour de son repos. La fête de l'Assomption se faisait aussi à Rome du temps du pape Sergius vers l'an 688, sous le nom de *Sommeil*, comme parmi les Grecs, soit entre sa Nativité et la Purification, soit au mois d'août. Elle est marquée le 15 d'août dans l'ancien calendrier Romain donné par le P. Fronto, et dans celui de Leo Allatius, sous le nom de *pausatio*, comme nous venons de le remarquer. Le Sacramentaire de saint Grégoire l'appelle la fête de l'Assomption, et la marque aussi le 15 d'août, auquel on croit que les Français transférerent la fête du 18 de janvier, lorsqu'ils reçurent le rit Romain sous Charlemagne.

Elle n'était pas encore reçue généralement en France vers l'an 813. pour être fêtée par le peuple : mais elle le fut aussitôt après, comme on le voit par les Capitulaires, qui l'appellent la fête de l'Assomption. Dès devant Charlemagne, Godegrand Evêque de Metz en avait fait une des grandes solennités de son Diocèse. Le pape Léon IV. en commença l'Octave vers l'an 847. Et le P. Fronto croit qu'il en établit aussi la Vigile, que l'on jeûnait déjà depuis quelque temps, lorsque le pape Nicolas I. écrivit aux Bulgares après l'an 856. Cette vigile de l'Assomption se

* κοίμησις, μετάστασις.

I. Quid significat ea vox *Assumptio* B. Mariæ Virginis ?

R. Significat mortem et transitum B. Mariæ è terris in cœlum. Mortem Sanctorum quondam *Assumptionem* appellavit Ecclesia, quia per mortem Deus vocat eos ad se transferendos à terra in cœlum. (B)

I. Assumptane est Maria in cœlum corpore simul et anima?

R. Assumpta esse creditur, nec sine gravi fundamento; idque complurium Ecclesiarum insignium pia traditio fert. (C)

lit dans Usuard, et dans Adon, qui néanmoins marquent la fête sous le nom de *sommeil*, sans l'avoir pris l'un de l'autre, mais tous deux de quelque source plus ancienne, comme peut-être de Bède qui avait fait la même chose avant eux, et aussi au 15 d'août. On prétend que le Pape Urbain II. établit ou rétablit en France le jeûne de cette vigile après l'an 1094.

(B) *Hæc fusè probantur ex sequent. Auctoribus infrà adductis.*

(C) D. CLAUDIUS JOLI *in Dissert. de verbis Usuardi, etc. exscribit verba varior. Martyrol. tum* MSS. *tum typis excusorum, quæ hic adducere non piguit.* Vetus MARTYROLOGIUM ROMANUM à Cardinale Baronio desideratum, operà et studio Heriberti Rosweydi Ultrajectini Societatis Jesu Theologi publicatum, et Paulo V. Pontifici Maximo inscriptum.

« XVIII. *Kal. Sept.* S. MARIÆ DORMITIO. »

CALENDARIUM ROMANUM nongentis annis antiquius, et aureis characteribus exaratum; à Joanne Frontone Canonico Regulari S. Augustini, ex Monasterio S. Genovefæ Parisiensis erutum et editum anno 1652.

« XV. *Die Augusti solemnia* DE PAUSATIONE SANCTÆ MARIÆ. »

USUARDI MARTYR. quo Romana Ecclesia, ac permultæ aliæ utuntur: jussu Caroli Magni conscriptum, operà Joannis Molani Lovaniensis, Lovanii sacræ Theologiæ Regii Professoris editum.

« *Decimo octavo Kal. Septembris.* DORMITIO SANCTÆ DEI GENITRICIS » MARIÆ: cujus sacratissimum corpus, etsi non invenitur super terram: » tamen pia Mater Ecclesia ejus venerabilem memoriam sic festivam » agit, ut pro conditione carnis eam migrasse non dubitet. Quò autem » venerabile illud Spiritûs sancti templum nutu et consilio divino occul- » tatum sit, plus elegit sobrietas Ecclesiæ cum pietate nescire, quàm » aliquid frivolum et apocryphum inde tenendo docere. »

Persimile est omninò MARTYROLOGIUM USUARDI MSS. pervetustæ atque optimæ notæ, quod in Bibliothecâ S. Germani Pratensis servatur.

ADONIS Viennensis Archiepiscopi MARTYROLOGIUM ad MSS. exemplaria recensitum, operà et studio Heriberti Rosweydi Ultrajectini Societ. Jesu Theologi: antea verò sub nomine Adonis sive Udonis Archiepiscopi Trevirensis à Jacobo Mosandro Carthusiano publicatum.

« XVIII. *Kalendas Septembris* SANCTÆ MARIÆ DORMITIO. »

Et in libello ejusdem ADONIS de Festivitatibus SS. Apostolorum, etc. quem Rosweydus separatim edidit, et ipsius Martyrologio præposuit.

« VI. *Idus Septembris.* Natalis Beatissimæ Dei genitricis Mariæ, etc. » Cujus DORMITIONEM XVIII. Kalend. Septemb. omnis celebrat Ecclesia. » Cujus ut sacrum corpus non invenitur supra terram: sic nec beati » Moysis sepulcrum, quem sacra Scriptura dicit à Domino sepultum. » Tamen pia mater Ecclesia, quæ suis observationibus integerrimâ fide » fundata consistit, ejus venerabilem memoriam sic festivam agit, ut » pro conditione carnis eam migrasse non dubitet. Ubi autem venera- » bile Spiritûs sancti templum illud, id est, caro ipsius beatissimæ » Virginis Mariæ divino nutu et consilio occultatum sit, magis elegit » sobrietas Ecclesiæ cum pietate nescire, quàm aliquid frivolum et » apocryphum inde tenendo docere. Sufficiunt enim ei ad sanctificationem et » vitam Virginis et Matris Domini commendandam Evangelistarum tes- » timonia, nec de ea quærere ultrà necessarium putat. »

In CALENDARIO Breviarii cujusdam MSS. quingentorum ad minus annorum, quod in Bibliotheca Cœnobii S. Germani Parisiensis asservatur.

« XVIII. *Kal. Septemb.* DORMITIO SANCTÆ DEI GENITRICIS. »

Pag. 13. *Diss. quænam fuerit illius scribendæ occasio, his verbis aperit.* Neque enim hic de veritate historiæ Assumptionis corporalis B. Mariæ agitur, quam nemo verè Catholicus oppugnare velit, nec etiam possit. Itaque nunc de ea sermo non habebitur, nisi ex occasione, et in quantum textus Usuardi postulabit. Quis enim negare valeat, Assumptionem talem ab omnipotenti Deo fieri potuisse? Quis asserere præsumat, Deum ita fieri noluisse? Quis proferre audeat, Beatissimam Virginem, quam Angelus ab ipso Deo missus et salutavit, et priusquàm *theotócos* esset, cœlesti *gratiâ plenam* esse asseveravit, postquàm Dei Mater esse cœpit, peculiarem hanc gratiam non meruisse? Qui hæc inter Christianos blaterarit, non modò impius ac blasphemus, sed etiam stultus, et omninò mentis expers haberetur.

Ut autem prodigiosæ impietatis ac extremæ dementiæ argueretur, qui talem corporis Assumptionem quasi falsam denegaret: ita præscriptos ab Ecclesia limites ille transgrederetur, et ut ait Tullius (*Parad.* 3.) *lineas transiliret*, qui eam pro constanti atque indubitata assereret, cùm incedere medius jussus sit, non asseverando quod non prorsùs constat, nec etiam respuendo quod infectum dici nequit; sed pie credendo quod fieri non tantùm potuit, sed etiam convenienter decuit.

Sive autem sacratissima Virgo in corpore, sive extra corpus in cœlos assumpta fuerit, exaltata est supra choros Angelorum, ab omnibus generationibus beata in æternum dicenda, omnimodis laudibus prædicanda, hymnis ac canticis spiritualibus excolenda, devotis fidelium precibus invocanda. Baronius inconstantiæ Usuardum accusat: quia nimirum Usuardus XIV. augusti *vigiliam Assumptionis* non *vigiliam Dormitionis* scripserat. Quid si autem Usuardus id sciens prudensque fecerit, ut majori fide varietatem sui temporis demonstraret? Num ideò reprehendi debet, quia Ecclesiæ Occidentalis simul et Orientalis diversa vocabula, eâ occasione, exprimere voluit? Quamvis enim tempore Usuardi nondùm Assumptionis festum ubique in Ecclesia Latina admissum esset, ut infrà demonstrabimus, attamen Assumptionis verbum jam apud Latinos invaluerat, sicuti ex Martyrologio Bedæ colligitur, qui obiit anno Domini 735. Nec fortassè à Bedæ tempore procul abest, vetustum quoddam Calendarium cœnobii S. Germani parisiensis, in quo hæc verba me deprehendisse non diffiteor, 18. Kal. Sept. *Assumptio sanctæ Mariæ Matris Domini.* Cujus antiquitas ex eo apparet, quòd in eo nulla fit mentio die præcedenti, hoc est, 19. Kal. Sept. vigiliæ ejusdem Assumptionis, sed tantùm *Natalis S. Eusebii Episcopi.* Ita et in Calendario quodam MSS. Corbeiensis Monasterii 800. circiter annorum, quod asservatur in Bibliotheca Episcopi Tullensis, refertur 18. *Kal. Sept. Assumptio Sanctæ Mariæ D. N. J. C.*

Verùm apud Græcos, qui festum istud jam pridem acceperant, tempore nempè Mauricii Imperatoris circa annum 583. ut notat Nicephorus, vel etiam anteà, *coimeseos*, hoc est, *Dormitionis* nomen jam in usu erat, ac perpetuò exinde permansit. Quod quidem festum Cardinalis Sirletus apud Canis um ex Menologio quodam Græcorum, veluti est et in omnibus aliis Menologiis ac Menæis, *sacram Dormitionem sanctissimæ Dei Genitricis Mariæ* nuncupat. Balsamon quoque ad Canonem 3. Apostolorum, *festum Dormitionis sanctissimæ Deiparæ* * nominat, ut et Codinus, cap. 15. 3. *de officiis Ecclesiæ et Aulæ Constantinopolitanæ.* Et Leo Imperator oratione 10. in S. Mariæ Dormitionem, in qua valdè dubius videtur quid de ipsius corpore, an redivivum jam fuerit, an futurum sit, sentire debeat.

Notandum est tamen *coimesin* istam quosdam aliquando Græcos, sed pauciores, *metastasin* appellasse, veluti Commenus Manuel in Novella anni 674. apud Photium in Nomocanone, et in Codice Juris Orientalis libro 1. *de Feriis.* At pariter notandum est *metastasin* istam omnes omninò Interpretes emigrationem vertisse, præter Jacobum Gretserum Societatis Jesu Presbyterum, qui in commentariis ad Codinum *metastasin translationem* verlit: statim addens, hâc voce Menæa Græcorum post supradictum de *Dormitione* titulum, mox per verbum istud *metastasin* voluisse subjungere resurrectionem ejusdem Deiparæ virginis, quasi

* Τὴν ἑορτὴν τῆς κοιμήσεως τῆς ὑπεραγίας θεοτόκου.

eodem die et animâ et corpore in cœlum assumpta fuerit, cùm alii Interpretes *coimesin* et *metastasin* idem significare senserint, ut jam dixi; de qua interpretatione Gretserum reprehendere videtur doctissimus vir Franciscus Combefis Dominicanus in notis ad Orationem Leonis Augusti de *Dormitione B. Mariæ*.

Hoc autem quod opinatur Gretserus, nimirùm B. Virginem eodem die, quo è vivis excessit, resurrexisse, ut fieri potuisse non denegamus, ita incertum atque uni Deo cognitum esse profitemur; siquidem ipse Gretserus agnoscit, « Latinam Ecclesiam quæ Assumptionem so» lemni cæremoniâ die 15. Augusti concelebrat, de die Dormitionis, » an illo, an aliquo præcedenti acciderit, nihil tradidisse: resuscitatio» nem *autem B. Virginis* Damascenum, *qui Græcus erat*, tertio demùm » ab obitu die statuisse, in Oratione de Assumptione B. Mariæ; *item et* » *alios censuisse, ab ejusdem obitu* intercessisse quadraginta dies usque » dum anima cum corpore rursùs conglutinata, resurrexit, cœlosque » petivit. »

Usuardus igitur utrumque morem procul dubio designare voluit, Latinorum per *Assumptionis* verbum, Græcorum per *Dormitionis*. Non est enim verisimile, virum prudentem, pium atque doctum aliud in mente habuisse, quàm diversas appellationes utriusque Ecclesiæ demonstrare; cum ipsi æquè facile fuisset in vigilia Assumptionis verbo *Dormitionis* uti, si verbum *Assumptionis* supprimere voluisset.

Die 15. Augusti maluit Usuardus vocem *Dormitionis* assumere, quæ migrationem B. Virginis ex hac vita significat; quoniam hic dies propriè illi migrationi concelebrandæ dicatus est, quàm *Assumptionis*: quæ tametsi migrationem istam quoque designet, veluti in Martyrologio quodam vetustissimo S. Hieronymi nomine insignito, de quo infrà dicemus ubi 6. Calend. Jan. Assumptio S. Joannis Evangelistæ apud Ephesum refertur, et Assumptio S. Aviti Abbat. Carnoteni pagi apud Gregorium Turonensem, et in lectionibus Breviarii Parisiensis die 17. Junii: qua locutione etiam anteà Eusebius mortem Constantini Imperatoris signarat, ad *Deum suum assumptus est.* * Quamvis, inquam, *Assumptionis* verbum assumptionem quoque animæ absque corpore designare possit, nihilominùs assumptionem corpoream clariùs exprimit, quàm alii tertiâ die, veluti suprà S. Joannes Damascenus contigisse ferunt, alii verò quadragesimâ, veluti venerabilis Beda, apud quem in Martyrologio die 9. ante Kalendas Octobris, qui 23. est Septembris, *secunda Assumptio sanctæ Mariæ* annotatur, quæ precisè pro *Assumptionis corporeæ* festo ibi sumitur, quemadmodum Assumptio *prima pro Dormitionis*, quæ 15. Augusti præcesserat.... Apud Belethum *Sanctorum transitus multis appellatur modis. Dicitur enim exitus, transitus, obitus, Natale, Natalitium, Dormitio, Depositio, Passio, Assumptio.* Unde idem Belethus cùm hæc omnia verba particulatim interpretatur, *Assumptionem* B. Mariæ, transitum ipsius esse dicit, et in quodam Martyrologio Adonis MSS. apud S. Germanum à pratis 18. *Kal. Sept.* reperitur scriptum *Dormitio vel Assumptio*, quasi duo hæc verba idem significent. In Breviario autem, quod ibidem ostenditur, et à 500. vel ampliùs annis jam scriptum creditur, cùm in ejus Calendario 18. Kal. Sept. *Dormitio sanctæ Dei Genitricis* relata sit, in contextu tamen officii ejusdem diei titulus sic se habet; *in Assumptione S. Mariæ.* Mirum igitur haberi non debet, quòd Usuardus, postquàm 19. *Kal. Sept. vigiliam Assumptionis B. Mariæ* annuntiavit, postea 18. *Dormitionis* ejusdem festum expresserit, cùm in eo neque discrepantia ulla intelligi debeat, neque exempla sic loquendi olim defuerint.

Pag. 55. S. Isidorus Hispal. qui cessit vitâ anno 636. de morte D. M. V. Ita locutus est l. de vitâ et morib. SS. c. 61. *Specialiter nulla docet historia Mariam gladii animadversione peremptam; quia nec obitus ejus uspiam legitur, dum tamen nec reperiatur sepultura.*

Pag. 61. Fidelis quidem est viri piè credere, corpus B. Mariæ V. in cœlum esse receptum, et (ut opinatur Petrus Blesensis in Serm. 34. de Assumpt. p. 329. edit ann. 1667. in fol.) servatum fuisse ab omni mortalitate et corruptione illæsum.

* Υἱὸς τοῦ αὐτοῦ θεοῦ ἀνελαμβάνετο.

Pag. 83. Petrus Aurelius, Edit. in fol. ann. 1642. *pag.* 76. *Beatam virginem Deiparam corpore simul et animâ in cœlum vivisse verissima doctrina est, Ecclesiæ consensu fulta, non tamen omninò catholica fides; nec qui eam neget, ut erroris reus, sic hæreseos erit, aut Dei verbo refragatur, in quo ea de re nihil exstat.*

Pag. 91. Vandelbertus qui claruit ann. 858. in Martyrologio suo.

Octava decima, mundi lux flosque Maria,
Angelico comitata choro petit æthera Virgo.

Pag. 143... Guillelmus Durandus Episcopus Mimatensis qui obiit Romæ ann. 1298. in Rationali divinor. offic. lib. 7. cap. 24. *Utrum verò corpus in terris remansit, incertum habetur: et melius est piè dubitare, quam aliquid circa hoc temerè definire.... Piè tamen credendum est eam totaliter fuisse assumptam.*

Pag. 145. Joan. Belethus Parisiensis Theologus... *Verum esse, Beatam Mariam, quò ad animam ejus attinet, assumptam fuisse certò novimus: an verò corpus illius postea etiam assumptum fuerit, profectò incertum est. Piè tamen credimus ipsam integrè fuisse assumptam, sed prius animâ ac deindè corpore.*

BARON. *in notis ad Martyrol. Romanum August.* 15. Quod autem spectat ad historiam de Assumptione Dei genitricis; ne quid præteriisse videamur, scire debemus, improbatam fuisse ab Ecclesia Catholica opinionem Collydianorum Hæreticorum, asserentium beatam Virginem divinæ fuisse naturæ prorsusque mortis expertem, ut de his scribit S. Epiphan. in Panar. hæres. 78. et 79. Humanæ autem tantùm eam naturæ fuisse, sed auctam multis immensisque prærogativis, Catholica Ecclesia profitetur. Idque cùm omnes Orthodoxi antiqui Patres, tum inter eos idem sanctus Epiphan. adversùs prædictos agens pluribus comprobet; tamen de ejus obitu non audet certi aliquid definire, cùm ait: *Non autem omninò definio hoc, et non dico quòd immortalis mansit, sed neque affirmo an mortua sit.* Rursùs fuit quorumdam opinio dicentium eam martyrio vitam finiisse. His adversatur auctor, qui dicitur Isidorus, libro de vit. et obit. Sanct. cap. 68. et alii post eum. Supradictæ autem omnes opiniones ab Ecclesia Dei rejiciuntur: quæ catholicè profitetur, eamdem, ut hominem naturali exitu vitâ functam. Rei autem gestæ historia, quæ inscribitur De transitu Virginis, à Gelasio connumeratur inter apocrypha, *dist.* 15. *cap. Sancta Romana.* Putatur illa esse, quæ nomine Melitonis Sardensis legitur: quam et Beda rejicit in retract. Apost. c. 8. De eadem Assumptione meminit Dionysius Areopag. de div. nom. cap. 3. Greg. Turon. de glor. mart. lib. 1. cap. 4. et 9. Plura item refert Nicephorus lib. 2. cap. 22. et lib. 15. cap. 14. eaque ex majorum traditione à Juvenale Episcopo Hierosolymitano conscripta. Joannes Damascenus, Metaphrastes, Glycas, et alii ferè eadem. Quid autem de his senserint majores, ut prætereamus apocryphum illud S. Hieronymi nomine conscriptum, Usuardus et Ado, cùm hac die celebrari dicant Dei genitricis dormitionem, de Ecclesiæ judicio verba hæc subdunt: *Plus elegit sobrietas Ecclesiæ cum pietate nescire, quàm aliquid frivolum et apocryphum inde tenendo docere.* Hæc illi. Porrò Dei Ecclesia in eam partem propensior videtur, ut unà cum carne assumpta sit in cœlum: nam in hujus diei celebritate illas sanctorum Patrum homilias legendas tradidit, quibus eadem de ejus Assumptione firmantur: quæ quidem sententia cùm plurimorum Theologorum auctoritate, tum etiam communi consensu Fidelium jam recepta videtur. Quonam autem tempore sanctissima Dei genitrix ex hac vita migrarit, diversæ feruntur sententiæ. Eusebius imprimis ejus ex hac vita transitum ponit anno à Christo Domino quadragesimo octavo, ailque: *Maria virgo Jesu Christi mater ad Filium ad cœlum assumitur, ut quidam fuisse sibi revelatum scribunt.* Hæc ille. Rursus aliam ex alia quadam revelatione scribit S. Antoninus in 3. parte tit. 19. cap. 11. in fine, *post annum elapsum ab ascensione filii, et tot dies, quot intercurrunt ab eo tempore usque ad decimam quintam Augusti, eam esse defunctam, ac demùm post alios quadraginta dies ab ejus obitu assumptam esse in cœlum nono Kalend. Octobris.* Ex hac sententia addita videntur ad Martyrologium Bedæ, ea die, hæc verba: *secunda assumptio S. Virginis Mariæ.* De eadem hæc Belethus cap. 147. *Mulier*, inquit, *quædam religiosissima*,

appellata Elisabeth, quæ nunc etiam in vivis est, habitat in finibus Saxoniæ : ait lib. 4. cap. 1. sibi revelatum, quod circiter dies quadraginta assumptum fuerit corpus post assumptionem animæ ; de qua re opusculum quoddam composuit, sed non est in Romana Ecclesia comprobatum, etc. Ex hac itaque aut simili revelatione alicui placuit ad Bedam adjicere secundam assumptionem ejusdem Virginis Mariæ. Antonius autem, dum de his agit, dicit eam fuisse S. Elisabeth filiam Regis Hungariæ, uxorem quondam Lanthgravii, quam Gregorius nonus retulit inter sanctos ; cujus tamen de ea re sententiam minùs probari testatur, aitque : *Nec propterea detrahimus sanctitati ejus, quia non semper, quæ sancti viderunt in spiritu, eadem ut Prophetæ viderunt, sed juxta suas mente conceptas imaginationes.* Hæc ille.

Idem BARONIUS *in Annal. Eccles. Jesu Christi ann. 48. n. 4.* Eodem anno à Christo nato quadragesimo octavo, olympiade ducentesimâ sextâ, anno secundo, sanctissimam Dei genitricem Mariam assumptam esse in cœlum Eusebius habet in Chronico his verbis : *Maria virgo Christi Mater ad Filium in cœlum assumitur, ut quidam fuisse sibi revelatum scribunt.* Non possumus non vehementer mirari, tantæ rei historiam. vel saltem tempus migrationis ejus sic à Scriptoribus prætermissum, ut opus fuerit, non quod Scriptorum monumentis testatum esset, sed horum penuriâ, quid huic vel illi de ea re fuerit revelatum, investigare, et ut facit Eusebius, *historicam veritatem incertorum hominum revelationi committere.* Tolerandum tamen esset, si omnes, quibus de ea re divinitùs facta dicitur demonstratio, æquè in eamdem sententiam conspirarent, vel si unius aut saltem alterius anni spatio inter se invicem dissiderent : at monstrosa quædam inter eos discrepantia reperitur ; cùm alii, licèt incerti, quos citat Eusebius, id accidisse dixerint anno, ut vidimus, Domini quadragesimo octavo, post annos scilicet à Dominica passione quatuordecim ; rursùm verò cuipiam probatæ sanctitatis demonstratum cœlesti visione tradatur, *post annum elapsum à passione Christi et totidem dies quot intercurrunt ab eo tempore usque ad decimam quintam mensis Augusti, ex hac vita migrasse, ac demum post alios quadraginta dies, nono videlicet Kal. Octobris, unà cum corpore assumptam fuisse in cœlum.* Cui revelationi qui fidem adhibuerunt, non tantùm dictà die, ut facit Ecclesia, decimâ quintâ augusti, ejusdem celebrant assumptionem ; sed et aliam, quam secundam dicunt, assumptionem ; dictâ die 9. Kalend. octobris ad Bedæ Martyrologium addiderunt. Sed hæc ab Ecclesia minimè recepta esse noscuntur.

N. 5. Rursùm alii, isthæc de revelationibus prælermittentes : certorum auctorum testimonio certum annum ejusdem Assumptionis adstruere conati sunt. Sed cùm quæ citant, eadem scripta nec nobis nec majoribus cognita fuerint, in eamdem de impostura suspicionem adducuntur : cùm præsertim non sit eorum una eademque sententia, sed planè diversa. Siquidem Nicephorus ex Evodio eam vixisse tradit annos quinquaginta novem. Epiphanius Presbyter Hippolytum quemdam Thebanum citat, qui dicit eam vixisse annos novem post Christi passionem, eamque decessisse anno Domini quadragesimo tertio, suæ verò ætatis quinquagesimo septimo, secundùm quod dicitur peperisse Dominum Redemptorem annum agens decimum quartum. Sed nec his assentiens ipse Epiphanius, eam ex hac vita migrasse tradit annos natam septuaginta duos. Verùm enim verò si quæ ab his Auctoribus dicta sunt, majoribus nostris cognita et explorata fuissent ; non ex incertorum Auctorum revelatione, si certos quos sequeretur habuisset, ejus obitûs annum Eusebius consignasset : nec quòd mortua fuisset, Epiphanius se affirmare non posse, testatus esset ; vel non fuisse mortuam, aliquid temerè tradidissent. Ex iisdem. puto, Auctoribus Cedrenus etiam affirmat, eam ex hac vita decessisse, cùm ageret annum suæ ætatis septuagesimum secundum ; refert tamen aliquorum fuisse sententiam, quòd clauserit humanæ vitæ diem anno ætatis suæ quinquagesimo octavo : sunt hæc enim verba ipsius : *Tradit sanctam animam Domino ac Filio et Deo suo annos nata septuaginta duos : quidam tradunt quinquaginta octo, vixit ergo viginti quatuor annos post Christi ad cœlum ascensum.*

N. 6. Quemnam autem ex his omnibus potissimùm sequamur ambiguum nobis est.

N. 9. Sed jam cætera, quæ ad rei gestæ historiam pertinent, persequamur : quæ quidem cùm neque ex Canonicis scriptis, neque ex antiquorum Patrum testimoniis roborentur, non omnia quæ in eo genere à diversis sunt scripta, hic recitabimus ; sed delectu habito, ea potiùs quæ Majorum traditione ad posteros sunt delapsa, eademque probatorum Auctorum posteà scriptorum monumentis consignata, in medium afferemus. Nec quis putet derogatum quidquam gloriæ ejus, quòd isthæc adeò obscura remanserint : quippè quæ, ut sol alter radiorum suorum fulgoribus splendens, non tantùm nulla valuerit offundi ob scriptorum inopiam densâ caligine, sed in his tenebris multò splendidiùs jubar ejus effulserit. Etenim quænam pars est orbis Catholici, ubi ejus transitûs et assumptionis celebritas celeberrimo cultu annuâ quaque die non repetatur ? Nam secundùm Propheticum illud à se dictum, et ab Evangelista scriptum oraculum, *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* (*Luc.* I. 48.) Omnes prorsùs superatæ sunt temporum tenebræ, amplissimâ ipsâ suâ glorià illustrata : ut eò majoribus appareat cumulata laudibus, et aucta præconiis, quò minùs illa acceperit aliundè. Sed jam rem ipsam aggrediamur.

N. 10. De his quæ spectant ad mortem ejus à diversis conscripta, alia sunt ut erronea ab Ecclesia Catholica prorsùs rejecta ; alia verò ut apocrypha atque delira itidem improbata ; alia rursùs cùm multorum scriptis, tum etiam piâ fidelium traditione recepta. Rejicit S. Ecclesia inprimis Collyridianorum deliria, et Antidicomarianitarum commenta : quorum illi putaverunt illam non similem nobis humanæ fuisse naturæ consortem, sed divinæ, sicque ut Deum fuisse penitùs mortis expertem : quos refutat abundantiùs Epiphanius in Panario. Idem tamen agens contra Antidicomarianitas, qui sanctissimæ Dei genitricis virginitatem infamare conati sunt, nec illud concedens quòd commendata Joanni apud eum semper manserit, abutebantur plerique eâ licentiâ in occasionem peccati, dum apud se devotam aliquam virginem retinere, eo exemplo concessum putarent, in eam incidit disputationem : an ex Scripturis sanctis elici possit, ipsam esse defunctam. Cumque ex illis nec quòd mortua, nec quòd absque morte fuerit in cœlum translata, satis expressum haberetur : ipse integrum relinquens, neutrum definire præsumpsit.

N. 12. Cæterùm condonandum illi si quod et aliis sanctissimis atque eruditissimis viris sæpè accidisse reperitur, dum ardentiori studio in hostes invehitur, vehementiori impetu in contrariam partem actus, lineam videatur aliquantulùm veritatis esse transgressus. Catholica quippè Ecclesia nullam de obitu Dei genitricis dubitationem admittit : sed quam novit humanæ fuisse naturæ consortem, humanam pariter moriendi necessitatem expertam affirmat. Sic nec recipit quorumdam sententiam, qui Simeonis oraculo persuasi, quod ei dixerat, *tuam ipsius animam pertransibit gladius* (*Luc.* II. 35.), eam martyrio vitâ functam tradiderunt. Et rejicit apocrypha illa, quæ de illius transitu et assumptione scripta erant ; decreto enim Romani Concilii, cui Gelasius Papa præfuit, inter apocrypha annumeratur libellus de transitu Mariæ Virginis.

N. 17. Sed dicant velim, ubinam, aut quando, vel quo saltem levi signo id quod dicunt, Ecclesia professa sit se nescire ; cùm alioqui licèt nullum de ea re decretum edixerit in ipsis sacris Ecclesiasticis precibus, quas eâ die publicè recitare consuevit, id affirmasse sæpiùs videatur, Versibus, Responsoriis, Antiphonis, et Lectionibus ? In quam sententiam cùm Patres omnes, qui de ea re egerunt, æquè conspirent, et Scholasticorum classis pariter consentiat, nullus remanet dubitandi de ea re locus : adeò ut perfrictæ frontis et procacis sit animi indicium, Ecclesiæ universalis usui et tot Patrum sententiis non acquiescere ; maximamque omnium esse temeritatem his omnibus contradicere.

N. 24. Demùm ut de his dicendi finem faciamus : sicut tam ex Græcorum quàm Latinorum omnium perpaucis exceptis, qui eâ Epistolâ decepti sunt assertione, ita etiam ex Romanæ Ecclesiæ usu recepto firmiter constanterque asserimus ac profitemur, ipsam sanctissimam Dei genitricem Mariam unà cum sacratissimo illo corpore, quo imperlita est Deo carnem, in cœlum esse receptam. Quod quidem haud adeò mirum vel novum videri debet ; cùm si cætera in illam collata pensen-

tur beneficia, hoc levius censendum videatur, quod et aliis plurimis constat fuisse divinâ liberalitate concessum. Quòd si Christo resurgente ex mortuis, * *multa* subinde, ut ait Evangelista, *Sanctorum corpora surrexerunt, et introierunt in sanctam civitatem, et apparuerunt multis* (*Matth.* XXVII. 52. *et* 53.); quos, penetrans ille cœlos, duxit secum in altum, *captivam*, ut est apud Paulum, *ducens captivitatem* (*Ephes.* IV. 8.): quid, inquam, tam mirum, tam novum, ut matri concessum sit, quod compluribus servis constat fuisse tributum? Sunt ut aliæ innumeræ rationes, immò et sanctorum oracula Prophetarum, quæ non id suadeant solùm, et affirmare compellant: quæ cùm ab aliis pluribus sint recensita, in illis diutiùs non immorabimur. Hactenùs de Assumptione Dei genitricis Mariæ; quam quidem non sic recensuimus hoc anno, quasi affirmare velimus, hoc ipso anno esse defunctam, et in cœlum assumptam; sed quòd hoc anno ponatur ab Eusebio, nobisque quonam anno certò decesserit, sit inexploratum.

M. DE TILLEMONT, *tom.* 1. *des Mém. pour l'Hist. Eccles. note* 16 *sur la résurrection de la Sainte Vierge.* Nous ne prétendons point nous rendre juges de l'opinion qui semble reçue par le commun consentement des fidèles, que Dieu a ressuscité la Sainte Vierge trois jours après sa mort, selon les uns, ou quarante selon d'autres. Nous nous contentons de représenter aux personnes habiles les difficultés qu'on y peut faire: et nous voudrions que notre sujet nous permit de nous exempter d'entrer dans cette discussion. Baronius qui parle de cette opinion dans ses annales comme d'une chose dont il n'est pas permis de douter, se fonde, non sur les décrets de l'Eglise, car il assure qu'elle n'en a point sur cela, mais sur le consentement unanime de beaucoup de Pères, sur les Scholastiques, et sur toutes les parties de l'Office du jour de l'Assomption. Cependant de tout ce nombre de Pères, il n'en cite pas un seul: et nous ne voyons pas en effet qui il aurait pu citer. Car je ne crois pas que ni aucun Père ni aucun autre auteur en ait parlé avant saint Grégoire de Tours à la fin du VI siècle. Mais au moins Baronius même reconnaît qu'il n'y en a point eu avant le milieu du cinquième. Florentinius avoue que saint Ambroise a témoigné au moins ne la pas regarder comme certaine, lorsqu'il dit que les Historiens ne nous apprennent point si la Vierge était morte par le martyre. Et on peut dire qu'il se serait exprimé d'une autre manière, s'il eût su ce qu'on a dit depuis de sa mort et de sa résurrection. Il est visible que saint Epiphane avait toute la disposition et toute l'inclination possible à la croire, si on en eût parlé de son temps. André de Crète en établissant au VII ou VIII. siècle la mort miraculeuse, et la résurrection de la Vierge, avoue qu'il n'en a pu rien trouver dans les Auteurs, hors ce qu'il tire de saint Denys, qui ne parle point du tout de sa résurrection.

Mais il semble même que le sentiment des Pères et des Conciles soit positivement contraire à celui de la résurrection. Car on peut voir dans la note 36 sur Notre-Seigneur Jésus-Christ, que divers Pères comme saint Hippolyte, saint Ambroise, saint Augustin, saint Chrysostôme, et les Grecs qui l'ont suivi, disent que hors Jésus-Christ, tous les Saints attendent leur résurrection au dernier jour, se fondant, ce semble, sur ce que dit saint Paul, Que Dieu par une faveur particulière qu'il nous a faite, a voulu que les anciens Patriarches ne reçussent qu'avec nous l'accomplissement de leur bonheur (*Hebr.* XI. 40.); et sur le denier donné en même temps à tous ceux qui avaient travaillé à la vigne, Saint Avit de Vienne qui fleurissait au commencement du VI siècle, dit de même, que jusqu'alors Jésus-Christ seul était ressuscité pour ne plus mourir, *hactenus solus est*: ce qui est bien fort pour croire que le Livre supposé de saint Méliton, ou n'était point encore connu dans la France, ou y était rejeté.

Le Concile œcuménique assemblé à Ephèse l'an 431, écrivant au Clergé et au peuple de Constantinople sur Nestorius, dit (*Conc. Labb. c.* 3. *pag.* 575.) qu'il avait été condamné en cette ville-là *in qua Theologus Joannes et Dei genitrix Virgo sancta Maria.* * Cette expression suspendue et sans verbe,

* Ἔνθα ὁ θεολόγος Ἰωάννης καὶ ἡ θεοτόκος παρθένος ἡ ἁγία Μαρία.

a donné lieu à diverses explications. Le P. Combefis en rapporte trois, en substituant *aliquando habitaverunt*, ou *ædes habent*, ou *celebri in honore habentur*. Mais pour tout cela, il faut dire que l'endroit est corrompu, au lieu qu'il peut avoir son sens complet, en y sous-entendant le verbe substantif *est*, comme cela est très-ordinaire dans le Grec et dans le Latin. Il faudra donc traduire, *Nestorius a été condamné à Ephèse, où est saint Jean le théologien, et la Sainte Vierge Marie mère de Dieu.* Or ces paroles dites de personnes mortes peuvent-elles signifier autre chose, sinon que leurs corps y étaient? Il faudra donc dire que la Tradition de l'Eglise d'Ephèse était qu'elle possédait le corps de la Sainte Vierge, comme il est certain qu'elle croyait avoir celui de saint Jean l'Evangéliste : et qu'un Concile œcuménique, où Juvénal de Jérusalem tenait le second rang, a cru cette Tradition, et l'a bien voulu autoriser. Je ne vois aucune réponse à cela, tant qu'on ne changera point l'endroit sur les manuscrits, que de dire que l'on marque souvent les Eglises par les noms simples des Saints, en l'honneur desquels elles ont été bâties : et cette réponse pourrait être solide, s'il y avait seulement *ubi Joannes Theologus, et sancta Maria Deipara.* Mais croira-t-on qu'une Eglise ait été appelée *la Sainte Vierge Marie mère de Dieu?* Cela est peu probable, et sans exemple. L'Eglise de la Vierge à Ephèse est souvent marquée dans les actes du Concile; mais toujours sous le seul nom de sainte Marie, et peut-être une seule fois *sainte Marie mère de Dieu*, dans une lettre de saint Cyrille, qui a pu y ajouter ce titre de lui-même. Car si c'eût été l'usage ordinaire de la ville d'Ephèse, il l'aurait sans doute fait mettre partout dans les actes du Concile, et n'aurait pas manqué d'en tirer un avantage considérable contre Nestorius. Après tout, ce n'était pas fort relever la ville d'Ephèse, que de dire qu'il y avait une Eglise de la Vierge, et une de saint Jean : à quoi il faut encore ajouter que cette Eglise de la Vierge est l'unique que nous sachions avoir porté alors son nom : et c'était même la grande Eglise, c'est-à-dire la Cathédrale, quoique cet honneur dût plutôt appartenir à celle de saint Jean où était le corps de cet Apôtre, si l'autre n'eût été dédiée sous le nom de la Vierge que par une simple dévotion.

Aussi à bien considérer tout ce qu'André de Crète dit de la résurrection de la Vierge dans les trois Oraisons sur sa mort, il paraît ne le fonder que sur ce qu'on avait trouvé son tombeau à Jérusalem, sans que son corps y fût. Baronius paraît avoir eu aussi la même pensée. Cependant on voit combien cette raison est faible, quand même il y aurait eu preuve que ce tombeau était celui de la Vierge. Et en effet André témoigne en un endroit qu'il ne se tenait pas lui-même fort assuré si la sainte Vierge était ressuscitée, ou si Dieu n'avait point seulement transporté son corps en quelque endroit comme celui de Moïse.

Non-seulement ce tombeau vide est un fondement assez faible; mais il peut même aisément être suspect d'imposture, étant certain, comme nous avons dit, qu'on ne connaissait point ce tombeau du temps de saint Jérome. Baronius croit qu'il fut trouvé vers le temps de Juvénal : c'est ce Juvénal qu'Euthyme, saint Jean de Damas, et Nicéphore, disent avoir appris l'an 451. la première nouvelle de la résurrection de la Vierge, comme une simple conjecture, à Marien et à Pulchérie, qui cherchaient le corps de la Vierge, croyant qu'il était encore dans le tombeau : Et on sait de quoi Juvénal était capable. Le Livre prétendu de Méliton a paru apparemment vers ce temps-là, si c'est celui que Gélase a condamné : de sorte qu'il semble y avoir quelque lieu de douter si le Livre n'a point fait trouver le tombeau, ou plutôt si le tombeau trouvé n'a point fait faire le Livre. On ne marque point que la créance de la résurrection de la Vierge ait eu peine à s'établir parmi les Grecs, toujours fort susceptibles des devotions populaires, solides ou non. André de Crète qui l'avait ce semble apprise à Jérusalem, paraît avoir été un des premiers à la prêcher sur la fin du VII. siecle. Il n'y a que l'Empereur Léon le sage, dont on dit qu'il témoigne en douter beaucoup.

Pour l'Occident, on voit par saint Grégoire de Tours, qu'elle y était reçue dès le VI siècle, quoiqu'il semble que ce fût sur l'autorité du faux Méliton, à qui Bède se plaint que l'on donnait trop de créance. On la

trouve de même assez étendue dans l'ancien missel des Gaules. Le Pape Paschal I. la fit représenter en broderie sur un ornement d'Eglise vers l'an 820. Il ne paraît pas néanmoins qu'elle y ait jamais été reçue unanimement et paisiblement. On peut dire que Bède la nie positivement, quoiqu'il sût qu'on montrait son tombeau à Jérusalem, et que son corps n'était ni là, ni en aucun autre lieu que l'on connût. On sait que saint Ildephonse, célèbre pour sa dévotion envers la Vierge, Adon, honoré comme saint dans le martyrologe Romain le 16 décembre, et Usuard, veulent qu'on parle sur cette matière avec beaucoup de réserve, parce que les paroles des Evangelistes, dit Adon, suffisent pour nous faire connaître la vie et la vertu de cette Vierge Mère de Dieu, et l'Eglise ne juge point qu'il soit nécessaire de rien chercher davantage. Le témoignage d'Usuard est d'autant plus considérable, que son Martyrologe a été reçu à Rome, et dans la plupart des autres Eglises, dont quelques-unes continuent toujours de s'en servir.

Plusieurs auteurs ont encore continué depuis jusqu'à notre siècle, à dire que la résurrection de la Vierge était une chose qui se pouvait croire, mais qui ne se devait pas assurer comme certaine, moins encore comme appartenant à la doctrine de l'Eglise, dont la modestie et la sagesse ne s'engage point dans ces sortes de difficultés, dit Guibert célèbre Abbé Bénédictin en 1160. On peut voir le recueil et les termes de ces auteurs dans la dissertation que M. Joli a faite en 1669 sur Usuard, approuvée par trois célèbres docteurs: et dans la lettre qu'il a écrite sur le même sujet, à deux cardinaux en l'an 1670. Et ce qui est remarquable, c'est que plusieurs de ces auteurs parlent au nom de l'Eglise, et comme témoins de ces sentimens.

Il y faut joindre le P. Combefis Jacobin, qui assure que toutes les pièces sur lesquelles on fonde la résurrection de la Vierge, ne valent quoi que ce soit; et qui loue la réserve avec laquelle les anciens ont parlé sur ce sujet, que Dieu, dit-il, a voulu être un peu obscur: Et s'il est permis maintenant d'être un peu plus libre dans les expressions, il faut néanmoins se tenir dans les termes d'une créance pieuse, puisque nous ne pouvons pas prétendre être plus éclairés que nos pères. Il y faut joindre Florentinius, qui dit que la résurrection de la Vierge ne passait pas parmi les anciens pour une chose bien claire, *liquida*. Il suppose qu'elle nous l'est davantage: mais il ne dit point d'où cette nouvelle clarté nous pourrait être venue. Il y faut joindre Baronius même, qui dans ses annales ne désapprouve pas tout à fait la retenue d'Usuard et d'Adon, *Laudanda fortè modestia*, dit-il. Mais dans ses notes sur le Martyrologe, il les prend pour les témoins du sentiment des anciens. Et après avoir rapporté leurs paroles sans y rien reprendre, il ajoute seulement que l'Eglise paraît avoir plus d'inclination à croire que le corps de la Vierge a été élevé dans le ciel avec son ame, puisqu'elle fait lire le jour de l'Assomption les Homélies des Pères qui le confirment, c'est-à-dire de saint Jean de Damas, et que ce sentiment semble maintenant reçu, et par l'autorité de beaucoup de théologiens, et par le consentement commun des fidèles.

Nous laissons à d'autres à juger quelle déférence on doit avoir, soit pour ce consentement commun des fidèles, pour lequel les hérétiques mêmes veulent qu'on ait du respect, et que néanmoins Molanus distingue de la créance de l'Eglise; soit pour les raisons de convenance qu'on croit être la preuve la plus forte et la plus solide sur ce sujet. Nous ne traitons tout ceci que suivant les principes de l'histoire, et non sur ceux de la Théologie. C'est pourquoi si Baronius s'appuie sur le sentiment des Scholastiques, et sur l'office de l'Eglise, nous ne craindrons pas de lui dire que les scholastiques n'ont guère accoutumé d'être cités pour les faits et pour l'histoire de l'Eglise: et quant à l'office, on sait l'autorité qu'il a dans l'histoire, surtout celui des Grecs.

Mais je ne vois pas même qu'il y ait rien dans l'office de l'Eglise Latine qui démente cette modestie prudente que loue l'abbé Guibert, ni qui favorise la résurrection, hors les leçons de saint Jean de Damas. Mais elles n'y sont que depuis fort peu, et jusqu'au dernier siècle on y lisait la fausse lettre de saint Jérome, qui ne veut point qu'on affirme rien sur ce sujet. On assure que les Chartreux tirent encore présentement de cette

lettre leurs leçons de l'Assomption. Celles de saint Jean de Damas ne sont point dans le Bréviaire de Vienne : et ce qui en est dans celui de Paris, ou n'exprime point la résurrection, ou ne la marque que d'une manière fort obscure.

Il y en a qui croient que l'oraison *Veneranda, etc.*, la favorise, quoiqu'il soit aisé de lui donner un autre sens. Et même Florentinius l'allègue entre les objections qu'on peut faire contre la résurrection. Dans le livre intitulé *Sacrarium Agrippinæ*, fait par un Chartreux, et imprimé à Cologne en 1607, il y a un recueil d'oraisons, où dans celle de l'Assomption page 128. au lieu de ces mots, *nec tamen mortis nexibus deprimi potuit*, il y a *per quam assumpta est ad vitam sempiternam*. Mais, quoi qu'il en soit, l'oraison ordinaire de sainte Catherine dit nettement que les Anges ont porté son corps sur la montagne de Sinaï, et je ne pense pas néanmoins qu'il nous soit défendu d'en douter. Il faut donc avouer, que ni les Pères et la Tradition Ecclésiastique, ni les monumens de l'histoire, ne sont point favorables à la créance de la résurrection de la sainte Vierge. Ce n'est pas néanmoins une raison suffisante pour assurer qu'elle soit fausse. Car tout ce que nous avons dit ne nous donne point de certitude que Dieu n'ait pas voulu préserver de la corruption le corps sacré dont Jésus Christ a tiré le sien, comme il est indubitable qu'il l'a pu. Ce qu'on en lit même dans le concile œcuménique d'Ephèse, n'est pas une preuve assurée du contraire. Les Evêques voyant à Ephèse le tombeau où elle avait été enterrée, et ni l'Ecriture, ni l'Histoire, ni la Tradition, ne leur apprenant point que Dieu l'en eût tirée, ils ont eu raison de croire qu'elle y était encore, laissant à Dieu le pouvoir de faire des miracles secrets qu'il ne lui plaît pas de nous révéler.

Ce qui pourrait paraître de plus fort, c'est ce que plusieurs Pères, et des plus illustres, ont dit que Jésus-Christ seul était ressuscité pour ne plus mourir; et que les autres hommes ne recevront cette grâce qu'au dernier jour. Et si tous les Pères avaient parlé de la même sorte, on ne voit pas comment il pourrait être permis d'excepter même la sainte Vierge d'une règle établie par toute la Tradition, et fondée assez clairement sur l'Ecriture, laquelle nous sommes obligés d'expliquer par le consentement des Pères. Mais nous n'en sommes pas en ces termes, puisqu'on assure qu'il y a aussi plusieurs Pères qui ont dit que ceux qui ressuscitèrent avec Jésus-Christ, ne moururent plus depuis : et il y a en effet des raisons considérables pour le croire, comme on l'a marqué dans la Note 36 sur Notre Seigneur Jésus-Christ. Que s'il y a fondement dans la Tradition, pour faire une exception de la règle générale en faveur de ces Saints, on ne peut point alléguer cette règle comme une décision contre l'opinion de la résurrection de la sainte Vierge.

Il est certain que la créance qu'on en a communément, est une créance pieuse, c'est-à-dire, qui favorise le respect que nous devons avoir pour celle par qui nous avons reçu en Jésus-Christ toutes les grâces du ciel. Mais si la piété n'est fondée sur la vérité, ce n'est qu'une superstition et une illusion. Et la vérité ne nous peut permettre de regarder comme certaines les choses, dont ni l'autorité ni la raison ne nous donnent point d'assurance.

Note 17. *Si l'on peut douter de la mort de la Vierge.* On a quelque sujet d'être surpris de voir qu'un homme d'esprit et fort habile, semble vouloir dire qu'on n'a aucune preuve de la mort de la Vierge, qu'autant qu'on en a de sa résurrection; et que ceux qui doutent de l'un, doivent aussi douter de l'autre : c'est-à-dire que si on ne se tient assuré d'une chose qui fait une exception à une règle générale, ou presque générale, on doit aussi douter d'une autre qui est dans l'ordre commun et dans la règle universelle de tous les hommes; ensorte que pour en douter, il faudrait des raisons presque aussi fortes qu'il en faut pour croire l'autre. L'unique fondement qu'on donne à ce paradoxe, c'est qu'effectivement saint Epiphane a cru pouvoir douter si la sainte Vierge était morte, parce que l'Ecriture ne parle point de sa mort. On voit sans peine combien la raison de ce saint est faible; et aussi nous ne trouvons point que qui que ce soit y ait eu égard. Tout le monde a cru que la sainte Vierge était morte, aussi-bien ceux qui ont douté de sa résurrection, que ceux

Quæcunque autem piâ Ecclesiarum traditione nituntur, à nullo Catholico viro improbari possunt, absque notâ dementiæ; ex S. Aug. *Si quid.... tota per orbem frequentat Ecclesia.... quin ita faciendum sit, disputare insolentissimæ insaniæ est.* (*Epist.* 54. *aliàs* 118. *ad Januar. l.* 1. *c.* 5. *n.* 6.) Et ubi *Ecclesia ferè tota consentit, eam non inaniter credidisse credendum est, undecunque hoc traditum sit.* (*Epist.* 164. *aliàs* 99. *ad Evod. c.* 3. *n* 6.)

I. Quid maximè considerare debemus in hoc festo?

R. B. Virginem pro modo humilitatis quam in terris habuerat fuisse in gloria sublimatam. *Exaltata est*, inquit Ecclesia, *super choros Angelorum ad cœlestia regna.* (*In Off. Assumpt.*) Sicut enim cæteras omnes creaturas humilitate non secùs ac perfectione superaverat; ita æquum erat illam supra omnem creaturam exaltari, ita ut primum in cœlo post Christum locum teneret. (D)

qui ont cru en être assurés. L'Eglise fait profession de la croire dans l'office de l'Assomption : et elle ne souffre point du tout que l'on en doute, dit Baronius. C'est en effet une suite nécessaire de la sentence par laquelle tous les hommes ont été condamnés à la mort depuis le péché d'Adam : de sorte qu'il faudrait, comme nous avons dit, des preuves très-claires pour excepter la sainte Vierge de cette loi, dont Jésus-Christ même n'a pas voulu s'exempter.

On a peut-être parlé de la mort de la Vierge avant que le bruit de sa résurrection se fût répandu à la fin du V. siècle, parce que dans les premiers temps on parlait moins d'elle, et qu'on n'examinait guère que ce qui est dans l'Ecriture. Et néanmoins si l'on voulait se donner la peine de chercher dans les écrits faits avant l'an 450. je ne doute point qu'on n'y trouvât que la mort de la Vierge était une chose crue communement. Mais on s'est encore peu appliqué à remarquer ces endroits, parce qu'on ne croyait pas que ce fût une chose qui se pût mettre en question. Le passage du Concile d'Ephèse dont nous parlons dans la Note 15. suffit, ce me semble, pour montrer qu'on n'en doutait point au commencement du V. siècle. Que si nonobstant tout cela on peut encore douter raisonnablement que la Vierge soit morte, il y a assurément encore beaucoup plus sujet de douter qu'elle soit ressuscitée; et il serait bien difficile de mettre ces deux choses dans une égale probabilité, ou une égale difficulté.

Vide suprà litt. (A) D. TILLEMONT. *Notam* 18. *Eadem ferè refert* R. P. THOMASSINUS Cong. Orat. D. J. *Presbyter Tract.* de Festis, *quem consulere poteris.*

(D) S. BERNARD. *Serm. de duod. prærogat. B. V. M. n.* 10. Pudibunda fuit Maria : ex Evangelio id probamus. Ubi enim aliquando loquax, ubi præsumptuosa fuisse videtur? Foris stabat quærens loqui Filio, (*Matth.* XII. 46.) nec maternâ auctoritate aut sermonem interrupit, aut in habitationem irruit in qua Filius loquebatur. In omni denique textu quatuor Evangeliorum, si benè meminimus, non nisi quater Maria loquens auditur.

N. 11. Verè carnales adhuc Discipuli, quibus necdum Spiritus erat datus; quia Jesus necdum fuerat glorificatus, quando facta est inter illos contentio de primatu (*Matth.* XX. 24.) : cùm Maria quantò major erat, humiliaret se non modò in omnibus, sed et præ omnibus. Meritò facta est novissima prima, quæ cùm prima esset omnium, sese novissimam faciebat. Meritò facta est omnium domina, quæ se omnium exhibebat ancillam. Meritò denique super Angelos exaltata est, quæ et infra viduas et pœnitentes, intra eam de qua ejecta fuerant septem dæmonia, (*Marc.* XVI. 9.) ineffabili se mansuetudine inclinabat. Obsecro vos, filioli, æmulamini hanc virtutem : Si Mariam diligitis, si contenditis ei

placere, æmulamini modestiam ejus : nihil enim tam idoneum homini, nihil tam congruum Christiano, maximèque Monachum nihil adeò decet.

V. 12. Et quidem manifesta satis in Virgine ex hac ipsa mansuetudine virtus humilitatis elucet. Nimirùm collactaneæ sunt humilitas et mansuetudo, in eo confœderatæ germaniùs qui dicebat : (*Matth.* XI. 29.) *Discite à me quia mitis sum et humilis corde.* Sicut enim mater præsumptionis elatio, sic mansuetudo vera nonnisi ex vera humilitate procedit. Nec in sola tamen Mariæ taciturnitate commendatur humilitas, sed evidentiùs resonat in sermone. Audierat : *Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei* : (*Luc.* I. 35.) et nihil aliud, quàm ancillam ejus se esse respondit. Inde ventum est ad Elisabeth, et continuò Virginis gloria singularis eidem per Spiritum revelatur. Denique et mirabatur personam venientis, dicens ; *Undè hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* (*Ibid.* 43.) Commendabat et vocem salutantis, adjiciens : *Ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exsultavit in gaudio infans in utero meo :* (*Ibid.* 44.) et beatificabat fidem credentis : *Beata*, inquiens, *quæ credidisti, quoniam perficientur in te, quæ dicta sunt tibi à Domino.* (*Ibid.* 45.) Magna quidem præconia, sed et devota humilitas nihil sibi passa retinere, in eum magis universa refudit, cujus in se beneficia laudabantur. Tu (inquit) magnificas Matrem Domini, sed *magnificat anima mea Dominum.* (*Ibid.* 46.) In voce mea filium perhibes exsultasse in gaudio : sed *exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo :* (*Ibid.* 47.) et ipse quoque tanquam amicus sponsi gaudio gaudeat ad vocem sponsi. Beatam esse dicis quæ credidisset ; sed credulitatis et beatitudinis causa respectus est supernæ pietatis, ut ex hoc magis *beatam me dicent omnes generationes,* (*Ibid.* 48.) quia ancillam humilem et exiguam respexit Deus.

V. 13. Sed cùm in sua æstimatione tam humilis esset, nihilominus et in promissionis credulitate magnanimis, ut quæ nihil aliud quàm exiguam sese reputabat ancillam, ad incomprehensibile hoc mysterium, ad admirabile commercium, ad inscrutabile sacramentum nullatenùs se dubitaret electam, et veram Dei et hominis genitricem crederet mox futuram. Agit hoc nimirùm in cordibus electorum gratiæ prærogativa divinæ, ut eos nec humilitas pusillanimes faciat, nec humilitas arrogantes, magis autem cooperentur sibi, ut non solùm nulla magnimitate subintret elatio, ut inveniantur cò ampliùs timorati, et largitori munerum non ingrati, ac vicissim ex occasione humilitatis pusillanimitas nulla subrebat ; sed quò minùs de sua quisque vel in minimis præsumere consuevit, cò ampliùs etiam in magnis quibusque de divina virtute confidat.

Serm. 1. *in Assumpt. n.* 3. Quem enim in castellum mundi hujus intrantem priùs ipsa susceperat ; ab eo suscipitur hodie sanctam ingrediens civitatem. Sed cum quanto putas honore, cum quanta exsultatione, cum quanta gloria ? Nec in terris locus dignior uteri virgi alis templo, in quo Filium Dei Maria suscepit, nec in cœlis regali solio, in quo Mariam hodiè Mariæ Filius sublimavit. Felix nimirùm utraque susceptio.

V. 4. Sed et illud quis vel cogitare sufficiat, quàm gloriosa hodie mundi Regina processerit. Quàm lætis amplexibus suscepta à Filio, et super omnem exaltata creaturam, cum eo honore quo tanta mater digna fuit, cum ea gloria quæ tantum decuit Filium ? Felici i prorsùs oscula labiis impressa lacteutis, cui virgineo mater applaudebat in gremio. Verùm nunquid non feliciora censebimus quæ ab ore sedentis in dextera Patris hodie in beata salutatione suscepit, cùm ascenderet ad thronum gloriæ, epithalamium canens et dicens : *Osculetur me osculo oris sui?* (*Cant.* I. 1.) Christi generationem, et Mariæ assumptionem quis enarrabit ? Quantum enim gratiæ in terris adepta est præ cæteris, tantum et in cœlis obtinet gloriæ singularis. Quòd si *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quæ præparavit Deus diligentibus se :* (1. *Cor.* II. 9.) quod præparavit gignenti se, et quod omnibus est certum diligenti præ omnibus, quis loquatur ? Felix planè Maria et multipliciter felix, sive cùm excipit Salvatorem, sive cùm à Salvatore suscipitur : utrobique miranda dignitas virginis Matris : utrobique amplectenda dignatio majestatis.

Serm. 4. *de Assumpt. n.* 5. Non est equidem quod me magis delectet,

I. Quid maximè postulat à nobis Ecclesia in hoc festo ?

R. 1. Ut magnam in intercessione B. Mariæ Virginis fiduciam habeamus. (E)

sed nec quod terreat magis quàm de gloria Virginis Matris habere sermonem. Ut enim sileam interim ineffabile privilegium meritorum, et prærogativam penitùs singularem, tanto eam devotionis affectu amplectuntur, honorant, suscipiunt, ut dignum est, universi, ut licèt de ea loqui gestiant omnes, tamen quidquid dicitur de indicibili, eo ipso quod dici potuerit, minùs gratum sit, minùs placeat, minùs acceptetur. Quidni minùs sapiat, quidquid de incomprehensibili gloria comprehendere potuerit mens humana ? Ecce enim, si in ea laudavero virginitatem, mihi multæ virgines post eam videntur offerri. Si humilitatem prædicavero, invenientur fortè vel pauci qui docente Filio ejus * *mites facti sunt, et humiles corde.* (*Matth.* XI. 29.) Si magnificare voluero misericordiæ ejus multitudinem, sunt aliqui misericordiæ viri etiam et mulieres. Unum est, in quo nec primam similem visa est, nec habere sequentem, gaudia Matris habens cum virginitatis honore. *Optimam*, inquit, *partem elegit sibi Maria.* (*Luc.* X. 42.) Optimam planè : quia bona fœcunditas conjugalis, melior autem castitas virginalis : prorsùs autem optima est fœcunditas virginea, seu fœcunda virginitas. Mariæ privilegium est, non dabitur alteri, quia non auferetur ab ea. Singulare est : sed continuò etiam indicibile invenitur, ut nemo assequi possit, sic nec eloqui quidem. Quid si et illud adjicias, Cujus mater ? Quæ jam poterit lingua, etiam si Angelica sit, dignis extollere laudibus Virginem Matrem ; matrem autem non cujuscunque, sed Dei ? Duplex novitas : duplex miraculum, sed dignè prorsùs aptissimèque conveniens. Neque enim Filius alius Virginem, nec Deum decuit partus alter.

N. 6. Verumtamen non hoc tantum si diligenter attendas, sed cæteras quoque virtutes singulares prorsùs invenies in Maria, quæ videbantur esse communes. Quæ enim vel Angelica puritas virginitati illi audeat comparari : quæ digna fuit Spiritûs sancti sacrarium fieri, et habitaculum Filii Dei ? Si rerum pretia de raritate pensamus, quæ prima in terris Angelicam proposuit ducere vitam, super omnes est : *Quomodo*, inquit, *fiet istud, quoniam virum non cognosco ?* (*Luc.* I. 34.) Immobile propositum virginitatis, quod nec Angelo Filium promittente aliquantenùs titubavit, *Quomodo*, inquit, *fiet istud ;* neque enim eo modo quo fieri solet in cæteris. Virum penitùs non cognosco, nec filii desiderio, nec spe prolis.

N. 7. Quanta verò et quàm pretiosa humilitatis virtus cum tanta puritate, cum innocentia tanta, cum conscientia prorsùs absque delicto. imò cum tanta gratiæ plenitudine ? Undè tibi humilitas et tanta humilitas, ô beata ? Digna planè quam respiceret Dominus, cujus decorem concupisceret Rex ; cujus odore suavissimo ab æterno illo paterni sinûs attraheretur accubitu. Vide enim quàm manifestè sibi concinant Virginis nostræ Canticum et nuptiale carmen, nimirùm cujus uterus, sponsi thalamus fuit. Audi Mariam in Evangelio : *Respexit*, inquit, *humilitatem ancillæ suæ.* (*Luc.* I. 48.) Audi eamdem in epithalamio : *Cùm esset Rex*, inquit, *in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* (*Cant.* I. 11.) Nardus quippe herba humilis est : et pectus purgat, ut manifestum sit humilitatem nardi nomine designari, cujus odor et decor invenerit gratiam apud Deum.

(E) S. BERNARD. *Serm.* 1. *de Assumpt. n.* 1. Præcessit nos Regina nostra, præcessit, et tam gloriosè suscepta est, ut fiducialiter sequantur Dominam servuli clamantes : *Trahe nos post te ; in odore unguentorum tuorum curremus.* (*Cant.* I. 3.) Advocatam præmisit peregrinatio nostra, quæ tanquam Judicis mater, et mater misericordiæ, suppliciter et efficaciter salutis nostræ negotia pertractabit.

N. 2. Pretiosum hodie munus terra nostra dixerit in cœlum, ut dando et accipiendo felici amicitiarum fœdere, copulentur humana divinis, terrena cœlestibus, ima summis. Illò enim ascendit fructus terræ sublimis, undè data optima, et dona perfecta descendunt. Ascendens ergo in altum Virgo beata dabit ipsa quoque dona hominibus. Quidni daret ?

2. Ut ad ejus confugiamus præsidium. Et hæc quidem ratio est cur solemnis hâc die per totam Galliam in singulis Ecclesiis supplicatio fiat, ex voto Ludovici XIII. Francorum Regis, qui Regnum suum sub patrocinio B. Mariæ Virginis positum esse voluit.

I. Quâ ratione possumus B. Mariæ patrocinium et protectionem mereri?

R. Ejus virtutum imitatione: maximè si ejus exemplo simus humiles, casti, ab omni mundi cupiditate alieni, uni Deo servientes, Divinæque providentiæ in omnibus ex animo subjecti.

§. 20. De Festis Angelorum.

I. Quâ die celebrat Ecclesia festum Angelorum?

R. Tertio Kalendas Octobris. Celebrat quidem et sexto idus Octobris festum Angelorum custodum. Celebrat et quibusdam in locis festa alia vel sancti Michaëlis, vel S. Raphaëlis, vel sancti Gabriëlis; sed hæc festa ubique non recepta sunt, nec cessatur his diebus ab opere servili, nisi in festo solemniori omnium Angelorum quod tertio

Siquidem nec facultas ei deesse poterit, nec voluntas: Regina cœlorum est, misericors est: denique Mater est unigeniti Filii Dei. Nihil enim sic potest potestatis ejus seu pietatis magnitudinem commendare: nisi fortè aut non creditur Dei Filius honorare Matrem: aut dubitare quis potest omninò in affectum charitatis transisse Mariæ viscera, in quibus ipsa quæ ex Deo est charitas, novem mensibus corporaliter requievit.

Serm. 4. de Assumpt. n. 8. Sileat misericordiam tuam, Virgo beata, si quis est, qui invocatam te in necessitatibus suis sibi meminerit defuisse. Nos quidem servuli tui cæteris in virtutibus congaudemus tibi, sed in hac potiùs nobis ipsis. Laudamus virginitatem: humilitatem miramur; sed misericordia miseris sapit dulciùs, misericordiam amplectimur chariùs, recordamur sæpiùs, crebriùs invocamus. Hæc est enim quæ totius mundi reparationem obtinuit, salutem omnium impetravit. Constat enim pro universo genere humano fuisse sollicitam, cui dictum est: *Ne timeas Maria: invenisti gratiam* (*Luc.* I. 30.) utique quam quærebas. Quis ergo misericordiæ tuæ, ô benedicta, longitudinem et latitudinem, sublimitatem et profundum queat investigare? Nam longitudo ejus usque in diem novissimum invocantibus eam subvenit universis. Latitudo ejus replet orbem terrarum: ut tuâ quoque misericordiâ plena sit omnis terra. Sic et sublimitas ejus civitatis supernæ invenit restaurationem, et profundum ejus sedentibus in tenebris et in umbra mortis obtinuit redemptionem. Per te enim cœlum repletum, infernus evacuatus est, instauratæ ruinæ cœlestis Jerusalem, exspectantibus miseris vita perdita data. Sic potentissima et pissima charitas et affectu compatiendi et subveniendi abundat effectu, æquè locuples in utroque. Ad hunc igitur fontem sitibunda properet anima nostra. Ad hunc misericordiæ cumulum totâ sollicitudine miseria nostra recurrat. Ecce jam quibus potuimus votis ascendentem te ad Filium deduximus, et prosecuti sumus saltem à longè, Virgo benedicta. Sit deinceps pietatis tuæ ipsam quam apud Deum gratiam invenisti, notam facere mundo: reis veniam, medelam ægris, pusillis corde robur, afflictis consolationem, periclitantibus adjutorium et liberationem sanctis tuis precibus obtinendo.

Serm. de duod. prærogat. B. V. M. n. 5. Amplectamur Mariæ vestigia, Fratres mei, et devotissimâ supplicatione beatis illius pedibus provolvamur. Teneamus eam, nec dimittamus donec benedixerit nobis. Potens est enim: nempe vellus est medium inter rorem et aream, mulier inter solem et lunam, Maria inter Christum et Ecclesiam constituta.

Kalendas Octobris agitur. Dicitur autem id festum, Festum S. Michaëlis, quia Michaël primus Angelorum est, celebraturque hac die festum illius sicut et cæterorum omnium Angelorum.

I. Cur celebrat Ecclesia festum Angelorum ?

R. 1. Quia et ipsi pertinent ad societatem Ecclesiæ, et Christum habent caput, ut diximus. (*Part.* 1. *Sect.* 2. *Cap.* 5. §. 3.) (A)

2. Quam speramus felicitatem, hâc ipsi fruuntur; et gratias agit Deo Ecclesia de triumpho quem ipsi de dæmonibus egerunt. (B)

3. *Omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis*, ait Apostolus. (*Hebr.* 1. 14.) Ideò eos Ecclesia veneratur ut protectores. (C)

(A) EPHES. 1. 22. Et omnia subjecit sub pedibus ejus : et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam.

COLOSS. 11. 10... Qui est caput omnis principatûs et potestatis.

S. CLEMENS ALEXAND. *lib.* 7. *Stromatum*, *pag.* 505. *Edit. Lugduni Batav. in fol. ann.* 1616. Ei (*Filio Dei*) subjecta est universa militia Angelorum... Hic est qui dat Græcis sapientiam per inferiores Angelos. Sunt enim jussu divino et antiquo per gentes distributi Angeli.

(B) TOB. XII. 15. Ego enim sum Raphael Angelus, unus ex septem, qui adstamus ante Dominum.

LUC. 1. 19. Ego sum Gabriel, qui adsto ante Deum.

MATTH. XVI. 27. Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis.

XVIII. 10. Angeli..... in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est.

XXII. 30.... Erunt sicut Angeli Dei in cœlo.

(C) PSAL. XXXIII. 8. Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum : et eripiet eos.

DANIEL. XIII. 55. *Uni ex senibus qui Susannam falsò criminabantur ait :* Rectè mentitus es in caput tuum : Ecce enim Angelus Dei acceptâ sententiâ ab eo, scindet te medium. *Deinde alteri dixit* 59... Rectè mentitus es et tu in caput tuum : manet enim Angelus Domini, gladium habens, ut secet te medium, et interficiat vos. 60. Exclamavit itaque omnis cœtus voce magnâ, et benedixerunt Deum, qui salvat sperantes in se.

MATTH. XVIII. 10. Videte ne contemnatis unum ex his pusillis : dico enim vobis, quia Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est.

S. HILARIUS *Comment. in Matth.* XVIII. 10. *n.* 5. *Videte ne contemnatis unum de pusillis istis, qui credunt in me.* Arctissimum vinculum mutui amoris imposuit, ad eos præcipuè qui verè in Dom no credidissent. Pusillorum enim Angeli quotidie Deum vident : quia " *Filius hominis venit salvare quæ perdita sunt.* (*Matth.* XVIII. 11.) Ergo et Filius hominis salvat, et Deum Angeli vident, et Angeli pusillorum sunt. Fidelium orationibus præesse Angelos, absoluta auctoritas est. Salvatorum igitur per Christum orationes Angeli quotidie Deo offerunt. Ergo periculosè ille contemnitur, cujus desideria ac postulationes ad æternum et invisibilem Deum ambitioso Angelorum famulatu ac ministerio pervehuntur.

N. 6. Atque ut ingentem esse in cœlis lætitiam reditu humanæ salutis ostenderet, comparationis posuit exemplum, ejus qui oves nonaginta novem in montibus reliquisset, et erranlem unam requisisset : quâ inventâ plus gaudii sit, quàm habebatur in nonaginta et novem conservatione lætitiæ. (*Ibid.* 12. *et* 13.) Ovis una, homo intelligendus est ; et sub homine uno, universitas sentienda est. Sed in unius Adæ errore omne hominum genus aberravit : ergo nonaginta novem non errantes, multitudo Angelorum cœlestium opinanda est, quibus in cœlo est lætitia et cura salutis humanæ. Igitur et quærens hominem, Christus est, et

4. Ipsi preces nostras offerunt ante conspectum Dei. Agit hâc die Ecclesia gratias Deo de hoc beneficio. (D)

nonaginta novem relicti, cœlestis gloriæ multitudo est : cui cum maximo gaudio errans homo in Domini corpore est relatus.... in uno enim Abraham omnes sumus : et per nos, qui unum omnes sumus, cœlestis gloriæ numerus explendus est.

S. BASIL. *Comm. in cap.* VIII. *Isaiæ, paulò post initium pag.* 1013. Angelis tanquam providis tutoribus humani generis eam curam demandavit Deus ad custodiam et salutem hominum.

In visionem primam Isaiæ pag. 854. Angeli sancti quorum solerti curæ concredita est Ecclesiarum præfectura.

In cap. X. *Isaiæ pag.* 1050. Non pauci principes ac gentium præfecti ad tutelarem custodiam et conservationem uniuscujusque gentis sibi concreditæ constituti sunt, quemadmodum ait Moses in Cantico : * *Quando dividebat Altissimus gentes, quando separabat filios Adam, constituit terminos gentium juxta numerum Angelorum Dei.* (*Deut.* XXXII. 8.)... et rursùs apud Danielem, principem quemdam Persarum, et principem Græcorum legimus. Sic enim dixit ad eum Angelus : * *Et ego veni propter verba tua, et princeps regni Persarum stetit ex adverso mihi. Et ecce Michaël unus principum primorum venit, ut me adjuvet, et ipsum reliqui illic cum principe regni Persarum.* (*Dan.* X. 12. *et* 13.) Et paulò post ait, * *et ego egressus sum, et Princeps Græcorum veniebat.* (*Ibid.* 20.)

Homil. in Psal. XLVIII. *aliquantò ante finem.* Verus pastor venit qui animam suam pro ovibus posuit, atque adeò eas secum excitatas et ex inferni carcere eductas diluculo suæ resurrectionis tradit justis, hoc est, sanctis Angelis, eas ut pascerent et refoverent... Cuilibet enim fidelium est Angelus assistens et adjunctus, Patrem qui est in cœlo, videre dignus.

Homil. in Psal. XXXIII. *pag.* 220. *et* 221. Si in anima tua ea quæ sunt digna Evangelicâ custodiâ habueris... necesse jam sit, ut juxta te, tutores præsidialesque custodes qui tibi assistant, collocet Deus et Angelorum custodiâ te muniat. Considera igitur quanta sit Angelorum natura : quoniam universo exercitui et castris numerosæ hominum multitudinis unus assimilatur Angelus. Ob magnitudinem itaque ejus qui te custodit, castra tibi munitionesque præbet Deus : propter verò Angeli virtutem veluti circumvallat te undique securitate quæ est per illum.. Sicut enim muri civitatis circumducti omni ex parte abarcent propulsantve hostiles insultus : sic et Angelus te præmunit à fronte, et à tergo custodit, et nihil utrinque incustoditum relinquit. Propterea inquit : *Cadent à latere tuo mille, et decem millia à dextris tuis, ad te autem non appropinquabit ;* (*Psal.* XC. 7.) ne plaga quidem ab ullo tibi infligenda inimicorum tuorum : *Quoniam Angelis suis mandavit de te.* (*Ibid.* 11.)

S. HIERONYM, *lib.* 3. *adversùs Jovinianum, pag.* 544. *Edit. Paris. ann.* 1609. *in fol...* In regno cœlorum Archangeli sunt, Angeli, Throni, Dominationes, Potestates, Cherubim, et Seraphim, et omne nomen quod nominatur non solùm in præsenti seculo, sed etiam in futuro. Sine causa diversitas nominum est, ubi non est diversitas meritorum. Archangelus utique aliorum minorum est Angelorum Archangelus ; et Potestates et Dominationes habent aliqua super quæ exerceant Potestatem, et in qua subjecta dominentur.

CASSIANUS *Collat.* 8. *cap.* 17. *Quòd singulis hominibus duo semper Angeli adhæreant.* Nam quòd unicuique nostrûm duo cohæreant Angeli, id est, bonus et malus, Scriptura testatur. De bonis quidem Salvator : *Ne contemnatis,* inquiens, *unum ex pusillis istis ; dico enim vobis, quòd Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris qui in cœlis est.* (*Matth.* XVIII. 18.) Illud quoque *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, et eripiet eos.* (*Ps.* XXXIII. 8.) Necnon etiam quod in actibus Apostolorum de Petro dicitur : quia *Angelus ejus est.* (*Act.* XII. 15.) De utrisque verò liber Pastoris plenissimè docet.

(D) TOB. XII. 12. Quando orabas cum lacrymis.... ego obtuli orationem tuam Domino.

APOCAL. VIII. 4. Et ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum de manu Angeli coram Deo.

S. HILARIUS *Comm. in Matth.* XVIII. 10. *n.* 5. *Vide litt. sup. hocce* §.

1. Quomodo celebrandum est hoc Festum ex mente Ecclesiæ?

R. 1. Agendæ gratiæ Deo, qui nos vocaverit in consortium Angelorum, et in partem eorum felicitatis; ita ut per Christum futuri simus æquales Angelis. (E)

2. Omni ope atque operâ enitendum ut Angelorum humilitatem, puritatem, charitatem, obedientiam, vigilantiam imitantes, ad eorum mereamur pervenire societatem.

3. Agendæ gratiæ Deo, qui nobis Angelos custodes et protectores dederit.

4. Habenda reverentia vel *pusillis fratribus minimis: Angeli enim eorum semper vident faciem Patris qui in cœlis est*, inquit Christus. (*Matth.* XVIII. 10.)

5. Magnà observantià colendi circum nos stantes Angeli, et diligenter cavendum ne eos ullo peccato contristemus. (F)

(E) MATTH. XXII. 30. In resurrectione enim neque nubent (*homines*) neque nubentur: sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo.

S. BASIL. *Hom.* 9. *quòd Deus non est auctor mali*, *pag.* 428. *Edit. Paris. in fol. ann.* 1628. In sublimi.... Paradisi interesse deliciis, et æquè cum Angelis et Archangelis regnare ac vivere, et divinæ vocis participem esse dederat (Adamo Deus.)

(F) S. BERNARD. *Serm.* 1. *in festo S. Michaëlis n.* 5. Pensate, quantà nobis sollicitudine opus est.... ut dignos nos exhibeamus eorum frequentiâ, et eo modo conversemur in conspectu Angelorum, ne fortè sanctos offendamus obtutus. Væ enim nobis, si quando provocati peccatis et negligentiis nostris indignos nos judicaverint præsentiâ et visitatione suâ, ut jam necesse habeamus et nos plangere, et dicere cum Propheta: *Amici mei et proximi mei adversùm me appropinquaverunt et steterunt: et qui juxta me erant de longe steterunt, et vim faciebant qui quærebant animam meam;* (*Psal.* XXXVII. 12. *et* 13.) elongatis nimirùm eis, quorum præsentia protegere nos, et propulsare poterat inimicum. Quòd si tam necessariam habemus familiaritatem dignationis Angelicæ, cavenda nobis eorum offensa, et in his maximè exercendum, quibus eos novimus oblectari. Sunt enim plurima quæ eis placent, et quæ in nobis invenire delectat: ut est sobrietas, castitas, paupertas voluntaria, crebri in cœlum gemitus, et orationes cum lacrymis et cordis intentione. Attamen super omnia hæc unitatem et pacem à nobis exigunt Angeli pacis. Quidni maximè delectentur in his, quæ formam quamdam civitatis suæ repræsentant in nobis, ut mirentur Jerusalem novam in terra? Dico autem ut quomodo civitatis illius *participatio est in idipsum:* (*Ps.* CXXI. 3.) sic et nos idipsum sentiamus, idipsum dicamus omnes, et non sint in nobis schismata: sed magis omnes simul *unum corpus simus in Christo*, *singuli autem alter alterius membra.* (*Rom.* XII. 5.) Econtra verò nihil æquè offendit, et ad indignationem provocat eos, quomodo dissensiones et scandala, si fortè inveniantur in nobis. Audiamus siquidem, quid loquatur ad Corinthios Paulus: *Cùm enim sit inter vos zelus et contentio, omnes carnales estis, et secundùm hominem ambulatis?* (1. *Cor.* III. 3.) In Epistola quoque Judæ Apostoli legimus sic: *Hi sunt qui segregant semetipsos, animales, Spiritum non habentes.* (*Jud.* 19.) Videre animam hominis quemadmodum universa corporis membra vivificet cohærentia sibi. Separa ergo quodvis à junctura cæterorum, et vide an de cætero illud vivificet. Sic est omnis qui dicit anathema Jesu: quod nemo dicit loquens in spiritu Dei; quia anathema separatio est. Sic est, inquam, omnis qui ab unitate dividitur, nec dubites quin ab eo recesserit Spiritus vitæ. Dignè igitur conlenliosos, et qui separant semetipsos, Apostoli carnales vocant et animales, Spiritum non habentes. Dicunt ergo sancti illi, et beati spiritus, ubi scandala invenerint et dissensiones: Quid nobis et generationi huic Spiritum non habenti? Nam si adesset Spiritus, per eum utique charitas diffunderetur, et unitas non scinderetur. Et

6. Orandi Angeli ut ipsi orationes nostras offerant per Christum sicut incensum in odorem suavitatis ad altare Dei. (G)

dicunt : Non permaneamus cum hominibus istis in æternum : quia caro sunt. Quæ enim conventio luci ad tenebras ? Nos de regno unitatis et pacis sumus, et homines istos in eamdem unitatem et pacem speramus esse venturos. Nunc autem quâ ratione nobis cohæreant, qui dissident à seipsis ? Videtis quàm congruat huic solemnitati Evangelica lectio, quæ sic deterret nos à scandalo parvulorum, quandoquidem tam vehementer Angelis displicent scandala ?

S. Basil. *Lib. de vera Virgin. pag.* 740. (*Virgo*) seipsam primùm, conscientiamque suam reverebitur ; etiamsi valde sit sola, deinde adstantem sibi custodem Angelum. *Angeli* enim *eorum* semper *vident*, inquit, *faciem Patris vestri, qui in cœlis est.* (*Matth.* XVIII. 10.) Neque verò convenit ut Angeli ejus, cui credita est cura ac custodia salutis nostræ, faciem aspernetur homo : atque in primis virgo, quæ hunc ipsum castitatis suæ veluti paranymphum custodemque habet. Præ cunctis autem ipsum Sponsum suum reverebitur, sibi ubique assistentem, ipsiusque Patrem et Spiritum sanctum. Quid per singula pergam ? Ipsas Angelorum infinitas multitudines, et unà sanctorum patrum beatissimos spiritus. Nullus enim ex his est, qui non singula ubique consideret. Etsi enim oculis carneis minimè conspicui sunt : incorporeis tamen obtutibus ad agnitionem complectuntur omnia, et comprehendunt. Et hac ergo ratione si latere virgo plures quærit, longè hos magis, qui tanti ac tales sunt, quàm homines revereri meritò debebit : et quia multitudinis pavescit obtutus, hos autem vitare impossibile est, qui sunt infinita multitudo ; nihil unquam indecens faciet, aut à proposito suo alienum.

In cap. 5. *Isaiæ pag.* 941. Fieri etiam potest, ut cùm unusquisque nostrûm habeat sanctum Angelum, qui castrametatur *in circuitu timentium Dominum* (*Ps.* XXXIII. 8.), stricto examine deprehensus in peccatis, intentatæ huic plagæ reddatur obnoxius et muro privetur ; nimirùm sanctarum virtutum tutelâ : quæ quidem quanto adfuerint tempore, eos conservant inexpugnabiles, quos suâ dignantur protectione. Anima autem omnis tutissimo hoc præsidio destituta, in direptionem exponitur hostibus, hoc est, virtutibus quæ ex contrario nobis obluctantur.

In Psal. XXXIII. *pag.* 220. Castrametabitur ergo Angelus Domini in circuitu timentium eum. Omni namque in Christum credenti Angelus assistit, nisi illum à nobis per improbas actiones prolligaverimus. Velut enim fumus apes fugat, et fœdus odor columbas expellit : sic Angelum vitæ nostræ custodem, abigit multa lacrymarum aspergine dignum ac graveolens peccatum.

(G) Apocal. VIII. 4. etc. *Vide suprà hocce §. litt.* (D)

S. Bernard. *Serm.* 1. *in festo S. Michaëlis n.* 2. *ad calcem.* Ministrant Angeli, sed de alieno, offerentes Deo bono opera non sua, sed nostra, ac nobis ejus gratiam referentes. Unde et Scriptura dicens : *Quoniam ascendit fumus aromatum in conspectu Domini de manu Angeli*, sollicitè præmisit *data ei fuisse incensa multa.* (*Apoc.* VIII. 3. *et* 4.) Nostros enim sudores non suos, nostras non suas lacrymas offerunt Deo : nobis quoque ejus munera referunt, et non sua.

N. 4. Hic est, dilectissimi, funiculus triplex, quo de excelso cœlorum habitaculo ad consolandos, ad visitandos, ad adjuvandos nos attrahitur supereminens charitas Angelorum, propter Deum, propter nos, propter seipsos. Propter Deum, utique, cujus tanta erga nos misericordiæ viscera ipsi quoque (ut dignum est) imitantur. Propter nos, in quibus nimirùm propriam similitudinem miserantur. Propter seipsos, quorum ordines instaurandos ex nobis toto desiderio præstolantur.

Origen. *Homil.* 4. *in Luc. ad calcem.* Angeli quotidie aut ascendunt, aut descendunt super salutem hominum.

Homil. 22. *in Lucam, versùs finem.* Ego non ambigo in cœtu nostro adesse Angelos, non solùm generaliter omni Ecclesiæ, sed etiam singillatim. De quibus Salvator ait : *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est.* (*Matth.* XVIII. 10.) Duplex hic adest Ecclesia, una

§. 21. De Festis Sancti Joannis-Baptistæ.

I. Quis fuit S. Joannes-Baptista?

R. Jam diximus (1. *Part. Sect.* 2. *Cap.* 1. §. 5.) hunc Christi præcursorem fuisse, id est, missum à Deo ut pararet viam Christo, ipsumque Judæis indicaret.

I. Quænam festa celebrat Ecclesia in honorem sancti Joannis-Baptistæ?

R. Duo potissimùm, scilicet ejus Nativitatem, et Mortem, quam decollationem dicimus. (A)

hominum, altera Angelorum. Si quid juxta rationem, et juxta Scripturarum dicimus voluntatem, lætantur Angeli et orant nobiscum. Et quia præsentes Angeli sunt in Ecclesia, in illa duntaxat quæ meretur, et Christi est, propterea orantibus feminis præcipitur, ut habeant velamen super caput propter Angelos (1. *Cor.* XI. 10.), utique illos qui assistunt sanctis, et lætantur in Ecclesia. Quos quidem nos, quia peccatorum sordibus oculi nostri obliti sunt, non videmus, sed vident Apostoli Jesu ad quos loquitur: *Amen, amen dico vobis, videbitis cœlum apertum, et Angelos Dei ascendentes et descendentes super Filium hominis.* (*Joan.* I. 51.) Quòd si haberem hanc gratiam, ut quomodo Apostoli, sic viderem, et sicut Paulus aspexit intuerer, cernerem nunc Angelorum multitudinem, quam videbat Helisæus, et Giezi qui cum eo steterat non videbat. In meta erat Giezi ne ab hostibus caperetur, solus Helisæus videns: sed Helisæus ut Propheta Domini deprecatur, et dixit: O Domine, aperi oculos pueri istius, et videat quoniam multò plures nobiscum sunt quàm cum illis. (4. *Reg.* VI. 16. *et* 17.) Et statim ad preces sancti viri, Angelos quos priùs Giezi non videbat intuitus est.

Lege, si lubet, ea quæ diximus suprà, Parte 1. *Sect.* 1. *Cap.* 2. §. 2. *ubi fusè* de Angelis *egimus.*

PASCH. RATBERTUS *Tom.* 14. *Biblioth. PP. Lugd. pag.* 567. *in Matth. Evang. lib.* 8. Nulli dubium esse credo, et ex auctoritate divinarum Scripturarum firmatum, Angelos in ministerio esse positos eorum qui hæreditatem accepturi sunt æternæ vitæ, ut singuli per singulas principentur provincias vel regna; in tantum ut etiam singuli suos habeant Angelos, maximè qui à Deo prædestinati sunt, quorum hæreditas est æternæ vitæ promissio. Unde, ut dixi, absoluta auctoritas est, quod horum pusillorum Angeli eorum orationes offerant Deo, ex quo incipiunt aliquid offerre quod dignum sit Deo; quia ut dignum est, ministri constituti sunt Ecclesiarum Dei, *et administratorii* vocantur *spiritus* à Paulo Apostolo (*Hebr.* I. 14.), qui omnium vota orationesque offerunt Deo, sed per Christum, quorum officio coram summo Deo quotidie credentium inferuntur preces et referuntur ad nos usque impetrata. Quapropter etsi terribile est eos contemnere pusillos, qui adhuc in fide parvi sunt, et in officio: terribiliùs est eos conculcare qui vota omnium offerre videntur, ad quorum officia, ut plures aiunt, super eos constituti sunt Principes, qui eorum peragunt absque dubio officia, qui altaris esse probantur ministri. Et ideò periculosissimè illi contemnuntur, quorum desideria ac postulationes Angeli quotidie offerunt. Quia nemo mortalium adhuc in carne peccati per se dignus est; idcircò provisum est à clementissimo Deo, ut per manus Angelorum vota perferantur hominum et preces ad ipsum æternum invisibilem Deum ambitiosè, ut quidquid minus est nobis in natura, fiat acceptum sacrificium nostrum ex Angelico famulatu.

(A) S. AUG. *Serm.* 287. *aliàs de diversis* 40. *cap.* 1. *n.* 1. Attendat charitas vestra, quàm magni hominis nativitas facta sit. Natales dies carnis nulli Prophetarum, nulli Patriarcharum, nemini Apostolorum celebravit Ecclesia: solos duos Natales celebrat, hujus (*Joannis Baptistæ*) et Christi.

Serm. 288. *aliàs* 23. *ex Sirmondianis, n.* 1. Dici hodiernæ festivitas anniversario reditu memoriam renovat, natum esse Domini præcursorem ante mirabilem mirabiliter; cujus nativitatem considerare nos et laudare maximè hodie convenit. Ad hoc enim et dies anniversarius huic

I. Cur celebrat Ecclesia Nativitatem Joannis-Baptistæ ?

R. Quia præter morem sanctificatus est in utero matris suæ, factaque sunt in ejus ortu multa miracula, quæ legi possunt in altero capite Evangelii secundùm Lucam. (B)

I. Cur hâc die festi ignes accenduntur ubique ?

R. Ut impleatur quod dictum Zachariæ fuit ab Angelo : *Multi in nativitate ejus gaudebunt.* (*Luc.* I. 14.) (C)

I. Unde ista lætitia ?

R. Ex proximo adventu Christi, cujus præcursor Joannes. Qui in tenebris sunt gaudent lucente aurorâ ; quia jam jam sol illucescet. Lætandum ergo fuit in adventu Joannis, qui velut aurora Christo justitiæ soli præluxit. Decet itaque etiamnum in solemnitate ortûs Joannis gaudere ; sed cavendum ne propterea ulla superstitio fiat, ne quid nimis.

I. Cur Joannes dictus est Baptista ?

R. Quia baptizavit Christum, et Judæos omnes ad se venientes (D), ut eos ad recipiendum Messiam sic præpararet.

miraculo dedicatus est, ut beneficia Dei et Excelsi magnalia non deleat oblivio de cordibus nostris.

Serm. 289. *alias* 3. *ex Vignerianis*, *n.* 5. Celebramus Natalem Joannis, sicut Christi, quoniam ipsa nativitas plena est mysterio.

Serm. 290. *alias* 44. *inter homilias* 50. *cap.* 2. *n.* 2. Quia in magno sacramento natus est Joannes, ipsius solius justi natalem diem celebrat Ecclesia. Et Natalis Domini celebratur, sed tanquam Domini. Date mihi alium servum præter Joannem inter Patriarchas, inter Prophetas, inter Apostolos, cujus natalem diem celebret Ecclesia Christi. Passionum diem servis plurimis celebramus : nativitatis diem nemini, nisi Joanni.

Serm. 293. *alias* 5. *ex Vignerianis*, *n.* 1. Nativitatem Joannis quodam modo consecratam observat Ecclesia : nec invenitur ullus in Patribus, cujus nativitatem solemniter celebremus : celebramus Joannis, celebramus et Christi.

(B) Luc. I. 5. *et seq. Vide suprà Parte* 1. *hujusce Operis Sect.* 2. *Cap.* 1. §. 5. *litt.* (Q. R. S.)

S. Ambrosius *in Luc.* I. 15. *n.* 35. Non est dubium verum hoc Angeli esse promissum ; siquidem sanctus Joannes, antequam nasceretur, matris adhuc in utero positus Spiritûs accepti gratiam designavit.... Nondum enim erat illi spiritus vitæ, sed spiritus gratiæ.

S. Bernard. *Serm.* 1. *in Nativit. S. Joann. Bapt. n.* 4. Joannes in spiritu tanquam Angelus eruditur. Nimirùm tanto propinquior Deo, quantò vox verbo vicina : cui nullâ voce aliâ mediâ quod foris sonet oporteat intimari. Neque enim Joannem prædicatio, sed inspiratio docuit, quem replevit Spiritus in utero matris suæ. Verè ardens et vehementer accensus, quem sic præoccupavit flamma cœlestis, ut jam Christi sentiret adventum, qui necdum sentire poterat vel seipsum. Nimirùm novus ille ignis, qui recèns elapsus è cœlo, per os Gabrielis in aurem intraverat Virginis, rursùm per os Virginis, et matris aurem introivit ad parvulum : ut ab ea hora vas electionis suæ Spiritus sanctus impleret, et lucernam Christo Domino pararet.

(C) S. Bernard. *Serm.* 1. *in Nativit. S. Joan. Bapt. n.* 7. *Multi*, inquit Angelus, *in Nativitate ejus gaudebunt.* (*Luc.* I. 14.) Verum id quidem ; multi in nativitate ejus gaudent : et paganis ipsis ut audivimus læta est et solemnis. Illi celebrant quod ignorant, sed non ita debuerant Christiani. Nunc verò et ipsi in hac beati Joannis Baptistæ Nativitate gaudent : sed utinam de Nativitate, non de vanitate.

(D) Matth. III. 1. In diebus autem illis venit Joannes-Baptista prædicans in deserto Judææ, 2. et dicens : Pœnitentiam agite : appropinquavit enim regnum cœlorum. 3. Hic est enim, qui dictus est per Isaïam Prophetam dicentem : Vox clamantis in deserto : Parate viam Domini :

I. Quid erat Baptismus Joannis ?

R. Ritus sacer, quo significabat Judæis Joannes agendam esse pœnitentiam peccatorum, ut sic pararent viam Domino. (E)

I. Quomodo vixit S. Joannes Baptista ?

R. Id jam diximus. (1. *Part. Sect.* 2. *Cap.* 1. §. 5.) Vixit in deserto parcissimè et durissimè : potus ejus aqua ; cibus, locustæ (F) et mel sylvestre. Vestitus erat pilis camelorum,

rectas facite semitas ejus.... (*Isai.* XL. 3.) 5. Tunc exibat ad eum Jerosolyma, et omnis Judæa, et omnis regio circa Jordanem ; 6. Et baptizabantur ab eo in Jordane, confitentes peccata sua.... 13. Tunc venit Jesus à Galilæa in Jordanem ad Joannem, ut baptizaretur ab eo.

(E) MATTH. III. 11. Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam : qui autem post me venturus est, fortior me est, cujus non sum dignus calceamenta portare ; ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, et igne.

(F) MATTH. III. 4. Ipse autem Joannes, *inquit*, habebat vestimentum de pilis camelorum, et zonam pelliceam circa lumbos suos : esca autem ejus erat locustæ, et mel sylvestre. *Sacræ Scripturæ Interpretes hoc verbum* LOCUSTÆ *diversè omninò interpretantur. Alii siquidem locustas speciem quamdam olerum aut herbarum esse credunt ; alii verò animal quadrupes, cujus esus Judæis in Lege permittebatur, uti patet ex* LEVIT. XI. 21. Quidquid autem ambulat quidem super quatuor pedes, sed habet longiora retrò crura, per quæ salit super terram, 22. comedere debetis, ut est bruchus in genere suo, et attacus, et ophiomachus, ac locusta, singula juxta genus suum. *Ex quibus patet animal illud longè diversum fuisse ab eo quod nos locustam, Gallicè* SAUTERELLE *nominamus. Quidam Interpretes* LOCUSTAS *interpretantur arborum, aut teneriores gemmas ramorum summitates. Quidquid sit, certè Scriptura eâ mente hujusce cibi à S. Joanne frequentati meminit, ut ejus pœnitentiam, miramque abstinentiam commendaret.*

JANSEN. GANDAV. *c*, 13. *in Concord. Evang.* Quoniam enim (*Joannes*) pœnitentiam prædicabat, et in deserto vivebat, congruum erat, ut austero, vilique, et facilè parabili cibo et vestitu uteretur : quod et ob id conveniebat, ut Heliam in cujus spiritu et virtute venerat expressiùs referret.... Advertendum dictionem Græcam *acrides* pro qua apud nos est *Locustæ*, duo significare. Nam et significat insecti genus, quod nos locustam dicimus, et herbarum summitates. Proinde Perotus putat hic potiùs intelligendum Joannem victitasse herbarum summitatibus, quàm locustis, animali scilicet venenoso et noxio.... Verisimilius est Joannem locustas animalia edidisse, non quòd hunc cibum sibi curiosè proprium fecerit, sed quòd hic vilis esset, minimèque sumptuosus, ac in deserto in quo vivebat facilè parabilis, quem et alii ejusdem deserti inhabitatores ederint, quamvis præ illis omnibus eximiam quamdam abstinentiam, et luxûs omnis contemptum Joannes præ se ferret.... Simplicius fuerit intelligere mel sylvestre hoc loco illud quod à feris et incultis apibus in arboribus et petrarum cavernis conficiebatur eo loci abundè.... Tria nobis imitanda proponi rectè intelligimus : et in vestitu quidem illo vili, superbiæ fugam quæ in pretiosis ferè relucet vestibus. In cinctura verò zonæ pelliceæ circa lumbos, libidinis refrænationem, juxta illud *sint lumbi vestri præcincti.* (*Luc.* XII. 35.) In cibo verò, temperantiam in nutriendo corpus.

JANSEN. IPRENSIS Episcopus *in c.* 3. *Matth. v.* 4. Habebat (*Joannes*) vestimentum non pellem cameli, sed *de pilis camelorum* contextam, adeoque vilem, asperam et rudem, pœnitentiæ congruam ; quam Anselmus hîc vocat cilicium camelinum.... Christus ipse minimè delicatum et mollem vestitum ejus commendat Matth. XI. *v.* 89. *Et zonam pelliceam*, id est, non pretiosam, sed coriaceam, ut spiritu ita et habitu Eliam referens. *Circa lumbos suos*, quo significatur partim libidinis refrænatio, partim accinctio, seu præparatio ad opus, juxta illud *sint lumbi vestri præcincti.* (*Luc.* XII. 35.) Unde et apud Ethnicos discinctum esse, mollis, ignavi, solutique hominis indicium erat. *Esca autem ejus locustæ...*

id est, cilicinâ veste et zonâ pelliceâ circa lumbos ejus. Ad eum undique confugiebant Judæi, quos ipse salutaribus monitis parabat ad Christum suscipiendum. (G)

Probabiliùs alii summitates herbarum.... quod acriter tuetur Isidorus Pelusiota Lib. I. Ep. 132. Sed longè est verius id quod veteres tradunt fuisse veras locustas, scilicet insecta illa nota.... Levitici XI. Unde Hieronymus lib. 2. contra Jovinianum : *Orientales*, inquit, *et Libyæ populos, quia per desertum et calidam eremi vastitatem locustarum nubes reperiuntur, locustis vesci moris est.... Et mel sylvestre*, id est, quod in sylvis, et arborum truncis et rupibus ab apibus agrestibus fieri solet, et satis magna fuisse Samsonis et Jonathæ exempla Judic. XIV. 8. et 1. Reg. XIV. 26. probant. Amarissimum fuisse tradit Isidorus ibid.... Vestitus erat asperrimus, et victus erat vilissimus, pœnitentiæ, cœlestisque regni prædicatori congruus.

MALDONAT. è Soc. Jesu, *Comment. in Matth.* IV. 3. *Ipse autem Joannes habebat vestimentum de pilis camelorum.* Miro studio tres Evangelistæ Matthæus, Marcus, et Lucas, Joannis personam exprimunt; partim opinor, ut viri sanctitatem commendent, partim ut rationem tacitè reddant, cur tantam de se Judæorum opinionem concilaverit, ut ad eum visendum omnes undique confluerent. *De pilis camelorum.* Hæreticis, hominibus scilicet elegantibus, omnia in Joanne fœtent, locus, vestitus, victus.... Ex ejus solitudine urbes fabricantur : ex pilis camelorum, pretiosam illi vestem contexunt, locustas in marinos cancros convertunt; reperti enim inter illos sunt, qui vestem ex pilis camelorum scutulatam, undulatamque vestem interpretarentur, quâ Reges olim usos legimus.... *Esca autem ejus erat locustæ.* Græcè *acrides* quæ locustæ Latinè propriè dicuntur, genus notum insecti, humiliter plerumque, et saltando volitans; unde et Gallicè nomen habet. Nonnulli, ut dixi, Hæreticorum marinos cancros interpretantur, quos captos cum aliis piscibus piscatores ad Jordanis ripam ejicerent, quòd quia lege immundi erant, vendere non possent, Joannes verò colligeret, eisque, quamvis repugnante lege, uteretur, ut Evangelicam jam tum libertatem doceret, quæ nullum ciborum discrimen admitteret.... Miror equidem tam ingeniosos homines non phasianas potiùs ex locustis aves, quàm marinos fecisse cancros, cùm eadem utrumque facilitate, eademque impudentiæ arte fieri potuisset. Et verò nomen Græcum *acrides* non magis cancros, quàm perdices, aut phasianos significare potest, et illis vescens Joannes, neque legem violasset, et minùs eremita esse videretur, quod isti solùm volunt. Illud etiam miror homines impudentes, qui tantopere Quadragesimam nostram exhorrescunt, non timuisse, ne pro una quadragesima duas, alteram ex Christi jejunio, alteram ex Joannis cancris faceremus. At non omnes Catholici locustas, infectum animal interpretantur, fateor; sed quia non malo, ut isti, scripserunt animo, ut Joannis sanctitatem extenuarent, sed quòd cibum nobis insuitatum, et horrendum esse scirent, digni sunt excusatione : Nec enim ignoro quosdam jam olim Auctores herbas, nescio quales, interpretatos, Euthymio et Theophylacto referentibus, alios pyra sylvestria, alios arborum, frondiumque summas partes, quæ quòd extremæ sint, *acrides* appellentur, ut Nicephoro placuit. Sed hi ipsi, si legissent locustas animalia insecta apud Orientales vilissimo quidem sed tamen esui fuisse, quod Plinius et Plutarchus scribunt, et ex Aristophane Poeta colligitur, de illis hunc locum exposuissent. Certè si in cibo non fuissent, non eas Moses inter munda animalia, quibus vesci licebat, numerasset. Nos quia non vidimus, abhorremus, æquè profectò, si non vidissemus, ab esu limacum, fucorum, et formicarum abhorreremus. Et tamen alicubi vix alium in hospitio cibum, quàm limaces, invenias. Et fucis qui vescerentur, sæpè ego vidi, et apud Indos formicas in deliciis esse, et Plinius scribit, et ex nostrorum qui illic sunt, litteris intelligimus. Atque ita hunc locum omnes ferè veteres Auctores sunt interpretati, Origenes, Hilarius, Ambrosius, Chrysostomus, Auctor (*operis*) imperfecti, Augustinus.

(G.) MATTH. III. *Vide suprà Parte* I. *Sect.* 2. *Cap.* I. §. 5. *litt.* (O. T. X.)

XI. 2. Joannes autem cùm audisset in vinculis opera Christi, mittens

I. Quo genere mortis occubuit ?

R. Missus est in carcerem , ac deinde decollatus jussu

duos de discipulis suis , 3. ait illi : Tu es qui venturus es , an alium exspectamus ? 4. Et respondens Jesus ait illis : Euntes renuntiate Joanni quæ audistis , et vidistis.... 7. Illis autem abeuntibus, cœpit Jesus dicere ad turbas de Joanne ; Quid existis in desertum videre ? Arundinem vento agitatam ? 8. Sed quid existis videre ? Hominem mollibus vestitum ? Ecce qui mollibus vestiuntur , in domibus regum sunt. 9. Sed quid existis videre ? Prophetam ? Etiam dico vobis, et plus quàm Prophetam. 10. Hic est de quo scriptum est : Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. (*Malach.* III. 1.) 11. Amen dico vobis , non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista : qui autem minor est in regno cœlorum , major est illo. 12. A diebus autem Joannis-Baptistæ usque nunc, regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud. 13. Omnes enim Prophetæ et lex usque ad Joannem prophetaverunt : 14. Et si vultis recipere, ipse est Elias , qui venturus est. (*Malach.* IV. 5.).... 18. Venit enim Joannes , neque manducans neque bibens ; et dicunt : Dæmonium habet. 19. Venit Filius hominis manducans et bibens , et dicunt: Ecce homo vorax , et potator vini , publicanorum et peccatorum amicus ; et justificata est sapientia à filiis suis.

MARC. I. 2. Sicut scriptum est in Isaïa propheta : Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. (*Malach.* III. 1.) 3. Vox clamantis in deserto : Parate viam Domini , rectas facite semitas ejus. (*Isaï.* XL. 3.) 4. Fuit Joannes in deserto baptizans, et prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. 5. Et egrediebatur ad eum omnis Judææ regio , et Jerosolymitæ universi , et baptizabantur ab illo in Jordanis flumine, confitentes peccata sua. 6. Et erat Joannes vestitus pilis cameli , et zonâ pelliceâ circa lumbos ejus , et locustas , et mel sylvestre edebat , et prædicabat dicens : 7. Venit fortior me , post me : cujus non sum dignus procumbens solvere corrigiam calceamentorum ejus. 8. Ego baptizavi vos aquâ , ille verò baptizabit vos Spiritu sancto. 9. Et factum est : in diebus illis, venit Jesus à Nazareth Galilææ ; et baptizatus est à Joanne in Jordane.

LUC. VII. 16..... Magnificabant Deum dicentes : Quia Propheta magnus surrexit in nobis : et quia Deus visitavit plebem suam. 17. Et exiit hic sermo in universam Judæam de eo , et in omnem circà regionem. 18. Et nuntiaverunt Joanni discipuli ejus de omnibus his. 19. Et convocavit duos de discipulis suis Joannes , et misit ad Jesum dicens : Tu es qui venturus es , an alium exspectamus ? 20. Cum autem venissent ad eum viri, dixerunt ; Joannes Baptista misit nos ad te, dicens : Tu es qui venturus es , an alium exspectamus ? 21. In ipsa autem hora multos curavit à languoribus, et plagis , et spiritibus malis , et cæcis multis donavit visum. 22. Et respondens , dixit illis : Euntes renuntiate Joanni , quæ audistis, et vidistis : Quia cæci vident , claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur. 23. Et beatus est quicunque non fuerit scandalizatus in me... 24. *et seq. Vide suprà Part.* I. *Sect.* 2. *Cap.* I. §. 5. *litt.* (T.)

JOSEPHUS *Antiquit. Judaïc. lib.* 18. *cap.* 7. *pag.* 915. Apud Judæos autem fuit opinio , justâ ultione numinis deletum Herodis exercitum, propter Joannem qui Baptista cognominatus est. Hunc enim Tetrarcha necavit virum optimum , Judæos excitantem ad virtutum studia , et imprimis pietatis ac justitiæ, simulque ad baptismi lavacrum : quod ita demùm Deo gratum aiebat fore, si non ab uno tantùm alterove peccato abstineant , sed animis per justitiam priùs mundatis , addant et puritatem corporis. Cumque magni concursus ad eum fierent plebe talis doctrinæ avidâ , Herodes veritus ne tanta hominis auctoritas defectionem aliquam pararet , quòd viderentur nihil non facturi ex ejus consilio, judicavit satius esse priàs quàm novi aliquid exoriretur , illum tollere , quàm rebus turbatis seram pœnitentiam agere. Itaque vinctum missum in Macheruntem suprà dictam , illic occidi imperat. Quod factum secuta est Judæorum existimatio ab irato Deo peditum esse Herodis exercitum.

Herodis Antipæ, cujus ipse publicum adulterium et incestum liberè carpserat. (H)

(H) MATTH. XIV. 2. etc. *Vide suprà Part. 1. Sect. 2. Cap. 1. §. 5. litt.* (AA) MARC. VI. 14. Et audivit rex Herodes, (manifestum enim factum est nomen ejus), et dicebat : Quia Joannes-Baptista resurrexit à mortuis : et propterea virtutes operantur in illo. 15. Alii autem dicebant ; Quia Elias est. Alii verò dicebant : Quia Propheta est, quasi unus ex prophetis. 16. Quo audito Herodes ait : Quem ego decollavi Joannem, hic à mortuis resurrexit. 17. Ipse enim Herodes misit, ac tenuit Joannem, et vinxit eum in carcere propter Herodiadem uxorem Philippi fratris sui, quia duxerat eam. 18. Dicebat Joannes Herodi : Non licet tibi habere uxorem fratris tui. 19. Herodias autem insidiabatur illi : et volebat occidere eum, nec poterat. 20. Herodes enim metuebat Joannem, sciens eum virum justum et sanctum : et custodiebat eum, et audito eo multa faciebat, et libenter eum audiebat. 21. Et cùm dies opportunus accidisset, Herodes natalis sui cœnam fecit principibus, et tribunis, et primis Galilææ. 22. Cùmque introisset filia ipsius Herodiadis, et saltasset, et placuisset Herodi, simulque recumbentibus : rex ait puellæ : Pete à me quod vis, et dabo tibi. 23. Et juravit illi : Quia quidquid petieris dabo tibi, licèt dimidium regni mei. 24. Quæ cùm exisset, dixit matri suæ : Quid petam? at illa dixit : caput Joannis-Baptistæ. 25. Cumque introisset statim cum festinatione ad regem, petivit dicens : Volo ut protinùs des mihi in disco caput Joannis-Baptistæ. 26. Et contristatus est rex : propter jusjurandum, et propter simul discumbentes noluit eam contristare : 27. Sed misso spiculatore præcepit afferri caput ejus in disco. Et decollavit eum in carcere, 28. et attulit caput ejus in disco : et dedit illud puellæ, et puella dedit matri suæ. 29. Quo audito, discipuli ejus venerunt, et tulerunt corpus ejus : et posuerunt illud in monumento.

LUC. III. 19. Herodes autem Tetrarcha cùm corriperetur ab illo de Herodiade uxore fratris sui, et de omnibus malis, quæ fecit Herodes, 20. adjecit et hoc super omnia, et inclusit Joannem in carcere.

S. AMBROS. *De Virgin. lib. 3. cap. 6. n. 26.* Ab adulteris justus occiditur, et à reis in judicem capitalis sceleris pœna convertitur. Deindè præmium saltatricis mors est Prophetæ. Postremò quod etiam omnes barbari horrere consueverunt, inter epulas atque convivia consummandæ crudelitatis profertur edictum : et à convivio ad carcerem, de carcere ad convivium feralis flagilii circumfertur obsequium. Quanta in uno facinore sunt crimina ?

N. 28. Puella autem admonita à matre sua, poposcit afferri sibi in disco caput Joannis. Quod dicit : *Rex contristatus est ;* (*Marc.* VI. 26.) non pœnitentia Regis, sed confessio iniquitatis est : quam divinæ habet consuetudo sententiæ : ut qui gesserunt impia, ipsi propriâ confessione se damnent. *Sed propter discumbentes*, inquit. Quid indignius quàm ut homicidium fieri juberet, ne discumbentibus displiceret ? *Et propter jus*, inquit, *jurandum.* O religionem novam ! Tolerabiliùs pejerasset. Unde non immeritò Dominus in Evangelio jubet non esse jurandum, ne sit causa perjurii, ne sit necessitas delinquendi. Itaque ne jusjurandum violaretur, percutitur innocens. Quid priùs horrescam nescio. Tolerabiliora perjuria, quàm sacramenta sunt tyrannorum.

N. 29. Rapitur ad pœnam Propheta convivali tempore, convivali præcepto, quo non cuperet vel absolvi : perimitur gladio. caput ejus affertur in disco. (*Marc.* VI. 27.) Hoc crudelitati ferculum debebatur, quo insatiata epulis feritas vesceretur.

N. 30. Intuere, Rex acerbissime, tuo spectacula digna convivio. Porrige dexteram ; ne quid sævitiæ tuæ desit : ut inter digitos tuos rivi defluant sancti cruoris. Et quondam non exsaturari epulis fames, non restingui poculis potuit inauditæ sævitiæ sitis ; bibe sanguinem scaturientibus adhuc venis exsecti capitis profluentem. Cerne oculos in ipsa morte sceleris tui testes, aversantes conspectum deliciarum. Claudantur lumina non tam mortis necessitate, quàm horrore luxuriæ. Os aureum illud exsangue, cujus sententiam ferre non poteras, conticescit, et adhuc times. Lingua tamen, quæ solet etiam post mortem officium servare

viventis, palpitante licèt motu, damnabat incestum. Portatur hoc caput ad Herodiadem : lætatur, exsultat, quasi crimen evaserit, quia judicem trucidavit.

N. 31. Quid dicitis vos, sanctæ feminæ ? Videtis quid docere, quid etiam dedocere filias debeatis ? Saltat, sed adulteræ filia. Quæ verò pudica, quæ casta est, filias suas religionem doceat, non saltationem. Vos autem, graves et prudentes viri, discite detestabilium hominum epulas vitare. Si talia sunt convivia, qualia judicia perfidorum ?

S. Aug. *Serm.* 287. *aliàs de diversis* 40. *In natali Joan. Bapt.* 1. *cap.* 2. *n.* 3. Natus est Joannes, natus est et Christus ; annuntiatus Joannes ab Angelo, annuntiatus est Christus ab Angelo. Utrumque magnum miraculum. Servum præcursorem parit sterilis de sene viro ; Dominum possessorem parit virgo sine viro. Magnus homo Joannes ; sed plùs quàm homo Christus ; quia et homo et Deus. Magnus homo ; sed humiliandus erat homo, ut exaltaretur Deus. Denique quia humiliandus erat homo, audi ipsum hominem : *Non sum dignus corrigiam calceamenti ejus solvere.* (*Joan.* 1. 27.) Si se dignum diceret, quantùm se humiliaret ? Nec hoc se dixit dignum. Omninò prostravit se, et prostravit se sub petra. Lucerna enim erat, et vento superbiæ timebat exstingui.

Serm. 288. *aliàs* 23. *ex Sirmondianis*, *in Nat. S. Joan. Bapt.* 2. *n.* 2. Fuerunt Prophetæ ante Joannem, et multi, et magni, et sancti, digni Deo, Deo pleni, Salvatoris prænuntiatores, veritatis attestatores. Verumtamen de nullo eorum dici potuit, quod dictum est de Joanne, * *In natis mulierum nemo exsurrexit major Joanne Baptista.* (*Matth.* xi. 11.) Quid ergo sibi vult ista magnitudo præmissa ante magnum ? Ad testimonium magnæ humilitatis. Tam enim magnus erat, ut Christus posset putari. Posset Joannes abuti errore hominum, et non laborare persuadere se esse Christum, quia hoc jam illi, qui eum audiebant et videbant, illo non dicente putaverant. Non erat ei opus seminare errorem, sed confirmare. At ille sponsi amicus humilis, sponso zelans, non se pro sponso adulterum supponens, perhibet testimonium amico suo, et eum qui verè sponsus erat, sponsæ commendat : ut ametur in illo, odit se amari pro illo. *Qui habet*, inquit, *sponsam, sponsus est.* (*Joan.* iii. 29.) Et quasi diceres, Quid tu ? *Amicus autem*, inquit, *sponsi stat, et audit eam, et gaudio gaudet propter vocem sponsi.* (*Id. Ibid.*) *Stat*, *et audit :* discipulus audit magistrum : quia audit, stat ; quia si non audit, cadit. Hinc magnitudo Joannis maximè commendatur ; quia cùm posset putari Christus, maluit Christo testimonium perhibere, illum commendare, se humiliare, quàm pro ipso accipi, et à se decipi. Meritò dictus est ampliùs quàm Propheta... Ad ipsum flumen, undè cœpit dominari Christus, vidit Joannes Christum, cognovit, testimonium perhibuit. Magno se humiliavit, ut à magno exaltaretur humilis. Et se amicum sponsi dixit : et qualem amicum ? Fortassis æqualem ? Absit : longè infrà. Quantùm longè ? *Non sum dignus*, ait, *corrigiam calceamenti ejus solvere.* (*Joan.* i. 27.)

Serm. 290. *aliàs* 44. *inter Homilias* 50. *in Nativ. S. Joan. Bapt.* 4. *cap.* 3. *n.* 3. Breviter ergo commendo charitati vestræ magnum sacramentum. Quoniam multi futuri erant, qui putarent Christum non esse nisi hominem, nihil esse ampliùs quàm hominem : ideò magnus homo, quo major in hominibus non fuit, perhibuit ei testimonium Joannes, subditus, inclinatus, humiliatus. In quantum se humilem reddidisset, si solvere corrigiam calceamenti ejus, dignum se esse dixisset ? Attendite in magno sacramento corrigiam calceamenti. Quantùm humilis exstitisset, etsi se Joannes dixisset dignum. Quid fecit, dicendo se indignum ? Propterea notatus est dies nativitatis ejus, et celebrationi Ecclesiæ commendatus.

Serm. 291. *aliàs* 4. *ex Vignerianis*, *in Nat. S. Joan. Bapt.* 5. *n.* 1. Hodie accipimus sanctum Joannem Domini præcursorem, sterilis filium nuntiantem virginis filium, sed tamen servum nuntiantem Dominum. Quia enim venturus erat per virginem Deus homo, præcessit eum de sterili mirabilis homo : ut cùm se indignum dicit, cujus calceamenti corrigiam solvat mirabilis homo, agnoscatur Deus homo. Mirare Joannem, quantùm potes : Christo proficit quod miraris. Proficit, inquam, Christo, non quia tu præstas aliquid Christo, sed ut tu proficias in Christo. Mirare ergo Joannem, quantùm potes. Audisti quod mireris. Annun-

tiatur per Angelum patri Sacerdoti : vocem aufert Angelus patri non credenti ; remanet mutus, in filii nativitate exspectans linguam. (*Luc.* I. 20.) Concepit sterilis, concepit et anus : gemina infœcunditas, sterilitas et ætas. Dicitur ab Angelo qualis futurus sit : impletur in eo quod dicitur ; et quod maximè mirandum est, impletur Spiritu sancto adhuc ex utero matris suæ. Deindè veniente Mariâ sanctâ, exsultat in utero ; et quem non poterat vocibus, salutat motibus. (*Ibid.* 41.) Nascitur, dat patri vocem : pater loquens dat filio nomen : (*Ibid.* 64.) mirantur omnes tantam gratiam. Quid enim aliud quàm gratia ? Ubi enim Joannes iste promeruit Deum ? Ubi promeruit Deum, antequam esset qui promereretur ? O gratia gratis data !

N. 2. Mirantur omnes, obstupescunt, et in motu cordis sui dicunt, ut scriberetur nobis quod legeretur : *Quis, putas, erit puer iste ? Nam manus Domini cum illo.* (*Ibid.* 66.)

S. Bernard. *In Nativitate S. Joann. Baptist. Serm.* 1. *n.* 3. Audite ergo, Fratres, quid de Joanne loquatur, cujus solemnis hodie Nativitas celebratur. *Ille*, inquit, *erat lucerna ardens et lucens.* (*Joan.* v. 35.) Magnum testimonium, Fratres mei ! Magnus enim est cui perhibetur, sed major est ipse qui perhibet : *Ille*, inquit, *erat lucerna ardens, et lucens.* Est enim tantùm lucere vanum, tantùm ardere parum : ardere et lucere perfectum... Mutuatum siquidem lumen nunquam in eodem permanet statu, sed crescit, deficit, extenuatur, annihilatur, et penitùs non comparet. Sic qui conscientias suas in alienis labiis posuerunt, modò magni, modò parvi sunt, modò nulli, secundùm quòd adulantium linguis vel vituperare placuerit vel laudare. At verò solis splendor igneus est, et cùm fervet acriùs, etiam oculis lucidior exhibetur. Sic sapientis ardor internus foris lucet : et si non ei datur utrumque, curat semper ardere magis, ut Pater suus qui videt in abscondito, reddat ei. Væ nobis, Fratres, si luxerimus tantùm. Nam lucemus quidem et magnificamur ab hominibus : sed mihi pro minimo est, ut ab humano judicer die. Qui enim judicat me, Dominus est, qui fervorem ab omnibus exigit, splendorem verò non ita. *Ignem*, inquit, *veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur ?* (*Luc.* XII. 49.) Hoc nempe commune mandatum : hoc est quod exigitur ab universis, nec ulla, si deesse contigerit, admittitur excusatio.

N. 4. Cæterum singulariter Apostolis et Apostolicis viris dicitur : *Luceat lux vestra coram hominibus* (*Matth.* v. 16.), nimirùm tanquam accensis, et vehementer accensis, et quibus non timeatur à flatu quolibet aut impulsione ventorum. Dictum est et Joanni, sed illi in aure audiunt : Joannes in spiritu tanquam Angelus eruditur.

N. 5. *Ille erat*, inquit, *lucerna ardens et lucens.* (*Joan.* v. 35.) Non ait, lucens et ardens : quia Joannis ex fervore splendor, non fervor prodiit ex splendore. Sunt enim qui non eò lucent, quia fervent : sed magis fervent ut luceant. At isti planè non fervent charitatis spiritu, sed studio vanitatis. Vullis nosse quemadmodum arsit Joannes et luxit ? Ego utrumque in eo triplicem posse arbitror inveniri, et *ardorem scilicet et splendorem.* Ardens enim erat in seipso vehementi austeritate conversationis : erga Christum intimo quodam et pleno fervore devotionis : erga peccantes proximos constantiâ liberæ increpationis. Luxit nihilominùs, ut paucis dixerim, exemplo, digito, verbo : et seipsum ostendens ad imitationem et luminare majus quod latebat, ad peccatorum remissionem, et ipsas quoque tenebras nostras illuminans, sicut scriptum est : *Quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine : Deus meus illumina tenebras meas* (*Ps.* XVII. 29.), utique ad correptionem.

N. 6. Considera igitur hominem Angelico promissum oraculo, conceptum miraculo, sanctificatum in utero, et novum in novo homine pœnitentiæ mirare fervorem. * *Victum et vestitum*, ait Apostolus, *habentes, his contenti simus.* (1. *Tim.* VI. 8.) Apostolica perfectio ista est, sed Joannes etiam hæc contempsit. Denique audi Dominum in Evangelio : *Venit*, inquit, *Joannes Baptista non manducans, nec bibens* (*Matth.* XI. 18.), planè nec vestiens. Sicut enim non est locusta cibus, nisi aliquorum fortè irrationabilium animalium, sic nec pilus cameli humanum est indumentum.... Joannes sanctus homo missus à Deo, imò Angelus Dei, sicut ait Pater : * *Ecce mitto Angelum meum ante te.* (*Luc.* VII. 27.) Hic

ergo Joannes, quo nullus major in natis mulierum, innocentissimum illud corpus sic castigat, sic extenuat, sic affligit : vos indui festinatis bysso et purpurâ, et splendidè epulari ? Heu ! hic est præsentis totus honor diei, hæc Baptistæ reverentia tota : hæc nativitatis ejus prophetata quondam lætitia est. Cujus enim memoriam agitis, o nimis delicati cultores ? Cujus celebratis natalem ? Nonne illius qui in eremo fuit hirsutus veste, confectus inedià ? Quid existis in desertum videre filii Babylonis ? arundinem vento agitatam ? Quid igitur ? Hominem mollibus vestitum ? (*Ibid.* 24. *et* 25.) Nutritum mollibus ? In his nempè tota versatur hæc vestra celebritas : in popularis favoris aura sectanda, in gloria vestium, et voluptate ciborum. Sed quid hæc ad Joannem ? Neque enim Joannes fecit sic, aut talibus unquam potuit delectari.

N. 8. Gaudebat ad vocem sponsi tanquam amicus sponsi. (*Joan.* III. 29.) Nobis in utroque gaudendum est ; in altero quidem ei, nobis in altero congaudendum. Ardebat enim sibi, nobis autem lucebat. Gaudeamus in fervore ejus ad imitationem, gaudeamus et in lumine, non tamen ibi manentes, sed ut in lumine ejus videamus lumen, lumen utique verum, quod non est ipse, sed cui testimonium perhibet ipse. (*Joan.* I. 7.) *Venit Joannes*, ait Dominus, *nec manducans nec bibens.* (*Matth.* XI. 18.) Incentivum fervoris id mihi est et materia humilitatis. Quis enim in nobis est, Fratres, qui Joannis pœnitentiam intuens, suam non dico magnificare, sed alicujus saltem momenti reputare præsumat ? Quis audeat murmurare in laboribus suis, et dicere : Satis est quod patior, nedum nimis ? Quæ enim homicidia, quæ sacrilegia, aut quæ flagitia sic puniebat Joannes in seipso ? Accendamur ad pœnitentiam, Fratres, interrogemus conscientias nostras, et animemur ad ultionem exigendam de nobis, ut horrendum possimus evadere judicium Dei viventis.

N. 9. Ex hoc sanè et erga proximorum delicta fervorem intuere Joannis. Hic nempe dignus est et rationi consentaneus ordo, ut incipiendum tibi memineris à te ipso. *Ab occultis*, inquit, *meis munda me : et ab alienis parce servo tuo.* (*Ps.* XVIII. 13. *et* 14.) *Genimina viperarum*, ait Joannes, *quis ostendit vobis fugere à ventura ira ?* (*Luc.* III. 7.) De quanto mentis fervore procedere putas scintillas istas, imò carbones desolatorios ? Sic neque Pharisæis parcens : *Nolite*, inquit, *dicere quia patrem habemus Abraham : potens est enim Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* (*Ibid.* 8.) Sed minùs hoc videatur ; si vel ipsum veretur potentis vultum, et non totâ libertate spiritûs arguit peccantem regem, crudelem atque superbum ; sacrâ quadam vehementiâ ad hoc ipsum prodiens de deserto, si vel blanditiis ejus, vel ipso mortis terrore movetur ; *Metuebat*, inquit, *Herodes Joannem, et audito eo multa faciebat, et libenter eum audiebat.* (*Marc.* VI. 20.) At ille nihil ob hoc parcens : *Non licet*, ait, *tibi habere eam.* (*Ibid.* 18.) Ligatus quoque, et in carcerem trusus, nihilominùs fortiter stetit in veritate et occubuit pro veritate feliciter. Ferveat etiam in nobis zelus iste, charissimi. Ferveat amor justitiæ, odium iniquitatis. Nemo, Fratres, vitia palpet, peccata dissimulet nemo. Nemo dicat : *Nunquid custos fratris mei sum ego ?* (*Genes.* IV. 9.) Nemo, quod in se est, æquanimiter ferat, cùm viderit ordinem deperire, minui disciplinam. Est enim consentire, silere, cùm arguere possis : et scimus quia similis pœna facientes maneat et consentientes.

N. 10. Jam verò super humili et omninò ferventissima devotione Joannis erga Dominum quid loquemur ? Indè enim exsultavit in utero : (*Luc.* I. 41.) indè expavit in Jordane baptizaturus eum (*Matth.* III. 14.) : indè non modò Christum, qui putabatur, sed vel ipsam corrigiam calceamenti ejus solvere dignum se esse negabat (*Luc.* III. 16.) ; indè gaudebat amicus sponsi ad vocem sponsi (*Joan* III. 29.) ; indè gratiam se accepisse pro gratia fatebatur : (*Id.* I. 16.) illum autem non ad mensuram habere Spiritum, (*Id.* III. 34.) sed plenitudinem de qua omnes acciperent, clamitabat. *Nonne Deo subjecta erit anima mea ?* (*Ps.* LXI. 2.) Alioquin non ero lucerna ardens, nisi toto corde, totâ mente, et ex omnibus viribus meis diligam Dominum Deum meum. (*Deut.* VI. 5.) Sola enim est charitas quæ accendit ad salutem : sola quam infundit et inflammat Spiritus, quam exstinguere prohibemur.

I. Quid imitari potissimùm debemus in Joanne ?

R. Fugam mundi, solitudinis amorem, vitæ innocentiam, simul et carnis mortificationem. Humilitatem, charitatem Christi notitiam et cultum et dilectionem. quantùm in nobis est, ubique diffundamus. Invictam denique in lege Dei servandà constantiam, ita ut ab injuncto officio vel ministerio non imbecillitas animi, non Magnatum obsequium, non ipsius vitæ periculum imminens deterreat.

§. 22. De Festis Sanctorum Apostolorum, Evangelistarum, Martyrum, Episcoporum, Confessorum, Sanctarumque vel Virginum, vel Viduarum, vel Nuptarum, vel Pœnitentium.

I. Quinam sunt ii quos Apostolos dicimus ?

R. Qui à Christo delecti sunt et missi per totum orbem ad disseminandum Evangelium, et homines vocandos ad Christum. (A)

I. Quinam Evangelistæ ?

R. Qui Christum vitam scripsêre, quod Evangelium dicimus.

I. Quid agendum ex mente Ecclesiæ in Festis Apostolorum et Evangelistarum ?

R. 1. Gratias agendæ Deo, et Christo, qui nos per Apos-

S. Joan. Chrysost. *in saltat. Herodiad. etc. pag.* 380. Quam verò ob causam prophetam occidit ? Quoniam præco veritatis erat, et injustam ejus actionem impedire suâ reprehensione contendebat, et quem ut Regem oportebat mandatorum Dei esse custodem, ipse indomitâ voluptatum petulantiâ leges violabat. Rex quippe ille est qui justas fert leges, primusque ipse agit, non eas transgreditur. Quomodo enim alioquin sibi subditas gentes recto ordine componet, nisi justis legibus quasi frænis pervicax et insolens genus hominum regat ? Herodes autem Rex non populorum, sed voluptatum, vel potiùs servus earumdem, *nam à quo quis superatus est, hujus et servus est* (2. *Petr.* II. 19.), non modò leges Dei transgressus est, sed et cædem inique perpetravit. Quem verò occidit ? Virum justum, quo *major inter natos mulierum non surrexit* (*Matth.* XI. 11.), quod et Dominus ipse testatus est : virum qui desertum inhabitabile, inaquosum, infrugiferum, inaccessum, sine arboribus, sine graminibus, sine herbis habitabat. Joannes... neque panem habebat, neque vinum, non mensam, non lectum voluptatum administrum, non suffultas molli anserum plumâ culcitras.... Cùm extra mundum esset, nullâ re mundi indigebat. Habitabat porrò non in ædibus, quarum inaurata essent laquearia, sed sub petra seipsum contegente. Huic et mensa, et scamnum, et cubile erat pavimentum, carnes erant locustæ ; placenta, mel sylvestre : huic phiala erat vola manûs, et vinum delicatum quæ manabat à saxo aqua limpidissima. Hunc tenuit Herodes... Et posuit in carcerem propter Herodiadem uxorem Philippi fratris sui. O rem prodigiosam! Joannes vinctam ejus animam peccati catenâ reprehensione suâ solvere conabatur, ille autem solventem vinciebat. Veruntamen licet vinciretur Joannes, loquebatur, et in carcerem conjectus, reprehendebat : implebat enim quod scriptum est, *Et loquebar in conspectu regum, et non confundebar.* (*Psal.* CXVIII. 46.) Neque enim mortem reformidabat Joannes, sed veritatem non eloqui reformidabat. Hunc verò dum occidit, non unam modò cædem perpetravit, sed et plures : qui enim eum qui animas docet, ac de iis benè mereri non cessat, occidit, non unum occidit, sed totidem quotquot ille vivens vivificare poterat sermone.

(A) Marc. XVI. 15. Et dixit eis : (*Apostolis Jesus*) Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ.... 20. Illi autem profecti prædicaverunt ubique Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis.

tolos suos à tenebris vocaverit ad admirabile lumen suum.

2. Orandum ut quam accepimus ab Apostolis fidem, hanc inviolatam custodiamus.

3. Postulandi Pastores qui animum habeant verè Apostolicum.

4. Per Apostolorum intercessionem orandus Christus ut ipse Ecclesiam, *gregem suum*, *Pastor æternus non deserat; sed per beatos Apostolos suos continuâ protectione custodiat*: *ut iisdem rectoribus gubernetur*, *quos operis sui vicarios Pastores eidem esse contulit*, ut canit Ecclesia in Festis Apostolorum. (*In Præfat. Apost.*) (B)

(B) S. Aug. *Serm.* 295. *in Natali Apost. Petri et Pauli* 1. *aliàs de diversis* 108. *cap.* 8. *n.* 8. Celebramus diem festum, Apostolorum nobis sanguine consecratum. Amemus fidem, vitam, labores, passiones, confessiones, prædicationes. Proficimus enim amando; non ista propter carnalem lætitiam celebrando.

S. Leo *Serm.* 80. *in Natali Apostolor. Petri et Pauli*, *c.* 1. Omnium quidem sanctarum solemnitatum, dilectissimi, totus mundus est particeps, et unius fidei pietas exigit, ut quiquid pro salute universorum gestum recolitur, communibus ubique gaudiis celebretur. Verumtamen hodierna festivitas præter illam reverentiam, quam toto terrarum orbe promeruit, speciali et propriâ nostræ urbis exsultatione veneranda est: ut ubi præcipuorum Apostolorum glorificatus est exitus, ibi in die martyrii eorum, sit lætitiæ principatus. Isti enim sunt viri, per quos tibi Evangelium Christi Roma resplenduit, et quæ eras magistra erroris, facta es discipula veritatis. Isti sunt Patres tui, verique Pastores, qui te regnis cœlestibus inserendam multò meliùs, multòque feliciùs condiderunt, quàm illi quorum studio prima mœnium tuorum fundamenta locata sunt.... Isti sunt qui te ad hanc gloriam provexerunt, ut gens sancta, populus electus, civitas Sacerdotalis et regia, per sacram beati Petri Sedem caput orbis effecta, latiùs præsideres Religione divinâ, quàm dominatione terrenâ.

Cap. 3. Nam cùm duodecim Apostoli, acceptâ per Spiritum sanctum omnium locutione linguarum, imbuendum Evangelio mundum distributis sibi terrarum partibus suscepissent: beatissimus Petrus Princeps Apostolici ordinis, ad arcem Romani destinatur imperii: ut lux veritatis, quæ in omnium gentium revelabatur salutem, efficaciùs se ab ipso capite per totum mundi corpus effunderet.

Cap. 4. Nec mundi dominam times Romam, qui in Caïphæ domo expaveras Sacerdotis ancillam. (*Matth.* xxvi. 69.) Nunquid aut judicio Pilati, aut sævitiâ Judæorum minor erat, vel in Claudio potestas, vel in Nerone crudelitas? Vincebat ergo materiam formidinis vis amoris: nec æstimabas terrori cedendum, dum horum saluti consulis, quos susceperas diligendos. Hunc autem intrepidæ charitatis affectum jam tunc profectò conceperas, quando professio tui amoris in Dominum trinæ interrogationis est solidata mysterio. Nec aliud ab hâc mentis tuæ intentione quæsitum est, quàm ut pascendis ejus, quem diligeres ovibus, cibum quo ipse eras opimatus, impenderes.

Cap. 5. Augebant quoque fiduciam tuam tot signa miraculorum, tot dona charismatum, atque experimenta virtutum. Jam populos, qui ex circumcisione crediderant, erudieras. Jam Antiochenam Ecclesiam, ubi primùm Christiani nominis dignitas est orta, fundaveras. Jam Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam, atque Bithyniam legibus Evangelicæ prædicationis impleveras: nec aut dubius de provectu operis, aut de spatio tuæ ignarus ætatis, trophæum Crucis Christi Romanis arcibus inferebas, quo te divinis præordinationibus anteibant et honor potestatis, et gloria passionis.

Serm. 81. *in Octava Apost. Petri et Pauli*, *cap.* 1. Pudet dicere, sed necesse est non tacere: plus impenditur dæmoniis, quàm Apostolis, et ma-

jorem obtinent frequentiam insana spectacula, quàm beata martyria. Quis hanc urbem reformavit saluti? Quis à captivitate eruit? Quis à cæde defendit? Ludus Circensium, an cura Sanctorum? Quorum utique precibus divinæ censuræ flexa sententia est, ut qui merebamur iram, servaremur ad veniam.

Cap. 2. *vide suprà* §. 3. *Cap.* 2. *Sect.* 3. *hujusce Part. litt.* (Y)

S. BERNARD. *Serm.* 1. *in festo SS. Apost. Petri et Pauli, n.* 1. Gloriosa nobis solemnitas illuxit, quam præclari Martyres, Martyrum duces, Apostolorum principes morte clarissimâ consecrarunt. Isti sunt Petrus et Paulus, duo magna luminaria, quos Deus in corpore Ecclesiæ suæ constituit, quasi geminum lumen oculorum. Hi mihi traditi sunt in magistros et in mediatores, quibus securè me committere possim: quia et notas mihi fecerunt vias vitæ, et mediantibus illis ad illum Mediatorem ascendere potero, qui * *venit pacificare per suum sanguinem et quæ in cœlis, et quæ in terris sunt.* (*Coloss.* 1. 20.)

N. 2. Tales decebat humano generi Pastores et Doctores constitui, qui et dulces essent et potentes, et nihilominùs sapientes. Dulces, ut me blandè et misericorditer susciperent; potentes, ut fortiter protegerent; sapientes, ut ad viam, et per viam ducerent quæ ducit ad civitatem.

N. 3. Hi sunt magistri nostri, qui à magistro omnium vias vitæ pleniùs didicerunt, et docent nos usque ad hodiernum diem.

N. 6. Studeamus, Fratres, vivere vitâ justorum, sed morte eorum mori multò magis desideremus.

Serm. 3. *in festo SS. Apost. Petri et Pauli, n.* 1. Meritò, Fratres, Apostolis sanctis attribuit mater Ecclesia, quod in Sapientiæ libris legitur: * *Hi sunt viri misericordiæ, quorum justitiæ oblivionem non acceperunt: cum semine eorum permanent bona.* (*Eccli.* XLIV. 10. *et* 11.)

N. 5. Potes... in hoc verbo etiam illud non inconvenienter accipere, *viros misericordiæ* fuisse Apostolos, id est, plenos misericordia; seu viros misericordiæ, id est, misericorditer datos Ecclesiæ universæ. Scimus enim quòd viri isti nec sibi vixêre, nec sibi mortui sunt, sed ei qui pro ipsis mortuus est: magis autem nobis omnibus propter illum. Quantùm enim proderit nobis eorum justitia, quando ipsa quoque, sicut ostensum est, tantùm profuere peccata? Pro nobis facit eorum vita, eorum doctrina, etiam et mors ipsa: etenim in conversione continentiam, in prædicatione sapientiam, in passione sua patientiam nobis beati Apostoli contulerunt. Quartum usque hodie conferre non cessant misericordiâ pleni, quod est sanctarum fructus orationum. Quamvis et in ipsa eorum vita adhuc invenias quod annumeres, fiduciam scilicet quam nobis miraculorum exhibitione præbuerunt. Et quis enumeret quàm multa nobis per eos beneficia provenerunt? Benè ergo de eis Scriptura loquitur: Quoniam *hi sunt viri misericordiæ.*

N. 6. *Cum semine eorum permanent bona.* Manent enim usque hodie in nobis Apostolorum vestigia: et eorum religio, quia ex Deo est, non potest dissolvi... *Hæreditas sancta nepotes eorum.* (*Eccli.* XLIV. 12.) Idem profectò et semen sunt, et nepotes... Ergo per Evangelium ipsi nos genuerunt: non tamen sibi, sed Christo, quia per Evangelium Christi. Hinc est quòd molestè tulit Paulus quosdam eorum dici, à quibus geniti fuerant per Evangelium, indignans adversùs eos qui dicebant: *Ego sum Pauli*; *ego sum Cephæ: ego Apollo;* (1. *Cor.* I. 12.) Christi magis omnes et fieri volens et dici. Itaque semen Apostolorum sumus per prædicationem: sed per adoptionem et hæreditatem semen Christi, et Apostolorum nepotes.

S. JOAN. CHRYSOST. *de S. Joanne Apostolo, hom.* 67. *pag.* 670. Intuere mihi unum hominem Ephesi sedentem, et mundum universum docentem; considera quàm multæ in Oriente civitates, quàm multæ regiones, quàm multæ rursùs ad solis occasum, et magnam Romam similiter, et ad latera partesque australes, et regionem Cappadocum, et quæ interjecta sunt omnia, insulas, deserta, et fines terræ: cogita rursùs Ecclesiarum multitudines, clerum, et turbas populi, cùm virorum tum mulierum, si fortè dinumerare istos possis... Et hi omnes discipuli sunt Joannis... Piscatores piscium, mox hominum piscatores... Qui suis successoribus sagenas et retia tradiderunt, et potestatem quam acceperunt

ab eo, qui potestatem habet omnem in cœlo et in terra.... His igitur in potestate et principatu et zelo succedunt, ut antè dictum est, venerandi Doctores, sacrorum Antistites, et Christi gregis Pastores, vestigiis Apostolos consequentes, generosi Trinitatis propugnatores, qui prætermisso legis statu et vivifico Spiritu accepto, ad modum aratri sulcant, profundè excavant, et scrutantes, sensumque Scripturæ sacræ omnibus apertè declarant, qui fidem illustrant, et prava dogmata exterminant, qui rectæ doctrinæ defensores sacris dogmatibus firmant, et doctrinâ minimè sanâ infectos jaculis divinis confodiunt, qui cùm vinum compunctionis mixtum invenissent, silentem gregem potarunt, et assumptâ tibiâ pastorali divinis cantibus eum oblectarunt : ministri et custodes, et operarii vineæ, sacrorum dogmatum prædicatores, et gladii adversùs hæreticos, qui positi sunt à Spiritu sancto Episcopi, ut ait sanctus Paulus, Pascere Ecclesiam Dei : (*Act.* XX. 28.) qui ingruentes tribulationes non refugerunt, qui promissam coronam vitæ reportarunt, qui juveniles cupiditates evitarunt, et beatam spem hæreditate possederunt : magni Regis militiæ principes, Dei verbo divites, et spiritu pauperes, imitatores Apostolorum, et formæ fidelium, civitatum rectores, et orbis terrarum præcones, qui animas suas pro grege posuerunt, et pro fide sanguinem suum fuderunt.

Homil. 30. *in SS. Petrum et Paulum*, *pag.* 315. Certare inter se cœlum terramque conspicio, de solemni Apostolorum memoria celebranda... Et in orbe terrarum, homines dignam, Apostolorum principes exornando, laudationem proferre totis nervis ac viribus conantur, ut qui per eos salutem adepti sint.... Neque enim dignam orationem invenio, quâ laudes eas compensem, quibus hi genus nostrum tantopere honestarunt, qui terram omnem et mare collustrarunt, scelerum radices evulserunt, pietatisque semina infidelium cordibus injecerunt.... Qui sanctâ prædicatione vestrâ totum orbem terrarum illuminastis .... totumque terrarum orbem sceleribus devinctum, vestris salutaribus Epistolis solvistis. Vos dæmonum phalangas præcipites egistis. Vos ubique terrarum Spiritûs sancti munera diffudistis. Vos erroris caliginem telluri compressistis. Vos dæmonum audaciam depressistis; altaria Gentilium vos diruistis, vos falsum omnem cultum in cinerem redegistis : vos sejunctas à frumento zizaniorum sordes ejecistis : et Ecclesiæ fruges quotidiana vestra doctrina puras reddidit. Quânam igitur gratiarum actione, tot tantosque labores compensabimus, quos nostri causâ pertulistis.... Omne itaque studium, charissimi, adhibeamus, precantes omnium Regem Christum Deum nostrum, ut nos pro suo in humanum genus amore dignos reddat, qui possimus illorum traditionibus atque doctrinis feliciter insistere, ut consequamur misericordiam coram Tribunali ipsius.

Homil. 31. *in SS. duod. Apost.* O felicem illam et præclaram, Apostoli, vestram et morum et animorum cum omni hominum genere conjunctionem, quâ omnibus omnia facti estis gratiâ, non arundine, sed sermone hominum greges sapienter expiscati. Vos enim rectæ fidei immobiles estis columnæ, Ecclesiæ petra, regni petra, sceptrum, et hujus maximè gregis vigiles præfecti, infirmitatis humanæ gratis medici, nostræque versùs Deum pœnitentiæ, compatientes fidei jussores. Tanquam enim incudes quædam animatæ, dum feriremini, qui vos feriebant, eos ad intelligentiam fabrefecistis. Petrus hinc Romam erudit. Paulus inde mundo Evangelium annuntiat. Andreas Græciæ sapientes corrigit. Simon Deum docet Barbaros. Thoma baptismate Æthiopas dealbat. Jacobi cathedram Judæa honorat. Marci thronum Alexandria ad Nilum complectitur. Lucas et Matthæus conscribunt Evangelia. Joannes autem divina tractans mysteria, etiam post mortem languam vivus Ephesum curat. Bartholomæus Lycaonas ad temperantiam instituit. Philippus miraculis conservat Hierapolim. Omnes ubique omnibus beneficia conferre non desistunt.... Ad quos ipse Dominus prophetice loquitur : *Circumdate* hanc novam *Sion*, *et complectimini eam* (*Ps.* XLVII. 11.), hoc est, conservate, muris cingite, precibus munite, ut quando in tempore iratus fuero, universamque mundi machinam concussero, consideratis immortale vestrum sepulcrum, quæque mei causâ gentilis æquo animo stigmata, iram misericordiâ vincam : quâ quidem ductus, en præmaturè vestram

I. **Quid agendum in Festis Sanctorum Martyrum ?**

R. 1. **Pro invicta Martyrum constantia, eorumque victoriis et triumphis agendæ gratiæ Deo.**

2. **Orandus Deus ut det nobis ipse misericors eamdem in fide et religione constantiam : paremque de hostibus spiritualibus triumphum.** (C)

admitto supplicationem. Sacerdotium enim et Regnum cùm videro lacrymas fundere, quasi dolorum consors, statim ad commiserationem flectar, meæque illius vocis recordabor ; Protegam civitatem hanc propter David servum meum, et Aaron sanctum meum. (*Isai.* XXXVII. 35.)

Homil. 32. *in S. Thom. Apost.* Omnes gentes festum hodie celebrant, ejusque dictum Domino tanquam donum offerunt, *Dominus meus, et Deus meus* (*Joan.* XX. 28.) : Consanguineus meus, et Creator meus : Redemptor meus, et Rex meus. Hæc enim docuit Thomas ; hanc nobis tanquam filiis hæreditatem reliquit : tanquam thesaurum hunc sermonem natura retinet : universum genus hoc dicto firmatur : hoc verbum ad Angelos usque protenditur : Angeli tanquam anchoram confessionem hanc tenent : omnis creatura doctrinam hanc velut diadema circumfert. Solus Arius hac oratione privatur... Ari, quid mihi blandiris ? quid oleo caput meum impingnas ? cur diem meum festum celebras, ô nefarie... Ne me honores, qui conditorem probro afficis : non suscipio honorem ignominiam parientem. Si Dominum probris oneras, quomodo servum colES ? Si meam fidem non tenes, quomodo memoriam festo celebrabis ? Si mecum non sentis, quomodo sepulcro meo communicas.

Porrò omnium olim Apostolorum festivitas celebrabatur die primo Maii, teste auctore MICROLOG. *de Eccles. Observ. c.* 55. *tom.* 10. *vel* 18. BIBLIOTHECÆ PATRUM. Sciendum autem quòd antiqui de Sanctis communiter in Paschalibus cantare solebant, undè et adhuc de uno quæ ad plures pertinent cantatur *Alleluia, Gaudete, etc.* et Offertorium *Confitebuntur, etc.* et Responsorium *In servis suis, etc.* et hoc ideò, quia universali resurrectione, cujus typus eo tempore agitur, communis est lætitia et festivitas justorum. Ideò etiam invenitur in Martyrologiis, sive in Sacramentariis, festivitas sanctorum Jacobi et Philippi, et omnium Apostolorum.

(C) S. GREGOR. NAZ. *Orat.* 18. *in S. Cypr. paulò post initium.* Cùm multa nos ad melioris vitæ studium ducant, atque ad virtutem erudiant, ratio, lex, Prophetæ, Apostoli, ipsique adeò Christi, primi Martyris, cruciatus, qui crucem conscendit, meque secum duxit, ut peccatum meum affligeret, et de serpente triumpharet, et sanctitatem ligno afferret, et voluptatem vinceret, et Adamum salute afficeret, ac prolapsam imaginem erigeret atque instauraret ; cùm tot, inquam, tantaque habeamus, non minùs tamen ad vitam rectè instituendam nobis utilitatis afferunt Martyres.

Versùs finem. His majora offerre, qualiaque eos offerre par est, qui eum verè ac sincerè colunt, corporis scilicet macerationem, animæ ascensionem, vitii fugam, virtutis incrementum.

Orat. 22. *de Macchabæis.* Macchabæi non idcircò contemnendi sunt, quia ante crucem exstiterunt : verùm quia ad crucis normam vitæ suæ rationes exegerunt, ideò laudandi, ac verborum honore celebrandi, non ut ipsorum gloriæ quidquam accedat.... sed ut gloriam consequantur qui eos laudant ; ac virtutem æmulentur, qui audiunt, ejusmodi nimirùm commemoratione quasi stimulis quibusdam, ad earumdem studium excitati.

S. CHRYSOST. *Homil.* 40. *ad popul. Antioch. in Juvent. et Maxim. Mart. pag.* 547. Non aliter priscos, aliter recentiores colitis Sanctos ; sed eadem alacritate, eodem amore, eodem affectu colitis omnes et commendatis. Non enim exploratis tempus, sed exquiritis animi fortitudinem, pietatem, fidem invictam, zelum incitatum ac fervidum, et eas virtutes, quas præ se ferunt Sancti, ob quorum honorem hodie convenimus... Proinde magnâ fide, promptitudineque hùc veniamus,

quò et visis Sanctorum monumentis, et consideratis eorum præmiis, inde varios thesauros undequaque colligamus ; et per præsentem vitam ita, juxta voluntatem Dei, transeamus, ut in portum æternitatis cum multis mercibus ingrediamur, et regno cœlorum perfruamur, gratiâ et benignitate Domini nostri Jesu Christi.

Homil. 41. *ad pop. Antioch. de S. Pelag. Virg. et Mart.* Laudetur, et summis præconiis celebretur Deus, quòd mulieres etiam ipsæ, quin etiam puellæ mortem contemnant, virginesque admodum adolescentes, et nuptiarum expertes, ultrò inferorum stimulos invadant, neque ob id tamen aliquid grave pariantur. Omnia hæc bona per Christum ipsum è Virgine genitum nobis allata sunt ; quandoquidem post beatum partum illum, et ortum maximè admirabilem, mortis vires dissolutæ sunt, et diaboli potentia ita enervata est, ut non à viris solùm, sed ab ipsis etiam mulieribus contemnatur ; neque mulieribus tantùm, sed vel ipsis puellis ludibrio sit... Hanc igitur pro viribus et nos imitemur. Contempsit illa vitam hanc : contemnamus et nos delicias, irrideamus sumptuosos apparatus, abstineamus à crapula et ebrietate, fugiamus voracitatem.

Homil. 42. *ad popul. Antioch. in S. Mart. Ignat.* Nec viri tantùm accingunt se, ne ad naturæ infirmitatem feminæ confugientes probabilem habere videantur excusationem; nec solæ feminæ se fortiter gerunt, ne virorum genus rubore perfundant : sed et hinc, et inde multi publicantur victores, et coronas assequuntur. Ut ex ipsis operibus intelligas, in Christo Jesu neque masculum, neque feminam esse, nec sexum, nec corporis imbecillitatem, neque ætatem, nec aliud quidquam ejusmodi, pietatis cursum conficientibus, impedimentum afferre posse, modò generosa alacritas, et promptus animus, et Dei timor ardens, atque inflammatus, in cordibus nostris radices egerit. Idcircò et virgines puellæ, et viri, et juvenes, et senes, et servi, et liberi, et omnis ordo, atque ætas omnis, et sexus uterque, ad hæc certamina acciguntur, nec ulli omninò suâ frustrantur spe, qui strenuum animi propositum, ad has pugnas attulerint.... Neque enim solis Romæ habitantibus, verùm etiam omnibus in toto illo itineris spatio, civitatibus interjectis admirabilis magister exstitit, præsentem vitam contemnendam docens, et ea, quæ cernuntur, pro nihilo ducenda ; futuram autem diligenda, et oculos in cœlum tollendos, nihilque quod in hac vita possit accidere, quantumvis grave, formidandum. Hæc enim et his plura, re ipsâ factisque comprobans iter faciebat.

Homil. 43. *de S. Romano Mart.* 1. *pag.* 573. Rursùs Martyrum memoria, et rursùs dies festus et celebritas spiritalis. Laborarunt illi, et nos lætamur. Decertarunt illi, et nos exsultamus. Illorum est corona et communis gloria : illorum sunt præmia et certamina, et totius Ecclesiæ gloria, decus et gloriatio. Et quomodo, dicet quispiam, posset hoc fieri ? Quòd partes et membra nostra sunt Martyres : * *sive autem patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra : sive glorificatur unum membrum, cum eo lætantur membra omnia.* (1. *Cor.* XII. 26.) Caput coronatur, reliquum corpus exsultat. Fit unus victor in ludis Olympicis, et totus gaudet populus, magnisque cum laudibus eum excipit. Si autem in Olympicis certaminibus, qui nihil ad illos sudores contulerunt, tantâ fruuntur voluptate : multò magis hoc fiet in athletis pietatis. Nos pedes sumus, Martyres autem caput. Sed * *non potest caput dicere pedibus, vestri non egeo.* (*Ibid.* 21.) Gloriosa sunt membra, sed gloriæ excellentia non facit alienationem à conjunctione, quæ est cum reliquis partibus. Tunc enim fiunt maximè gloriosa, quando eam, quæ nobiscum est, conjunctionem, non abruperint. Nam oculus quoque, licèt reliquo toto corpore sit splendidior, suam tunc gloriam conservat, quando à reliquo corpore non abscinditur. Et quid de Martyribus dico ? Si enim Dominus ipsorum nostro caput fieri non erubuit, multò magis ipsi esse nostra membra non erubescunt. Habent enim radicatam charitatem : solet autem charitas ea, quæ sunt disjuncta conjungere, et colligare, neque de dignitate admodùm accuratè inquirit. Quomodo ergo ipsi peccantibus nobis dolore simul afficiuntur, ita nos etiam simul cum eis in rectè factis lætamur.... Cùm Dei quidem didicerimus benignitatem, Domino gratias agemus : Martyris autem cognitâ patientiâ, conservum

imitabimur.... Pro his omnibus Martyri gratulemur : Deum glorificemus, qui hæc facit miracula : imitemur conservi patientiam ; gratias agamus Domino pro gratia : ex iis quæ dicta sunt, sufficientem in tentationibus consolationem accipiamus : et Dei qui nos fecit, potentiam et curam admirantes ac providentiam, omnia ex nobis afferamus, et quæ ex eo sunt, omninò consequentur, sive homines, sive dæmones, sive diabolus adversùm nos depugnet, nihil proficient ii, qui nos oppugnant : modò promptum nostrum animi studium ostendamus, et quæ à nobis afferri oportet, omnia afferamus. Sic enim et hîc Dei auxilium attrahemus, et in vita futura magnâ glorià et salute perfruemur.

Homil. 44. *de SS. Macchabæis, pag.* 588. Quis enim vir, quæ mulier, quis senior, aut quis juvenis, de cætero veniam possit accipere, aut excusationem habere fragilitatis carnis, et timiditatis humanæ, si propter Christum sibi pericula videat inferri : quando mulier senectute confecta, et tot filiorum mater, et ante tempus gratiæ congressa, clausis adhuc mortis januis, necdum in Domini Salvatoris adventu exstincto peccato, neque morte devictâ, tantis animis, et tantâ virtute, tantas propter Deum pœnas sustinuisse cernitur, et vicisse cognoscitur, ut Evangelicam perfectionem in temporibus legis impleverit ? Hæc ergo omnia cogitantes, et mulieres, et viri, et juvenes, et senes, exemplum agonis hujus, tantorumque in filiis, in matre luctaminum, sicut in tabula, ita in corde vestro describite, assiduâ vobiscum exercitatione meditamini, contra omnem spiritualium inimicorum armaturam illius patientiam proponamus ad invictæ virtutis exemplum, ut isthîc æmulauries fortitudinem Sanctorum illorum, similiter illîc eorum coronam possimus adipisci. Quantam illi patientiam in periculis corporalibus ostenderunt, tantam nos in passionibus irrationabilibus continentiam demonstremus : id est contra iram et avaritiam, vel corporum, vel inanis gloriæ, vel aliorum omnium ejusmodi rerum concupiscentiam divino timore muniti, sensibus repugnantes, et consilia diaboli destruentes in nobis. Si enim cupiditatum ignes vicerimus, sicut illi tyrannidis ignem vicerunt, poterimus juxta ipsos et matrem eorum, pari glorià constituti similes haberi.

Homil. 46. *in S. Lucianum Martyrem, pag.* 599. Qui Martyrem recipit in nomine Martyris, mercedem Martyris accipiet. Tum verò quis Martyrem recipit, cùm ad ejus memoriam convenit, cùm ejus certaminum narrationis fit particeps, cùm facta collaudat, cùm virtutes imitatur, cùm apud cæteros præclara illius facinora prædicat. Hæc Martyrum hospitalia sunt dona.... Hæc itaque nos etiam cùm noverimus, pacis tempore bellicis in rebus nos exerceamus, ut cùm belli tempus advenerit, illustre nos quoque trophæum erigamus. Famen contempsit ille : delicias et nos contemnamus, ac ventris tyrannidem evertamus : ut si tempus adveniat, quod tantam fortitudinem à nobis reposcat, in minoribus antea rebus exercitati, præclari in scammate comparemus. Coram Principibus ille ac Regibus audacter locutus est ; hoc nos faciamus nunc quoque : ac si in opulentorum et illustrium Paganorum conventibus consideamus, fidem cum fiducia profiteamur : irrideamus illorum errores. Quòd si res quidem suas magnificè efferre, nostras autem deprimere aggrediantur, ne taceamus, neve leniter feramus : sed ipsorum turpitudinem detegentes, multa cum sapientia fiduciaque res omnes Christianorum laudibus exhibamus : et quemadmodum Imperator in capite diadema, sic et nos ubique confessionem fidei circumferamus. Non enim illum adeò corona, ut nos fides ejusque confessio solet exornare : non verbis tantùm, sed etiam rebus ipsis id agamus, et vitam confessione dignam in omnibus exhibeamus : ne dogmata operum improbitate dedecoremus, sed in omnibus Dominum nostrum glorificantes, cùm hujus seculi, tum illius honore potiamur.

Homil. 47. *ad pop. Antioch. in S. Julianum* 2. *pag.* 612. Neque verò tantùm miracula operatur, sed philosophari etiam suadet : sive enim dives sis, ac superbias, et elato sis animo, cùm huc veneris ac Martyrem intuitus fueris, quantumque sit inter divitias tuas, et hujus opulentiam discrimen, tecum ipse reputaveris, elatos animos subitò deprimes, et

depositò fastu, ac tumore, multa cum animæ sanitate discedes: sive pauper ac despectus tibi esse videaris, cùm hùc veneris et divitias Martyris videris, contemptis et irrisis secularium divitiis, multâ instructus Philosophiâ recedes, etsi contumeliæ, etsi damna, etsi verberainfligantur, cùm te nondum tanta passum esse, quanta sanctus hic Martyr pertulit, videris, magnam hinc capies consolationem. Vides cujusmodi radicum istarum sint fructus? ut eripi nequeant? ut spirituales sint? utadanimam ipsam pertingant?

Homil. 48. *ad popul. Antioch. quæ est de S. Mart. Romano* 2. *Vide suprà* §. 3. *Cap.* 2. *Sect.* 3. *hujusce Partis litt.* (H)

Hom. 49. *quæ est de SS. Macchabæis* 2. *ad popul. Antioch...* Propè ipsam matrem in die illa consistamus Sanctæ precibus freti, ejusque liberorum, et Eleazari,... magni generosique senis, qui adamantinum animum in adversis præ se tulit. Id verò poterimus assequi, si unà cum sanctis illorum precibus, etiam quæ nostrarum sunt partium conferamus, et ante bella, casusque adversos, pacis tempore perturbationes, quæ in nobis sunt vincamus, incompositos carnis insultus compescamus, suggillemus, et in servitutem corpus redigamus. Sic enim fiet, ut sive in pace vitam traducamus, splendidas gymnasiorum coronas obtineamus; sive ut idem certamen obeamus, benigno Deo visum fuerit, in arenam parati descendamus, et cœlestia bona consequamur.

Homil. 50. *ad popul. Antioch. quæ est* 3. *de SS. Macchabæis...* Imitari verò Martyrum fortitudinem studeamus.

Homil. 58. *ad popul. Antioch. de S. Babyla Mart. pag.* 727. Deo gratias agamus, quòd et Martyres nobis ita generosos largitus sit, et Martyribus dignos Pastores ad consummationem sanctorum, in ædificationem corporis Christi. *Cætera vide suprà* §. 3. *Cap.* 2. *Sect.* 3. *hujusce Partis litt.* (H)

Lib. de S. Babyla, contra Gentiles. Exstant etiam nunc cum Babylæ cineribus compedes, Ecclesiarum Præfectos omnes commonefacientes, ut vinciri, ut jugulari, ut quidvis pati oporteat: certè omnia prompto atque alacri animo, ac magna item cum voluptate sustinenda, ut concreditæ nobis libertatis ne levissimam quidem partem prodamus, aut contaminemus. *Cætera vide suprà.*

Homil. 70. *ad popul. Antioch. in SS. Mart. Ægypt.* Oculis nostris ad Sanctos istos conversis, ad generosos atque tolerantes athletas, qui nobis, ut quasi faces præluceant, dati sunt, ad horum tolerantiam atque patientiam vitam nostram componamus, ut eorum precibus, postquam hinc excesserimus, cùm illos videre, tum amplecti possimus, atque in illis cœlestibus tabernaculis collocari.

Homil. 73. *ad popul. Antioch. de S. Martyre Barlaam, pag.* 893. Disce igitur luctationes, ut victorias imiteris: aspernare divitias, ac pecunias, et omnem reliquam seculi pompam. Ne beatos judices eos, qui divites sunt, sed beatos eos judica, qui Martyrium patiuntur: non eos qui in deliciis, sed qui in sartaginibus versantur: non eos qui opiparæ mensæ assident, sed eos, qui in lebete torrentur: non eos, qui diurnis in balneis, sed eos qui in diris sunt fornacibus: non eos qui olent unguenta, sed eos qui fumum ac nidorem usti emittunt. Hic multò illo præstantior et utilior est odor: siquidem ille ad supplicium illos qui eo fruuntur, hic autem ad præmia coronasque cœlestes abducit..... Sic tu sanctorum Martyrum utere memoriâ, dilectissime: cùm obrepentes seculares curæ tuam mentem inobscurarint, eam per Martyrum memoriam deterge. Si enim hanc in anima tua memoriam conservâris, non opes suspicies, non paupertatem deplorabis, non gloriam et potentiam laudabis, nihil denique ex rebus humanis, nihil eorum, quæ splendida sunt, magnum esse quiddam arbitrabere, nihil eorum, quæ molesta sunt, intolerandum: sed cùm his omnibus superior evaseris, perpetuum ex imaginis hujus contemplatione capies documentum. Nam qui militet in bellis ac præliis strenuè se gerentes quotidie spectat, non deliciarum unquam cupiditate tenebitur, non delicatam et mollem vivendi rationem in pretio habebit; sed asperam et rigidam, atque ad certamen compositam.... Miles Christi es, dilectissime; armare, non comere: athleta es generosus; viriliter age, non concilia venustatem. Ita Sanctos istos imitemur; ita fortes bellatores, coronatos athletas, Dei amicos

honoribus prosequamur : et cùm per eamdem cum illis viam incesserimus, easdem cum illis coronas consequemur.

Homil. 74. *ad popul. Antioch. de SS. Martyribus, pag.* 898. Ne oscitanter audiamus quæ dicuntur, dum audimus subjectas fuisse corporibus virgis laceratis prunas; sed cogitemus, quales, ubi febris nos invaserit, simus. Vitam nobis injucundam et peracerbam putamus, ingemiscimus, impatienter ferimus, tanquam parvuli infantes indignamur, ignem illum nihilo mitiorem gehennâ putamus. At isti non febre incumbente, sed flammâ illos undique obsidente, ac scintillis in ulcera prosilientibus, et quavis ferâ crudeliùs vulnera vellicantibus, perinde quasi essent adamantini, et in alienis ista corporibus fieri cernerent, ita generosè ac cum ea, quæ illos decebat, fortitudine in confessionis verbis constantissimè perseverabant, et in omnibus his malis durantes, simul et animi sui robur invictum, et Dei gratiam egregiè præ se ferebant... Nunquid non antehac Martyrium horrebatis? Nunquid non Martyrii vos nunc desiderium capit? Nunquid non doleàs jam Martyrii tempus non adesse? Verùm enim verò exerceamus nos, et paremus ad tempus Martyrii. Contempserunt illi vitam? Contemne tu delicias. Projecerunt illi corpora in ignem? Projice tu pecunias nunc in pauperum manus. Prunas illi calcarunt? Tu cupiditatis flammam exstingue. Laboriosa sunt ista et difficilia, sed tamen et utilia valdè. Noli ea quæ præsentia sunt acerba spectare, sed quæ jucunda futura : non quæ in manibus mala, sed quæ in spe bona : non passiones, sed præmia : non labores, sed coronas : non sudores, sed mercedes : non acerbitates, sed retributiones : non ignem urentem, sed propositum regnum : non carnifices circumstantes, sed Christum coronantem. Hæc expedita maximè ratio, ac via ad virtutem facillima non labores tantum intueri, sed et præmia cum laboribus, neque ipsa tantùm separatim. Cùm igitur eleemosynam es impertiturus, noli pecuniæ impensam attendere, sed justitiæ coacervationem. *Dispersit, dedit pauperibus : justitia ejus manet in seculum seculi.* (*Psal.* CXI. 9.) Ne respicias opes, quæ exhauriuntur, sed thesaurum qui augetur. Si jejunes, non carnis ex jejunio macerationem considera, sed relaxationem, quam ex illa maceratione consequeris. Si noctem insomnem traducas orando, non molestiam ex vigilia, sed quam acquiris ex oratione fiduciam perpende. Ita quoque milites faciunt : non vulnera intuentur, sed præmia : non cædes, sed victorias; non mortuos cadentes, sed coronatos victores... Martyrum tormenta super cordis nostri latitudinem describamus... Depingamus ergo in anima nostra hos jacentes in sartagine, illos autem super carbones extensos; hos in lebetes dejectos, illos in mare demersos : alios ungulis laceratos, alios in rota distortos, alios in præcipitium actos : atque hos quidem cum bestiis depugnantes, illos verò in barathrum devolutos, ut cuique contigit mortem obeuntes : ut hujus picturæ varietate domum nostram illustriorem cùm reddiderimus, aptum cœlorum Regi diversorium præparemus.

S. AUGUST. *Serm.* 273. *aliàs de diversis* 101. *cap.* 2. *n.* 2. Beati Sancti, in quorum memoriis celebramus diem passionis illorum : illi acceperunt pro temporali salute æternam coronam, sine fine immortalitatem : nobis dimiserunt in istis solemnitatibus exhortationem. Quando audimus quomodo passi sunt Martyres, gaudemus et glorificamus in illis Deum.

Cap. 9. *n.* 9. Ideò, Charissimi, exsultate in diebus sanctorum Martyrum : orate, ut sequamini vestigia Martyrum. Non enim homines estis, et illi homines non fuerunt : non enim nati estis, et illi aliunde nati sunt : non enim alterius generis carnem portaverunt, quàm vos portatis. Ex Adam omnes sumus, in Christo omnes esse conamur.

Serm. 280. *aliàs de diversis* 103. *cap.* 6. *n.* 6. Solemnitates eorum, sicut facimus, devotissimè celebremus, sobriâ hilaritate, castâ congregatione, fideli cogitatione, fidenti prædicatione. Non parva pars imitationis est, meliorum congaudere virtutibus. Illi magni, nos parvi : sed benedixit Dominus pusillos cum magnis. (*Ps.* CXIII. 13.) Præcesserunt, præminuerunt. Si eos sequi non valemus actu, sequamur affectu : si non gloriâ, certè lætitiâ : si non meritis, votis : si non passione, compassione : si non excellentiâ, connexione. Non nobis parum videatur quòd ejus corporis membra sumus, cujus et illi quibus æquiparari non

possumus... Sicut ille unus animam suam pro nobis posuit : ita et imitati sunt Martyres, et animas suas pro fratribus posuerunt ; atque ut ista populorum tanquam germinum copiosissima fertilitas surgeret, terram suo sanguine irrigaverunt. Fructus laboris ergo illorum etiam nos sumus. Miramur eos, miserantur nos. Gratulamur eis, precantur pro nobis.

Serm. 283. *aliàs de diversis* 42. *cap.* 3. *n.* 1. *In Natali Martyrum Massilit.* Fortitudinem sanctorum Martyrum sic in eorum passione miremur, ut gratiam Domini prædicemus. Neque enim et illi in seipsis laudari voluerunt, sed in illo cui dicitur, *In Domino laudabitur anima mea.* (*Ps.* XXXIII. 3.)

Serm. 297. *aliàs de diversis* 107. *cap.* 8. *n.* 11. Ergo, Charissimi, festum Sanctorum diem, qui adversùs peccatum usque ad sanguinem certaverunt, et Domino suo donante atque juvante vicerunt, sic celebremus, ut amemus ; sic amemus, ut imitemur : ut imitati ad eorum præmia pervenire mereamur.

Serm. 302. *aliàs de diversis* 111. *In Solemn. Mart. Laur.* 1. *cap.* 1. *n.* 1. Martyrum ergo vestigia imitando sectemur, ne solemnitates eorum inaniter celebremus.

Cap. 10. *n.* 9. Impigrè Martyres imitemur, si volumus nobis prodesse solemnitates, quas celebramus. Semper hæc admonuimus, Fratres, nunquam cessavimus, nunquam tacuimus. Vita æterna diligenda est, præsens contemnenda est. Benè vivendum est, bonum sperandum est.

Serm. 306. *aliàs de diversis* 112. *In natali Martyr. Massæ Candidæ, cap.* 11. *n.* 10. Ad vitam tendimus et veritatem. Ipse Christus est. Quò ire quæris ? *Ego sum*, inquit, *via.* Quò ire quæris ? *Et veritas et vita.* (*Joan.* XIV. 6.) Ecce quod Martyres amaverunt, ideò præsentia et transitoria contempserunt. Nolite mirari fortitudinem, amor vicit dolorem. Massæ ergo Candidæ solemnitatem candidâ conscientiâ celebremus ; et vestigia Martyrum sectantes, caputque Martyrum et nostrum intuentes, si ad tam magnum bonum venire concupiscimus, iter durum non timeamus. Qui promisit verax est, qui promisit fidelis est, qui promisit fallere non potest. Dicamus ergo ei candidâ conscientiâ, *Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras.* (*Psal.* XVI. 4.) Quid times vias duras passionum et tribulationum ? Transiit ipse. Respondes fortè, Sed ipse. Transierunt Apostoli. Adhuc respondes, Sed Apostoli. Accipio. Responde : Transierunt postea et multi viri. Erubesce : transierunt et feminæ. Senex venisti ad passionem ? Noli timere mortem, vel quia vicinus es morti. Juvenis es ? Transierunt et juvenes, qui adhuc vitam sibi sperabant : transierunt et pueri, transierunt et puellæ. Quomodo adhuc via aspera est, quam multi ambulando linierunt ? Hæc ergo est solemnis et assidua commonitio nostra ad vos, Fratres, ut solemnitates Martyrum, non vanâ solemnitate celebremus : sed quos in suis solemnitatibus amamus, etiam fide simili imitari non formidemus.

Serm. 309. *aliàs* 12. *inter additos à Paris. In Natali Cypriani Martyris* 1. *cap.* 4. *n.* 6. Quid ad hæc dicamus ? quid ad hæc exsultemus ? Tantâ conceptione gaudiorum, in quid erumpat cor nostrum et os nostrum, nisi in ipsam venerabilis Martyris ultimam vocem ? Cùm enim Galerius maximus decretum ex libello recitasset : *Tascium Cyprianum gladio animadverti placet.* (*Act. S. Cypr.*) Respondit ille, *Deo gratias.* Habentes igitur de re tanta memoriam præsentis loci, festivitatem solemnissimi diei, propositionem saluberrimi exempli, omnibus medullis nostris dicamus et nos, Deo gratias.

Serm. 311. *aliàs de diversis* 115. *In Natali Cypriani Martyris* 3. *cap.* 1. *n.* 1. Celebratio solemnitatis Martyrum, imitatio debet esse virtutum. Facilè est honorem Martyris celebrari : magnum est fidem atque patientiam Martyris imitari. Hoc sic agamus, ut illud optemus ; hoc celebremus, ut illud potiùs diligamus. Quid laudamus in fide Martyris ? Quia usque ad mortem pro veritate certavit, et ideò vicit. Blandientem mundum contempsit, sævienti non cessit : ideò victor ad Deum accessit.

Cap. 2. *n.* 2. Sciebant pro qua vita contemnerent vitam : sciebant pro qua felicitate ferrent transitoriam infelicitatem, pro quibus præmiis ista damna contemnerent. Fides eorum cum toto mundo non appende-

I. **Quid agendum in festis Pontificum ?**

R. **Idem ferè quod in Festis Apostolorum , quorum Episcopos successores esse nemo nescit.** (D)

retur. Audierant , * *Quid prodest homini , si totum mundum lucretur , animæ autem suæ detrimentum patiatur ?* (*Matth.* XVI. 26.) Non retardavit illecebra seculi festinantes , transitura migrantes , quantumlibet et quomodolibet fulgens felicitas hîc dimittenda , ad aliam vitam non transferenda , aliquando hîc et à viventibus relinquenda.

Cap. 3. *n.* 3. Contemnite ergo seculum , Christiani , contemnite seculum , contemnite. Contempserunt Martyres , contempserunt Apostoli , contempsit beatus Cyprianus , cujus hodie memoriam celebramus. Divites esse vultis , honorati esse vultis , sani esse vultis : totum ille contempsit , ad cujus memoriam convenistis. Quid , obsecro , tantùm amatis ? quod contempsit quem sic honoratis ? Quem , nisi ista contempsisset, non utique sic honoraretis. Quare te invenio earum rerum amatorem , quarum veneraris contemptorem ? Certè illum , si hæc amaret , non venerareris. Et tu noli amare : non enim intravit , et ostium contra te clausit. Contemne et tu ; et intra post illum. Patet quà intres ; Christus est janua. Et tibi est ostium apertum , quando est latus ejus lanceâ perforatum. Quid indè manavit recole : et elige quà possis intrare. De latere Domini pendentis et morientis in ligno , posteà quàm est lanceâ perforatum , aqua sanguisque profluxit. In uno est mundatio tua , in altero redemptio tua.

S. Cæsarii *Serm.* 50. *in Append. Serm.* S. Aug. *Serm.* 225. *aliàs de Sanctis* 47. *de Martyr.* 2. *n.* 1. Quotiescunque , Fratres charissimi , sanctorum Martyrum solemnia celebramus , ita ipsis intercedentibus exspectemus à Domino consequi temporalia beneficia , ut ipsos Martyres imitando accipere mereamur æterna. Ab ipsis enim in veritate sanctorum Martyrum exempla sequuntur. Solemnitates enim Martyrum exhortationes sunt Martyriorum : ut imitari non pigeat , quod celebrare delectat.

(D) S. Petrus Chrysologus *Serm.* 126. *in Adelphum Episcopum.* Aperite sensus , corda dilatate , et gremium vestræ mentis extendite : ut quidquid de cœlestibus iste thesaurus vobis largiter effuderit , ad æternam gloriam , et censum perpetem possidere possitis.

S. Maximus Episc. Taurinensis *Hom.* 1. *de S. Eusebio Episc. Vercellens.* Sanctorum Patrum memorias religiosis conventibus honorantes , Fratres charissimi , et propria eorum merita , et munera in eis divina miramur , qui idcircò nobis sunt venerabiles , quia præsentis vitæ luce despectâ , contemptoque suorum corporum cruciatu , sævientem mundum Dei pro amore vicerunt.

Homil. 2. *de eodem.* Ad sancti ac beatissimi istius Patris nostri , cujus hodie festa celebramus , laudes addidisse aliquid decerpsisse est. Siquidem virtutum ejus gratia non sermonibus exponenda est , sed operibus comprobanda. Cùm enim dicat Scriptura : *Gloria patris est filius sapiens :* (*Prov.* X. 1.) quantæ hujus sunt gloriæ , qui tantorum filiorum sapientiâ et devotione lætatur.... In Christo enim Jesu per Evangelium ipse nos genuit.... Illius ergo in quantum possumus vestigiis insistamus , quibus per illam nimis arctam viam ad cœli ampla festinans , quà cum sequeremur , ostendit.

S. Bernard. *In transitu S. Malachiæ Episcopi Serm.* 1. *n.* 2. Agimus itaque gratias Deo super omnibus dispositionibus suis , quòd indignos nos beatæ mortis ejus honorare præsentiâ , quòd pauperes suos pretiosissimo corporis ejus locupletare thesauro , quòd infirmos nos tantâ Ecclesiæ suæ voluit fulcire columnâ.

V. 5. Congratulemur itaque , Fratres , congratulemur ut dignum est Patri nostro : quia et pium est defunctum plangere Malachiam , et pium magis Malachiæ congaudere viventi. Nunquid non vivit ? Et beatè. Nimirùm *visus est oculis insipientium mori* (*Sap.* III. 2.) , ille autem est in pace.

V. 8. Ad hoc nos refrigerium , dilectissimi , totâ animi aviditate curramus in odore unguentorum hujus beati Patris nostri , qui nostrum hodie torporem in ferventissimum desiderium visus est excitasse. Curramus ,

I. Quinam illi sunt qui Confessores dicuntur?

R. Olim Confessores Christi dicebantur ii solùm, qui cùm testimonium perhibuissent veritati cum carceris, exilii, rei familiaris, suppliciorum ipsiusque vitæ periculo, non tamen morti traditi fuerant. Confessores autem dicebantur propter gloriosam et publicam nominis Christi confessionem; Martyres quoque appellabantur propter exhibitum veritati testimonium. (E) Sed jam à multis seculis Confessores dicuntur ii omnes, qui Sanctorum albo adscripti sunt, nec sunt Apostoli, vel Evangelistæ, vel Martyres. Idcircò autem Confessores dicuntur, quia omnes Christi fidem et veritatem, saltem vitæ sanctitate, confessi sunt. (F)

inquam, post cum, crebriùs illi clamantes: Trahe nos post te: et affectu cordis, et profectu conversationis devotas omnipotenti misericordiæ gratias referentes, quòd indignis servulis suis, quibus propria desunt merita, aliena saltem voluit suffragia non deesse.

Serm. 2. *de S. Malachiâ*, *n.* 5. Lætemur quòd Angelus noster ascendit ad cives suos, pro filiis captivitatis legatione fungens, corda nobis concilians beatorum, vota illis intimans miserorum. Lætemur, inquam, et exsultemus, quia cœlestis illa curia ex nobis habet, cui sit cura nostri, qui suis nos protegat meritis, quos informavit exemplis, miraculis confirmavit.

N. 6. Sanctus Pontifex, qui in spiritu humilitatis hostias pacificas cœlis frequenter invexerat, hodie per semetipsum introivit ad altare Dei, ipse hostia et Sacerdos. Migrante Sacerdote, sacrificii ritus in melius mutatus est, fons lacrymarum siccatus est, holocaustum omne conditur in lætitia et exsultatione. Benedictus Dominus Deus Malachiæ, qui tanti Pontificis ministerio visitavit plebem suam, et nunc assumpto eo in sanctam civitatem, tantæ recordatione suavitatis nostram non desinit consolari captivitatem.

N. 7. Sancte Malachia, serva (*domum istam*) in sanctitate et justitia, misertus nostri.... Festivitas tua, quæ meritò tuis virtutibus votiva impenditur, tuis nobis efficiatur meritis et precibus salutaris.

N. 8. Esto nobis quæsumus, Malachia sancte, alter Moyses, vel alter Elias, impertiens et tu de spiritu tuo nobis.... Fuga de cordibus nostris virtutum splendoribus tenebras vitiorum.

Serm. in festo S. Martini Episcopi, *n.* 12. Martinum non pigeat imitari; sed imitari in eo quod est imitabile.

N. 13. Ut ergo sit jucunda decoraque laudatio in admiratione, etiam vivant ex imitatione.

S. Aug. *Serm.* 46. *aliàs* 165. *de tempore*, *qui est de Pastoribus n.* 2. *et* 4. *Vide suprà* §. 2. *Cap.* 5. *Sect.* 3. *hujusce Partis litt.* (B)

N. 7. *Vide suprà* §. 5. *Cap.* 4. *Sect.* 2. *hujusce Partis litt.* (A)

(E) S. Cyprianus *Moysi et Maximo Presbyteris et cæteris Confessoribus fratribus.* Quid enim petitis de indulgentia Domini, quod non impetrare mereamini, qui sic Domini mandata servastis; qui Evangelicam disciplinam sincero fidei vigore tenuistis; qui incorrupto honore virtutis, cum præceptis Domini, et cum Apostolis ejus fortiter stantes, nutantem multorum fidem Martyrii vestri veritate solidastis? Verè Evangelii testes, et verè Martyres Christi radicibus ejus innixi, super petram robustâ mole fundati, disciplinam cum virtute junxistis, ad timorem Dei cæteros provocastis, martyria vestra exempla fecistis. Opto vos, fortissimi ac beatissimi fratres, semper benè valere, et nostri meminisse.

(F) S. Gregorii Episc. Turon. *lib. de gloria Conf. c.* 3. Omnia quæ sub ditione basilicæ ejus habentur, ita piâ protectione conservat, ne exinde quidquam auferatur ab aliquo. Nam videas inter hostes iniquos greges pecorum jumentorumque et ovium, nec penitùs à quoquam attingi, cùm vox sonuerit: Confessoris sunt hæc Eusebii.

Cap. 20. De oratorio autem nostro, in quo reliquiæ S. Saturnini Mar-

I. Quid agendum in Festis SS. Confessorum?

R. Sedulò cogitandum per quam ipsi viam ad sanctitatem pervenerint, quas virtutes coluerint; et eorum intercessione postulanda à Deo gratia standi eorum vestigiis. (G)

I. Quid agendum in Festis sanctarum Virginum?

R. Quæ nobis in corpore fragili sanctæ Virgines dederunt exempla fortitudinis et virtutis, iis accendi debemus ad

lyris, ac Martini Antistitis, cum Illidio CONFESSORE, vel reliquorum Sanctorum conlocatæ sunt, pro instructione credentium narrare aliqua non pigebit.

Cap. 26. Simeon verò CONFESSOR, qui in columna pagi Antiochensis dicitur stetisse, frequenter incolis tribuit sanitates.

Cap. 28. Puella quædam cui, nescio quo existente peccato, manus una diriguit, ac digiti palmæ defixi erant, ad ejus (*S. Martialis*) sepulcrum advenit; confisa de virtute CONFESSORIS, quòd posset ejus intercessio manum aridam absolvere, cujus prædicatio populum vanis superstitionum ritibus irretitum absolvit. Celebratis ergo vigiliis in ipsa nocte festivitatis, dum attente juxta sepulcrum orat, manum suam directis digitis populo teste sanatam miratur attonita.

Cap. 29. Quidam eloquium emeruit hoc modo. Hic etenim, ut cruda operatur rusticitas populorum, juramentum mendax in Ecclesia protulit. Mox rigente linguâ mutus effectus est; ita ut non vocis humanæ, sed bidentis mugitum simulare videretur. Adveniens autem ad hujus CONFESSORIS tumulum, prosternitur ad orationem, sensitque, ut postea asserebat, tanquam si aliquis guttur ejus tangeret, quod, ut credo, virtus erat dominici CONFESSORIS.

Cap. 41. *de S. Germano Antissiodor.* Germanus autem gloriosus CONFESSOR in urbe Roma obiit.

Cap. 46. Romanus Presbyter.... naufragio perituros virtutis suæ salvat occursu, proclamantes inter fluctus torrentis undosi: Miserere nostri, sancte Romane CONFESSOR Dei.... Exoratus beatus CONFESSOR obtinuit.

Cap. 51. Adveniente verò die, quo CONFESSOR (*S. Severus*) migravit à corpore.... beatus CONFESSOR proferi novos flores è tumulo, qui cum Sanctorum reliquis ut palma floret in cœlo.

Cap. 54. *Est* De Lupiano CONFESSORE.

Cap. 55. Palla etenim erat linea, quæ sanctum CONFESSORIS (*Melanii Redonensis Episc.*) tegebat sepulcrum.

Cap. 57. *de Martino Abbate Santonicorum.* Opitulante adjutorio CONFESSORIS....

Cap. 60. Haud procul ab hujus CONFESSORIS ædc.... (*scil.* S. Trojani.)

Cap. 61. *De S. Nicelo Lugdun. Episc.* Ad sepulcrum beati CONFESSORIS multa miracula Christo auspice tribuuntur.

Cap. 67. *De Metria Aquensium* CONFESSORE.

Cap. 81. *De Mariano recluso.* Diligentiore curâ CONFESSOREM Dei plebs cœpit excolere.

Cap. 83. Ante sepulcrum beati Maximi CONFESSORIS.

Cap. 88. Viri memorati CONFESSORIS (S. Sequani) monumentum petierunt.

Cap. 97. *De Hospitio* CONFESSORE.

Cap. 99. *De Avito* CONFESSORE *Aurelianensi.*

Cap. 101. Sancti orare cœperunt, dicentes: O sancte CONFESSOR (*Eparche*,) si tibi vita superstes esset in seculo, eruere potueras hunc pauperem de manu mortis.

Cap. 102. Post annum ferè duodecimum invenerunt corpus beati CONFESSORIS (*scil.* S. Felicis Bituric. Episc.) ita illæsum, ut nulla dissolutio in corpore, nulla putredo reperiretur in veste.

Lib. 1. *de miraculis S. Martini cap.* 2. Non defuit perituro beati CONFESSORIS auxilium.... Cùm quemdam ferire conaretur in atrio CONFESSORIS.

(G) *Vide suprà hocce* §. *litt.* (C. *et* D.)

colendum Deum, et vincendum hunc mundum cum suis terroribus, erroribus, amoribus. (H)

(H) S. Gregor. Nazianz. *Orat.* 11. *de S. Gorgonia*, *n.* 11. Audite mulieres, quæcunque nimio ostentationis studio et desidiâ laboratis, ac pudoris velum contemnitis. Quænam oculos ita frenavit? Quænam risum ita irrisit? adeò ut vel leniter subrisisse nimium penè ipsi videretur. Quænam auribus januas magis imposuit? Quænam rursùs eas divino sermoni magis patefecit? vel potiùs quænam linguæ ad exponendas Dei justificationes mentem ducem magis præfecit? Quænam ordinem labiis æquè præscripsit? etc.

S. Joan. Chrysost. *in decem virgines.* Quando tandem exierunt? Quando distractionibus secularibus nuntium remiserunt, quando per arctam et angustam viam incedere statuerunt, quando voluntariam adamarunt duram educationem, quando se nuptiarum legibus non obstrinxerunt, cùm voluptates vitæ neglexerunt, cùm optimam partem incorruptionis elegerunt, cùm sapientiâ conditos mores adamarunt, cùm temperantiæ fœdus inierunt, cùm sancti Sponsi amore arserunt, cùm Regni pulchritudinem desiderarunt, cùm omnem curam vitæ secularis abjecerunt: tunc exierunt obviam Sponso.... Unde autem dignoscuntur prudentes? Ex eo nimirùm quòd eleemosynam cum continentia copularunt, beneficentiâ virginitatem ornarunt, intellexerunt fidem sine operibus mortuam esse, censuerunt non sufficere rem unam laudabilem ad salutem: neque enim unâ alâ sese aquila in altum tollit. Recordatæ sunt illius Sponsi vocis dicentis, * *Misericordiam volo, non sacrificium* (*Osee.* vi. 6.): et rursus, * *Quoniam super judicium misericordia exaltat.* (*Jac.* ii. 13.) Hæc secum rectè perpendentes impleverunt vasa sua oleo. Quænam autem vasa? Nimirùm fame laborantium ventres, spiritualium nuptiarum conciliatores sibi pauperes asciverunt, comparârunt sibi miserationum viaticum, fame laborantes nutriebantur, et lampades illuminabantur, mendici gratias agebant, et Sponsus delectabatur, eleemosyna spargebatur, et quæ exspectabatur merces præparabatur. Prudentes verba illa Davidis pronuntiabant: *Paratus sum, et non sum turbatus.* (*Psal.* cxviii. 60.).... *Date* enim *nobis de oleo vestro*, inquiunt, *quia lampades nostræ exstinguuntur.* (*Matth.* xxv. 8.) Oportuit igitur olim eas imitari, non autem jam obtestari.... Dicitis, date nobis de oleo vestro: nemo alienis operibus exornatur; unusquisque ea quæ severit, metit. Date nobis oleum. His admoniti, fratres, nolite linguâ laudare, sed opere imitari: linguæ siquidem sigillum est manus.

S. Aug. *de sancta virginitate*, *cap.* 27. *n.* 27. Pergile itaque sancti Dei, pueri ac puellæ, mares ac feminæ, cœlibes et innuptæ, pergile perseveranter in finem. Laudate Dominum dulciùs, quem cogitatis uberiùs: sperate feliciùs, cui servitis instantiùs: amate ardentiùs, cui placetis attentiùs. Lumbis accinctis et lucernis ardentibus exspectate Dominum, quando veniat à nuptiis.... Meritò eum sequimini virginitate cordis et carnis, quocunque ierit. Quid est enim sequi, nisi imitari? *Quia Christus pro nobis passus est, relinquens nobis exemplum*, sicut ait Apostolus Petrus, *ut sequamur vestigia ejus.* (1. *Petr.* ii. 21.) Hunc in eo quisque sequitur, in quo imitatur.

Cap. 29. *n.* 29. Præsumite itaque, fidite, roboramini, permanete, qui vovelis et redditis Domino Deo vestro vota perpetuæ continentiæ, non propter præsens seculum, sed propter regnum cœlorum.

Cap. 30. *n.* 30. Vos etiam qui hoc nondum vovistis, *qui potestis capere*, *capite* (*Matth.* xix. 12.) perseveranter *currite*, *ut comprehendatis.* (1. *Cor.* ix. 24.) *Tollite hostias* quisque suas, *et introite in atria Domini* (*Psal.* xcv. 8.), non ex necessitate, potestatem habentes vestræ voluntatis, neque enim sicut, *Non mœchaberis*, *non occides*, (*Exod.* xx. 13. *et* 14.) ita dici potest, Non nubes. Illa exiguntur, ista offeruntur. Si fiant ista, laudantur: nisi fiant illa, damnantur. In illis Dominus debitum imperat vobis: in his autem si quid ampliùs supererogaveritis, in redeundo reddet vobis. (*Luc.* x. 35.) Cogitate; quidquid illud est, in muro ejus locum nominatum meliorem multò quàm filiorum atque filiarum. Cogitate illic nomen æternum. (*Isaï.* lvi. 5.) Quis explicat quale nomen

I. Quid agendum in Festis sanctorum Mulierum, vel Viduarum, vel Nuptarum?

R. Agendæ gratiæ Deo, qui nullam conditionem, nullum vitæ statum à sanctitate repulerit. Et exemplo sanctarum mulierum sanctè implenda officia illius statûs ad quem vocati sumus: neque enim alia est ad salutem via. (1)

erit? Quidquid tamen erit æternum erit. Hoc credendo et sperando et amando potuistis conjugia non devitare prohibita, sed transvolare concessa.

(1) S. Aug. *de bono viduitatis, cap.* 16. *n.* 20. Priùs illud moneo, ut quantamcunque tibi inesse sentis piæ continentiæ dilectionem, beneficio Dei tribuas, eique gratias agas, qui de Spiritu suo tibi tantum largitus est, ut ejus in corde tuo charitate diffusâ, licitæ rei licentiam tibi amor melioris boni auferret. Donavit enim ne liberet nubere cùm liceret, ut jam non liceret etiamsi liberet. Hæc dona Dei esse quantò magis nosti, tantò magis es eisdem donis beata: immò aliter non es, nisi quòd habes noris à quo habeas.... Tene igitur et habe quod accepisti, et datori gratias age. Quamvis enim accipere et habere tuum sit, id tamen habes, quod accepisti: quoniam superbienti, et ex eo quod habebat, quasi à se ipso haberet, impiè glorianti veritas per Apostolum dicit, *Quid enim habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* (1. *Cor.* iv. 7.)

Cap. 19. *n.* 23. Aurem igitur inclinemus Apostolo: *Quæ innupta est*, ait, *sollicita est quæ sunt Domini, ut sit sancta et corpore et spiritu: quæ autem nupta est, sollicita est quæ sunt mundi, quomodo placeat viro.* (1. *Cor.* vii. 34.) Non ait, Sollicita est ea quæ sunt mundi, ut sancta non sit: sed certè minor est ea conjugalis sanctitas ex ea parte curarum quâ mundana cogitatur voluptas. Quidquid itaque intentionis animi etiam his rebus impenderetur quibus placendum esse viro, colligere quodam modo et redigere debet innupta Christiana in eam intentionem quâ placendum est Domino. Et vide cui placeat, quæ Domino placet: et utique tantò est beatior, quantò plus placet ei: quantò autem magis cogitat ea quæ sunt mundi, tantò minùs placet. Placete itaque totâ intentione speciosо formâ præ filiis hominum. Ejus enim gratiâ illi placetis, quæ diffusa est in labiis ejus. (*Ps.* xliv. 3.) Placele illi ea quoque parte cogitationis, quæ occuparetur mundo, ut placeretur viro. Placete illi qui displicuit mundo, ut placentes ei liberarentur ex mundo. Hunc enim speciosum formâ præ filiis hominum viderunt homines in cruce passionis, * et *non habuit speciem neque decorem, sed facies ejus abjecta et deformis positio ejus.* (*Isai.* liii. 3.) Ex hac tamen deformitate Redemptoris vestri, manavit pretium decoris vestri, sed decoris interioris.* *Omnis* enim *pulchritudo filiæ Regis intrinsecùs.* (*Ps.* xliv. 14.) Hac pulchritudine illi placete: hanc pulchritudinem studiosâ curâ et sollicitâ cogitatione componite. Non amat ille fallaciarum fucos: veris veritas delectatur: et ille, si quod legisti agnoscis, veritas vocatur. *Ego sum*, inquit, *via, et veritas, et vita.* (*Joan.* xiv. 6.) Currite ad illum per illum; placete illi ex illo, vivite cum illo, in illo, de illo. Afficlibus veris et sanctissimâ castitate à viro tali amate amari.

Cap. 21. *n.* 26. Deliciæ igitur spiritales deliciis carnalibus in sancta castitate succedant, lectio, oratio, psalmus, bona cogitatio, bonorum operum frequentatio, spes futuri seculi, et cor sursùm: atque de his omnibus gratiarum actio Patri luminum, à quo sine ulla dubitatione *omne datum optimum et omne donum perfectum*, Scripturâ teste, *descendit.* (*Jacob.* i. 17.) Nam quando pro deliciis nuptarum quas in carne virorum habent, aliarum carnalium deliciarum tanquam in solatium usus assumitur, quid ego dicam quæ sequantur mala, cùm breviter Apostolus dixerit, viventem mortuam esse viduam, quæ in deliciis vivit? (1. *Timoth.* v. 6.) Absit autem à vobis ut divitiarum cupiditate capiamini pro cupiditate nuptiarum, et in cordibus vestris numinus viri amori succedat. Intuentes enim hominum conversationem, sæpè experti sumus, in quibusdam lasciviâ compressâ crevisse avaritiam. Nam sicut in ipsis sensibus

I. Quid agendum in Festis sanctarum Pœnitentium ?

R. 1. Earum exemplo sectanda humilitas, et strenuè vacandum operibus pœnitentiæ.

2. Quam ipsæ misericordiam à Domino consecutæ sunt ; ejusdem spe minimè dubià, nihil non agendum ut vincantur libidines et pravæ cupiditates. (K)

corporis acutiùs audiunt qui non vident, et tangendo multa discernunt, nec tantà vivacitate tangunt qui oculis utuntur ; ubi intelligitur ex uno aditu, id est, luminum, repressà intentione sentiendi, eam se in alios sensus promptiorem dignoscendi acumine exserere, tanquam ex altero conetur implere quod negatur in altero : ita etiam sæpè carnalis cupiditas à concumbendi voluptate cohibita, majoribus viribus in pecuniæ se porrigit appetitum, et illinc aversa, hùc se impetu ardentiore convertit. In vobis autem amor divitiarum simul frigescat cum amore nuptiarum ; et pius usus rerum quas possidetis, ad spirituales delicias conferatur, ut liberalitas vestra magis ferveat adjuvandis egenis quàm ditandis avaris. In thesaurum quippe cœlestem non mittuntur dona cupidorum, sed eleemosynæ pauperum, quæ in immensum modum orationes adjuvant viduarum. Jejunia quoque ac vigiliæ in quantum valetudinem non perturbant, si orando, psallendo, et in lege Dei meditando insumantur, in delicias spiritales etiam ipsa quæ videntur laboriosa vertuntur. Nullo modo enim onerosi labores amantium, sed etiam ipsi delectant.... Interest ergo quid ametur. Nam in eo quod amatur, aut non laboratur, aut et labor amatur.

Cap. 23. *n.* 28. Agite itaque cursum vestrum, et perseveranter currite, ut comprehendatis ; et exemplo vitæ exhortationisque sermone rapite in eumdem cursum vestrum quascunque potueritis... Securè itaque instate quibus potestis, ut fiant quod vos estis : et orate vigilanter atque fervenfer, ut adjutorio dexteræ Excelsi et abundantià misericordissimæ gratiæ Domini, et perseveretis in eo quod estis, et proficiatis ad id quod critis.

S. Gregor. M. *Hom.* 3. *in Evang.* Consideremus, Fratres, hanc feminam, consideremus nos, qui membris corporis viri sumus, in ejus comparatione quid existimabimur. Sæpe namque agenda aliqua bona proponimus, sed si unus contra nos vel levissimus sermo ab ore irridentis eruperit, ab intentione actionis nostræ fracti protinùs et confusi resilimus. Ecce nos plerumque à bono opere verba revocant : felicitatem verò à sancta intentione frangere nec tormenta potuerunt. Nos injuriam maledictionis in aurem maledictoris impingimus : hæc ad regnum etiam per ferrum exiit, nihilque esse quod obsistebat, æstimavit. Nos ad præcepta Dominica largiri nostra saltem superflua nolumus : hæc non solùm Deo suam substantiam contulit, sed pro illo etiam propriam carnem dedit. Nos cùm ex divina jussione filios amittimus, sine consolatione lugemus : hæc eos velut mortuos plangeret, si non ablulisset. Cùm ergo ad illud terribile examen districtus judex venerit, quid nos viri dicemus, cùm hujus feminæ gloriam viderimus ? De debilitate mentis suæ quæ tunc erit viris excusatio, quando hæc ostendetur, quæ cum seculo et sexum vicit ? Sequamur ergo, Fratres charissimi, districtam et asperam Redemptoris viam : usu quippe virtutum ita jam plana facta est, ut per eam feminis libeat ambulare. Despiciamus cuncta præsentia : nulla sunt etenim in hoc mundo, quæ transire possunt... Quod si perfectè agimus, non solùm imminentes pœnas evademus, sed unà cum martyribus glorià remunerabimur. Nam quamvis occasio persecutionis desit, habet tamen et pax nostra martyrium suum : quia et si carnis colla ferro non subdimus, spiritali tamen gladio carnalia desideria in mente trucidamus.

Lege si lubet S. Aug. *Sermones* 3. *de SS. Perpet. et Felicit. Saltem vide suprà hocce 2. litt.* (C)

(K) *In Vitis Patrum* P. Rosweidi Soc. Jes. *Lib.* 1. *in vita S. Pelagiæ meretricis, auctore* Jacobo Diacono, *pag.* 378. *c.* 7. Accedens [S. Pelagia] ubi congregati erant Episcopi, jactavit se in pavimentum, et apprehendit pedes beati Nonni Episcopi, dicens : Rogo te, domine meus, imitare

magistrum tuum Dominum Jesum Christum, et effunde super me tuam bonitatem, et fac me Christianam. Ego enim sum, domine meus, pelagus peccatorum et abyssus iniquitatis. Peto me baptizari.

Cap. 8. Cùm vix eam persuasisset sanctus Nonnus Episcopus surgere à pedibus suis, cùm surrexisset, dicit ad eam : Canones sacerdotales continent non baptizari meretricem, nisi fidejussores præstiterit, ut non se iterùm in ipsis malis revolvat. Quæ audiens talem Episcopi sententiam, jactavit se iterùm in pavimentum, et apprehendit pedes sancti Nonni, et ipsos lacrymis suis lavit, et capillis suis extergebat, dicens : Rationem reddas Deo pro anima mea, et tibi adscribam iniquitates factorum meorum, si distuleris me iniquam et turpissimam baptizare. Non invenias portionem apud Deum cum Sanctis, nisi me nunc feceris alienam malorum operum meorum. Neges Deum et idola adores, nisi me hodie in sponsam Christi renasci feceris, et obtuleris Deo. Tunc omnes Episcopi et Clerici qui convenerunt, videntes talem peccatricem pro Deitatis desiderio talia loquentem, admirantes dicebant, nunquam se talem vidisse fidem et desiderium salutis, sicut hujus meretricis.... Invenit eam, { Romana *Diaconissa* } adhuc ad pedes sancti Nonni Episcopi, cui vix persuasit surgere à pedibus suis, dicens : Surge filia, ut exorcizeris. Dixitque ei : Confitere omnia peccata tua. Quæ respondit : Si perscrutata fuero scientiam cordis mei, non invenio in me aliqua opera bonorum actuum. Peccata enim mea scio, quòd arenâ graviora sunt : aqua enim perparva est præ mole peccatorum meorum. Confido verò de Deo tuo, quòd dimittat pondus iniquitatum mearum, et respiciat super me. Tunc dixit ad eam sanctus Nonnus Episcopus : Dic quod sit nomen tuum ? Quæ respondit : Naturali nomine Pelagia vocata sum à parentibus meis : cives verò Antiochiæ Margaritam me vocant, propter pondus ornamentorum, quibus me adornaverunt peccata mea. Ego enim eram ornamentum et complum ergasterium diaboli. Iterùm dicit ad eam sanctus Nonnus Episcopus : Naturali nomine Pelagia vocaris ? Quæ respondit : Ita domine. Quo audito, sanctus Nonnus Episcopus exorcizavit eam, baptizavit, et imposuit ei signum Domini, tradiditque illi corpus Christi.

Cap. 11. Tertiâ verò die, posteaquam baptizata est sancta Pelagia, jugavit puerum suum qui præerat rebus ejus omnibus, et dicit ad eum : Vade in vestiarium meum, et scribe omnia quæ sunt tam in auro quàm in argento, vel in ornamentis aut vestibus pretiosis, et affer mihi. Puer fecit sicut præcepit ei domina sua, et omnem substantiam suam detulit. Quæ statim vocavit sanctum Nonnum Episcopum per sanctam Romanam commatrem suam, et omnem substantiam suam posuit in manibus ejus, dicens : Hæ sunt, domine, divitiæ, quibus ditavit me satanas : has trado in arbitrio sanctitatis tuæ, et quod nosti expedire, facias ex eis : mihi enim optandæ sunt divitiæ Domini mei Jesu Christi. Qui statim vocavit custodem Ecclesiæ seniorem : et ipsa præsente, omnem substantiam ejus in manibus illius tradidit, dicens : Adjuro te per inseparabilem Trinitatem, ne quid hinc in Episcopium aut in Ecclesiam ingrediatur : sed magis viduis et orphanis et pauperibus erogetur, ut quod malè attractum est, benè distribuatur : et divitiæ peccatricis, fiant thesauri justitiæ. Si verò, spreto sacramento, sive per te, sive per quemlibet alium subtraxeris de his quidquam, anathema ingrediatur domum ejus, et cum illis habeat partem, qui dixerunt, Crucifigatur, crucifigatur. Illa verò convocavit omnes pueros et puellas suas, et liberavit omnes : donavitque tortos (*fortè* torques) aureos eis de manu sua, dicens : Festinate, et liberate vos de hoc seculo nequam, pleno peccatis, ut sicut fuimus in hoc seculo simul, ita simul permaneamus sine dolore in vita illa, quæ est beatissima. "

Cap. 12. Octavâ verò die, quando habebat depositionem albarum facere, surgens nocte, nobis ignorantibus, deposuit vestem Baptismatis sui, et induit se tunicam tricinam, et birram sancti Nonni Episcopi : et ex illâ die nusquam comparuit in civitate Antiochia. Quam sancta Romana flebat amarissimè, et sanctus Nonnus consolabatur eam, dicens : Noli flere filia, sed lætare gaudio magno, quoniam Pelagia optimam portionem elegit, sicut Maria, quam Dominus præfert Marthæ in Evangelio. Illa autem abiit Jerosolymam, et constravit sibi cellulam in monte Oliveti.

Cap. 14. Et inveni eam in monte Oliveti, ubi Dominus oravit, in modica cellula undique circunclusa, et parvam fenestellam habuerat in pariete. Et percussi ostium fenestellulæ, et statim aperuit mihi, et cognovit me, ego verò non cognovi eam. Quomodo enim poteram cognoscere illam, quam antèà videram inæstimabili pulchritudine, jam facie marcidam factam præ nimia abstinentia? Oculi verò ejus sicut fossæ videbantur. Quæ dicit ad me: Unde venis frater? Ego respondi et dixi: Missus sum ad te, jubente Nonno Episcopo. Quæ ait ad me: Oret pro me, quoniam verè sanctus Dei est. Et statim clausit ostiolum fenestellæ, et cœpit psallere horam tertiam. Ego verò eravi juxta parietem cellulæ ejus, et recessi, multùm juvatus de Angelicâ visione ejus.

Ibid. Vita S. MARIÆ *Ægypt. auct.* SOPHRON. *l. ter. Ep. p.* 387. *c.* 14. *Postquam narravit auctor quâ occasione Zosimas S. Mariam in solitudine invenerit, eamque de antè acta vita percontarit; eam demùm loquentem inducens hæc habet.* Stupesco, quomodo meas mare illud sustinuit iniquitatum luxurias, quomodo terra non aperuit os suum, et in infernum viventem me demersit, quæ tantas in laqueum mortis induxi animas. Sed, ut arbitror meam Deus, qui neminem vult perire, sed *omnes fieri salvos*, (1. *Tim.* II. 4.) requirebat pœnitentiam. Non enim vult mortem peccatoris, sed longanimiter exspectat, sustinens conversionem. (*Ezech.* XVIII. 23.) Sic itaque cum magna festinatione ascendimus Jerosolymam: et quantos quidem dies ante festivitatem in civitate commorata sum, similibus nequissimis vacavi operibus, magisque pejoribus. Non enim sufficiens fui juvenibus mecum in mari luxuriantibus et in itinere, sed et alios multos peregrinos et cives in mei sceleris actus congregans, coinquinavi seducens.

Cap. 15. Quando autem venit sanctæ Exaltationis festivitas pretiosæ Crucis, ego quidem, sicut et priùs, præibam, juvenum illaqueans et capiens animas: vidi autem primo diluculo omnes ad Ecclesiam unanimiter concurrentes. Abii et ego, currens cum currentibus, et veni cum illis in atrium templi: et cùm venisset hora Exaltationis divinæ Crucis, impingebam et impingebar, repellebarque quodammodo, festinans ingredi cum populo, coarctor usque ad januam templi cum his qui ingrediebantur, cum magna laboris tribulatione appropinquans et ego infelix: quando autem ingredi volebam, illi quidem omnes sine impedimento ingrediebantur: me autem divina aliqua virtus prohibebat, non indulgens introitum.

Cap. 16. Hoc ter et quater passa et facere conans, nihilque proficiens, desperans de cætero, et ampliùs nusquam progredi valens, factum quippe fuerat corpus meum à vi comprimentium valdè confractum, recedens discessi, et steti in quodam angulo atrii templi; et vix aliquando, ob quam causam prohibebar videre vivificum lignum, in cogitationem reduxi. Tetigit enim mentem, et cordis mei oculos intellectus salutis, recogitans quia squalida actuum meorum scelera mihi introeundi aditum obserabant. Cœpi itaque flens nimiùm conturbari et pectus tundere, atque suspiria de profundo cordis proferens, et gemens ejulansque propexi in loco in quo stabam, sursùm imaginem sanctæ Dei genitricis stantem, et aio, ad eam intendens et declinanter attendens: Domina virgo, quæ Deum genuisti secundùm carnem, scio quia nec condecens nec opportunum sit, me sic horridam adorare imaginem tuam, vel contemplari oculis tantis sordibus pollutis, quæ esse virgo dignosceris et casta, quæ corpus et animam habes immaculatam: justum est, me luxuriosam à tua purissima castitatis munditia abominari et projici. Tamen quoniam, ut audivi, ob hoc effectus est Deus homo, quem ipsa digna genuisti, ut peccatores vocaret ad pœnitentiam; adjuva me solitariam et nullum habentem adjutorium, percipe confessionem meam, et mihi licentiam tribue Ecclesiæ patefactum ingredi aditum, et non efficiar aliena à visione pretiosissimi ligni, in quo affixus Deus homo, quem concipiens ipsa virgo peperisti, et proprium sanguinem dedit pro mea liberatione. Jube, ò Domina, et mihi indignæ ob divinæ crucis salutationem januam patefieri, et te ex te genito Christo dignissimam do fidejussorem, quia nunquam ultrà meam carnem coinquinabo per horrida immixtionum ludibria: sed mox ut Fili tui, Virgo sancta, videro

lignum, seculo et actibus ejus, et omnibus quæ in eo sunt renuntio, et continuò egredior ubicunque ipsa ut fidejussor me duxeris.

Cap. 17. Hæc dicens, et quasi aliquam satisfactionem recipiens fidei succensa calore, et de pietatis visceribus Dei genitricis præsumens, movi me de eodem loco, in quo stans feci orationem: et veniens, iterùm ingredientibus me miscui, et ultrà non erat qui me repelleret, neque qui me prohiberet appropinquare januis, quibus in templum introibant. Accepit ergo me tremor validus et exstasis, et tota ex omnibus tremebunda turbabar. Itaque conjungens me ad januam, cujus mihi aditus primò claudebatur, quasi omnis virtus, quæ priùs ingredi me prohibebat, post autem viam ingrediendi pararet, ita absque impedimenti labore introivi, et sic intra sancta Sanctorum reperta sum et pretiosi ac vivifici crucis ligni adorare mysterium digna habita sum: et tunc vidi Dei sacramenta, et qualiter est paratus suscipere pœnitentes. Tunc projiciens me coràm in terram, et sanctum illud exosculans pavimentum, exibam. Currens autem ad illam, quæ me fidedixit, veni restans. Conjunxi igitur me in illum locum, ubi fidedictionis conscriptum erat chirographum, et genu curvans coram vultu sanctæ Virginis Dei genitricis, his imprecata sum verbis: Tu quidem semper, ò benignissima Domina, tuam ostendisti pietatis misericordiam: tu non indignam supplicationem projecisti: vidi gloriam, quam peccatores meritò non videmus: gloriam omnipotentis Dei, qui per te suscipit peccatorum pœnitentiam. Quid ampliùs peccatrix et misera valeo recordari aut enarrare: tempus est jam implere quæ fidedixi, fide dilectionis tuæ placita. Nunc ubi tibi complacet, dirige me. Esto mihi salutis ductrix, et veritatis magistra, præcedens me in viam quæ ducit ad pœnitentiam. Et hæc dicens, audivi vocem alicujus à longè clamantis: Jordanem si transieris, bonam invenies requiem. Ego autem hanc vocem audiens, et pro me factam credens, lacrymans exclamavi, et ad Dei genitricis imaginens prospiciens vociferavi: Domina, Domina Regina totius orbis, per quam humano generi salus advenit, noli me derelinquere. Et hæc dicens, de atrio templi sum egressa et festinanter ambulabam. Exeunte autem me, vidit me quis, et dedit mihi tres nummos, dicens; Accipe hæc, Nonna: ego autem accipiens, tres ex eis panes comparavi, et hos accepi benedictioni mei itineris congruos. Interrogavi eum qui panes vendebat, Unde et qualis via esse noscitur, homo, quæ ducit ad Jordanem? Et cognoscens portam civitatis, quæ in illa latera pergit, currens iter agebam plorans.

Cap. 18. Interrogationi autem interrogationem annectens, reliquum dici consumpsi iter properans: erat autem hora diei tertia, quando pretiosam et sanctam crucem videre merui. Et sole jam ad occasum declinante, Ecclesiam beati Joannis Baptistæ positam juxta Jordanem conspexi, et in eodem templo ingressa adorans continuò in Jordanem descendi, et ex illa sancta aqua manus et faciem lavi. Communicavi autem vivifica et intemerata Christi Domini sacramenta, in eadem sancta præcursoris et Baptistæ Joannis Basilica, et tunc unius panis medietatem comedi, et ex aqua Jordanis bibi, in terra nocte quiescens. Lucescente in crastino in partem aliam transivi, et iterùm petii ductricem meam ut me dirigeret, ubi ei placitum esset. Deveni autem in hanc solitudinem, et ex tunc usque hodie *elongavi fugiens, exspectans Deum meum* (*Psal.* LIV. 8 *et* 9.), qui salvos facit pusillos et magnos, qui convertuntur ad eum. Zosimas dixit ad eam: Quot anni sunt, ò domina, ex quo hanc inhabitas solitudinem? Respondit mulier: Quadraginta septem anni sunt, ut considero, ex quo de sancta civitate egressa sum. Dixit autem Zosimas: Et quid invenire ad esum potuisti, aut invenis, ò mi domina. Respondit mulier: Duos semis quidem panes Jordanem transmeavi deportans: et qui post modicum arefecti quasi lapides obduruerunt, et modicum quid usque ad aliquos annos comedens transegi. Dixit autem Zosimas: Et sic absque dolore transisti tanti temporis longitudinem? nihil repentinæ immutationis et conturbationis sensisti calorem? Illa dixit: Rem nunc me interrogas, quam dicens valdè contremisco; si ad commemorationem venero tantorum quæ sustinui periculorum, et cogitationum quæ iniquè perturbaverunt me; timeo enim ne ab eisdem aliquam patiar tribulationem. Dixit Zosimas: Nihil relinquas, ò domina, quæ non indices.

Semel enim in hoc te manifestam cognovimus ordine, omnia te indiminutè oportet nos edocere.

Cap. 19. Illa autem dixit et : Crede, Abba, decem et septem annis feris immansuetis et irrationabilibus eluctans desideriis, dum cibum initiabam, desiderio mihi erant carnes; concupiebam pisces quos Ægyptus habebat; desiderabam etiam vinum delectabile mihi : multùm enim delectabar in vino, et superabundantiùs usque ad ebrietatem bibebam, et nunc mihi erat valdè in desiderio, eò quòd multùm uterer, dum essem in seculo. Hic autem aquam omninò non habens, vehementissimè urebar, et sustinebam necessitatis periculum. Fiebat mihi et de luxuriosis canticis nimium desiderium, perturbans et reducens ad memoriam dæmoniorum cantica decantare, quæ in seculo didiceram. Mox autem lacrymans, et pectus meum perculiens, me ipsam ad memoriam reducebam de convenienti fidedictionis quam feceram, egrediens contra hanc solitudinem. Veniebam autem per cognitionem ante imaginem sanctæ Dei genitricis, quæ me et in fide sua suscepit, et ante illam plorabam, ut effugaret à me cogitationes, quæ miserrimam meam animam affligebant. Quando autem superfluè dolenterque lacrymabar, et viriliter pectus meum tundebam, tunc videbam lumen undique circumfulgens me, et serenitas mihi quædam stabilis mox fiebat. Cogitationes autem quæ ad fornicationem iterùm compellebant me, quomodo tibi enarrare possum ? Abba ignosce. Ignis intùs infelix corpus meum nimis succendebat, et totam me per omnia exurebat, et ad desiderium commixtionis pertrahebat. Dum ergo mihi talis ascenderet cogitatio, prosternebam meipsam in terram, et lacrymis terram infundens, ipsam mihi veraciter adstare sperans, quæ me fidedixerat, minanti me compellatione exaggerare furentem, quasi prævaricanti, et pœnas prævaricationis mihi imminentes irà mucronis contra me agentem. Non enim ante surgebam de terra, nisi priùs illa dulcissima lux illuminaret me solitò, et cogitationes me perturbantes effugaret. Semper itaque cordis mei oculos ad illam fidejussorem meam sine cessatione erigebam, deprecans eam auxiliari mihi in hac solitudine et pœnitentia. Habui ergo adjutricem et coadjutricem ipsam, quæ genuit castitatis auctorem, et sic decem et septem annorum curriculis cum multis, ut dixi, usque hodie periculis eluctata sum. A tunc ergo adjutorium meum Dei genitrix adstitit mihi, per omnia in omnibus me dirigens. Dixit autem Zosimas : Non habuisti cibum aut vestimentum ? Et illa dixit : Panes quidem illos, sicut jam dixi, decem et septem expendens annis, deinde nutriebar herbis quæ inveniebantur per solitudinem. Indumentum autem quod habui, transmeato Jordane nimiâ vetustate scissum et consumptum est. Multam ergo glaciali frigore et æstûs ardore necessitatem sustinui, concremata æstûs incendio, et nimio frigoris tempore gelu rigescens et tremens, multoties in terram cadens absque spiritu jacebam immobilis, multis et diversis necessitatibus et tentationibus immensis eluctans, per omnia usque in hanc diem virtus Dei multis modis miseram animam meam et corpus meum custodivit. Recordans enim de qualibus malis liberavit me Dominus, escà nutrior inconsummabili, et satietatis possideo epulas spem salutis meæ. Nutrior autem et cooperior tegmine verbi Dei, qui continet omnia. *Non* enim *in solo pane vivit homo* (*Matth.* IV. 4.), et non habentes operimentum petræ circumdati sunt tegmine hi, qui se peccati exspoliaverunt tunicâ.

Cap. 20. Audiens autem Zosimas, quoniam Scripturarum testimonia proferebat, ex libris Moysi videlicet et beati Job, sive Psalmorum, dixit ad eam : Psalmos, ô mater, didicisti, vel alios libros sacræ Scripturæ legisti ? Illa autem hoc audiens, subridens dixit ad eum : Crede mihi, non vidi hominem ex quo Jordanen transivi, nisi te hodie ; sed neque feram aut aliud animal qualecunque, ex quo in hanc deveni solitudinem. Litteras autem nunquam alicubi didici, sed neque psallentem aut legentem aliquem auscultavi. Sermo autem Dei vivus et efficax intellectum intrinsecùs docet humanum. (*Hebr.* IV. 12.) Huc usque finis eorum quæ mea sunt. Nunc autem obsecrans quæso te per Incarnationem Verbi Dei ut ores pro me luxuriosa. Et cùm hæc dixissel, cucurrit senex, et genu flexo se in terram prosternere, vociferans et dicens : Benedictus

Dominus Deus qui facit mirabilia magna solus, gloriosa et vehementer stupenda quibus non est numerus. (*Job.* IX. 10.) Benedictus es Domine Deus qui ostendisti mihi quanta largiris timentibus te. Verè enim non derelinquis quærentes te, Domine. (*Psalm.* IX. 11.) Illa autem apprehendens senem, non permisit in terram perfectè prosterni, sed dixit ei: Hæc quæ audisti, homo, obtestor te per Dominum Salvatorem nostrum Jesum Christum, nemini dixeris, quoadusque Deus de vinculo carnis absolvat me. His omnibus acceptis in pace, et iterùm hoc eodem tempore adveniente anno apparebo tibi, et videbis me, Dei nos gubernante gratiâ. Fac autem propter Dominum, quod nunc tibi injungo, ut sacris jejuniis recurrentibus anni venturi non transeas Jordanem, ut consuetudinem habetis in monasterio. Stupebat autem Zosimas, audiens quoniam et canonem monasterii inscia, quasi quæ nosset, dicebat: nihilque aliud clamabat nisi gloriam Dei, qui majora quàm petitur diligentibus se largitur. Illa autem dixit: Sustine ut dixi, Abba, in monasterio: neque etsi exire volueris quòquam, valebis. Vespere autem sacratissimo Dominicæ cœnæ, divini corporis et vivifici sanguinis portionem in vase sacro dignoque tanti mysterii affer, et sustine me in parte Jordanis, quæ conjungitur seculo, et veniens vivifica accipiam dona. Ex quo enim in Ecclesia beatissimi Præcursoris, priusquàm transirem Jordanem, communicavi, deinceps usque nunc nunquam communicavi, nunquam usque unc sanctificationis hujus usa sum portione; et ideò deprecor, meam ne spernas petitionem, sed per omnia ipsa vivifica atque divina mysneria affer in ea hora quâ Dominus Discipulos divinæ cœnæ participes fecit. Hæc dicens, orationem à sene postulando, in interiorem solitudinem velociùs festinavit.

Cap. 21. Zosimas autem prosternens se, osculabatur terræ locum, in quo ejus vestigia steterant, dans gloriam Deo: immensasque gratias agens, reversus est, laudans et benedicens Dominum Deum nostrum Jesum Christum... Quando (*anno vertente*) reversi sunt Monachi sacratæ cœnæ vespere, fecit quod ei jussum est: et mittens in modico calice intemerati Corporis portionem et pretiosi Sanguinis Domini nostri Jesu Christi, posuit in canistro carycas paucas et palmarum fructus, id est, dactylos, et parum lenticulæ infusæ in aquis, et venit tardè et ad ripam Jordanis sedebat, adventum sanctæ præstolans.

Cap. 22. Ecce sancta illa advenit, et in parte alia fluminis stetit, undè venerat. Zosimas autem videns eam, surrexit gaudens, et exsultans nimis glorificabat Deum. Lucta autem certaminis in ejus fluctuabat cogitationis intentione; quia non potest Jordanis transire fluenta. Et respiciens senex, vidit eam vexillo crucis aquas Jordanis signantem. Totius enim tunc noctis tenebras splendor illuminabat lunæ, quia tempus recursûs illius erat. Statim autem ut signum crucis impressit, ascendit super aquas: et ambulans super liquidum æquoris fluctum, veniebat quasi per solidum iter. Zosimas autem stupens, et genua flectere nitens, clamans desuper aquas prohibuit, dicens: Quid facis Abba, quia et Sacerdos Dei es, et divina portas mysteria? Qui statim obedivit dicenti. Illa autem descendens de aquis, dixi seni: Benedic Pater, benedic. Ille autem magnâ festinatione respondit, stupor enim nimius invaserat eum in tam glorioso miraculo, et dixit: Verè non mentitur Deus, qui pollicitus est similes esse eos qui semetipsos purificant. Gloria tibi Christe Deus noster, qui ostendisti mihi per ancillam tuam hanc, quantum meâ consideratione inferior sum mensurâ veræ perfectionis. Hæc eo dicente, postulavit mulier ut sanctum diceret symbolum et sic Dominicam inchoaret orationem. Et expleto *Pater noster*, sancta, sicut mos est, pacis osculum obtulit seniori: et sic vivifica mysteriorum suscipiens dona in cœlum extensis manibus ingemiscens cum lacrymis, ita clamabat: *Nunc dimittis, Domine*, ancillam tuam *secundùm verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum.* (*Luc.* II. 29. *et* 30.) Et seni dixit: Ignosce, Abba. et aliud meæ petitionis imple mandatum. Vade nunc ad monasterium, Dei pace gubernatus: recursu autem anni advenientis iterùm veni in illo torrente, in quo tecum sum priùs locuta. Per omnia non omittas, sed propter Deum veni: et videbis me iterùm, qualiter Deus voluerit. Ille autem respondit ad eam: Utinam esset possibile nunc tua sequi vestigia, et tui

§. 23. De Festo Sanctorum omnium.

I. Quandonam celebratur festum Sanctorum omnium ?

R. Kalendis Novembris.

I. Cur hoc festum celebrat Ecclesia ?

R. 1. Ut Sanctis omnibus tam ignotis quàm cognitis, quibus festum speciale non assignatur in anni decursu, festum saltem generale assignetur.

2. Ut si quid in cæteris festis per annum peccatum est, id hâc majori solemnitate reparetur.

3. Ut tot exempla virtutum exhibita simul in Sanctis omnibus cujusque ætatis, sexùs et conditionis, moveant nos efficaciùs ad virtutem et ad spem certiorem triumphi.

4. Ut *divinæ propitiationis abundantiam multiplicatis intercessoribus impetremus.* (*Collecta Miss. Rom.*)

5. Ut pro Sanctorum omnium victoriis et triumphis gratiæ simul agantur Deo. (A)

pretiosissimi vultùs visione frui ! Oro, mater, ut unam senis petitiuncujam facias, et modicum cibi ex eo quod hùc attuli, digneris accipere. Et hæc dicens, ostendit ei quod secum detulerat canistrum. Illa autem extremis digitis lenticulam contigit, et tria tollens grana proprio intulit ori, sufficere dicens gratiam Spiritûs, ut custodiret animæ substantiam immaculatam. Tunc dicit seni : Ora pro me propter Deum, et meæ memor esto semper infelicitatis. Ille pedes ejus sanctos contingens cum lacrymis deprecabatur, ut oraret pro Ecclesia, et pro Imperio, et pro se, et sic dimisit eam abire flens et ejulans. Non enim audebat eam multùm detinere, quæ nec, si vellet, poterat detineri.

Cap. 23. Illa autem crucis iterùm impressione Jordanem signans, ascendit ambulans super liquidum elementum, et transivit sicut antè veniens fecerat. Senex autem reversus est gaudio et tremore repletus.

Cap. 24. Transacto autem eodem anni cursu... *Cap.* 25. Pervenit ad locum, qui in similitudine fuerat designatus torrentis, et in extrema ejus parte superiore vidit splendentem solem : et aspiciens, vidit sanctæ mortuum jacens corpus, et manus, ut oportet, sic compositas, et ad Orientem jacens corpus aspiciens. Currens autem, lacrymis lavit beatissimæ pedes, non enim aliud corporis membrum audebat contingere. Lacrymans autem aliquandiu, et Psalmos dicens tempori et rei congruentes, fecit sepulturæ orationem, et dicebat sibi ipsi : Forsitan non complacet sanctæ hæc fieri. Hæc eo cogitante, designata scriptura erat in terrâ, ubi hoc legebatur : Sepeli, Abba Zosima, miseræ Mariæ corpusculum. Redde terræ, quod suum est, et pulveri adjice pulverem. Ora tantùm pro me propter Dominum.

(A) S. BERNARD. *Serm.* 1. *in festo omnium Sanctorum*, *n.* 1. Festivitatem hodiernam Sanctorum omnium cum omni devotione dignum est celebrari. Nimirùm si magna videtur, et est, beati Petri solemnitas, seu B. Stephani, aut cujustibet cæterorum : quanta ista est, quæ non unius tantùm est, sed universorum ?

Serm. 2. *n.* 1. Sanctorum omnium festivam hodie, dilectissimi, omnique dignissimam devotione memoriam celebramus. Agnità (vel ex parte aliqua) felici retributione Sanctorum, abundantiori deinceps sollicitudine ipsorum inhærere vestigiis ; ac ferventiori desiderio ad eorum suspirare consortia ; propensiori quoque devotione eorumdem nos commendare patrociniis studeamus. Fidelis quippe sermo, et omni acceptione dignus, ut quos solemni veneratione prosequimur, etiam simili conversatione sequamur : quos beatissimos prædicamus, ad eorum beatitudinem totâ aviditate curramus : quorum delectamur præconiis, sublevemur eorum patrociniis. Nec sanè parùm fluctuosa invenitur memoria festiva Sanctorum, languorem, teporem, erroremque depellens, cùm eorum inter-

cessione juvetur infirmitas nostra, consideratione beatitudinis excitetur negligentia nostra; ignorantia quoque nostra ipsorum eruditatur exemplis.

Serm. 5. *n.* 1. Festiva nobis est dies hæc, et inter præcipuas solemnitates hodierna solemnitas numeratur; non unius alicujus singulariter, sed pariter universorum.

N. 3. *versùs finem. Beati qui habitant in domo tua, Domine, in secula seculorum laudabunt te.* (*Ps.* LXXXIII. 5.) Nostra ergo felicitas, nostra interim festivitas in timore Dei: nam illorum magis in exsultatione et laude versatur.

N. 4. Indè est quòd securè laudantur homines, qui non suâ jam vivunt vitâ, sed Dei: nam hominum utique vita tentatio est. Est autem gemina quædam securitas laudis hujus... Siquidem non est quòd laudare vereamur verissimè certissimèque laudabiles: non est quòd glorificare cunctemur sic absorptos in gloria: ut nostra omninò nequeant laudatione moveri. Non enim est quò vanitas intret, ubi veritas jam totum occupavit. Sed quænam, inquies, gloria Sanctis?... Ab Apostolo audiamus: *Tunc*, inquit, *unicuique laus erit.* A quo? *A Deo.* (1. *Cor.* IV. 5.) Magnus laudator, et vehementer ambienda laudatio. Felix commutatio laudis, ubi et laudare beatum est et laudari.

N. 5. Ad quid ergo Sanctis laus nostra, ad quid glorificatio nostra, ad quid nostra hæc ipsa solemnitas? Quò eis terrenos honores, quos juxta veracem Filii promissionem honorificat Pater cœlestis? Quò eis præconia nostra? Pleni sunt. Prorsùs ita est, dilectissimi, honorum nostrorum Sancti non egent, nec quidquam eis nostrâ devotione præstatur. Planè quòd eorum memoriam veneramur, nostra interest, non ipsorum. Vultis scire quantùm interest nostra? Ego in me, fateor, ex hac recordatione sentio desiderium vehemens inflammari; et desiderium triplex. Vulgò dicitur: Quod non videt oculus, cor non dolet. Oculus meus memoria mea, et cogitare de Sanctis, quodammodo eos videre est. Sic nempè portio nostra in terra viventium, nec modica sanè portio: si tamen, ut decet, memoriam affectio comitetur: sic, inquam, conversatio nostra in cœlis est; verumtamen non sic nostra, sicut illorum. Ipsorum enim substantia ibi est, nostra autem desideria; ipsi per præsentiam, nos per memoriam ibi sumus. Quando et nos addemur ad patres nostros? Quando essentialiter præsentabimur eis? Hoc enim primum desiderium, quod in nobis Sanctorum memoria, vel excitat vel incitat magis, ut eorum tam optabili societate fruamur, et mereamur concives et contubernales esse Spirituum beatorum „... in omnium denique colligi et collætari communione Sanctorum.

N. 6. Singulorum quippe recordationes, quasi scintillæ singulæ: imò quasi ardentissimæ faces devotos accendunt animos, ut eorum et conspectum sitiant et complexum, adeò ut plerumque etiam inter eos esse se reputent: modò ad omnes simul, modò ad hos vel ad illos totâ aviditate et vehementiâ corda vibrantes. Aliòquin quid istud negligentiæ, quid pigritiæ, imò quid vecordiæ est, ut non crebris suspiriis et ferventissimâ affectione abrumpere hinc, et in illa tam felicia agmina jaculari animos studeamus? Væ nobis à duritia cordis nostri, væ à peccato gentium, quas Apostolus memorat *sine affectione* fuisse. (*Rom.* I. 31.) Præstolatur nos Ecclesia illa primitivorum, et negligimus: desiderant nos Sancti, et parvipendimus: exspectant nos justi, et dissimulamus. Excitemur aliquando, fratres, resurgamus cum Christo, quæramus quæ sursùm sunt, quæ sursùm sunt sapiamus. (*Coloss.* III. 1. *et* 2.) Desideremus desiderantes nos; properemus ad præstolantes nos, exspectantes nos votis præoccupemus animorum. Ecce enim nihil in hac nostra communione securitatis, nihil perfectionis, nihil quietis: et tamen hic quoque quàm bonum et quàm jucundum habitare, fratres, in unum? Quidquid enim sive interiùs, sive exteriùs molestum occurrit, ipso utique tam germanorum consortio fratrum, cum quibus est nobis cor unum et anima una in Deum, tolerabilius invenitur. Quàm dulcior erit, quàm delectabilior, quàm beatior unio, ubi nulla suspicio esse poterit, nulla dissensionis occasio, ubi omnes perfecta charitas indissolubili fœdere colligabit: ut sicut Pater et Filius unum sunt (*Joan.* X. 30.), sic et nos unum simus in ipsis!

N. 7. Non tantummodò societas, sed etiam felicitas nobis est optanda

I. Cur festum hoc tantâ cum solemnitate celebrat Ecclesia?

R. Quia hoc festo solemnitates aliæ omnes Sanctorum comprehenduntur. Estque hæc solemnitas imago illius quam Deus in cœlo cum Sanctis in æternum agit. (B)

I. Quid agendum in hac solemnitate ex mente Ecclesiæ ?

R. Id mox diximus, adductis in medium quinque rationibus, quibus Ecclesiæ mens in hujus solemnitatis institutione et celebratione innotescit.

I. Quibus maximè rationibus accendi debemus ad imitationem Sanctorum ?

R. His maximè, quòd Sancti experti sunt quas nos experimur carnis infirmitates, tentationes, difficultates : et tamen per fidem vicerunt omnia. Nos autem ejusdem cum ipsis corporis membra, eumdem habemus Spiritum, idem caput, eumdem doctorem et magistrum et ducem, eadem auxilia, et ad eamdem vocamur felicitatem. (C)

§. 24. De die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum.

I. Cur Ecclesia solemnem omnium fidelium defunctorum commemorationem agit postridie solemnitatis Sanctorum omnium ?

R. Ut hinc omnes intelligant quænam sit inter omnia Ecclesiæ membra communio. Rem explico.

Ecclesia triplex, ut jam diximus, Triumphans, Patiens, et Militans. Hujus triplicis Ecclesiæ corpus idem, idem Spiritus, idem caput Christus, una eademque felicitas ; et

Sanctorum, ut quorum desideramus præsentiam, gloriam quoque ferventissimis studiis ambiamus. Neque enim perniciosa hæc ambitio, aut illius affectatio gloriæ ullatenùs periculosa est.

N. 10. Sanè ut eam nobis sperare liceat, et ad tantam beatitudinem aspirare, summoperè nobis desideranda sunt suffragia Sanctorum : *ut quod possibilitas nostra non obtinet, eorum nobis intercessione donetur.* (*Collecta in die S. Joseph.*) *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei.* (*Job.* XIX. 21.) Nostis ipsi periculum nostrum, nostis figmentum nostrum, nostis ignorantiam nostram, et dolos adversariorum : nostis eorum impetus et nostram fragilitatem. Vobis enim loquor qui in eadem tentatione fuistis ; qui eosdem superastis conflictus, eosdem laqueos evasistis ; qui didicistis ex his quæ passi estis, compassionem.

N. 11. Hæc igitur nostra et eorum cohærentia est, ut nos congratulemur eis, ipsi compatiantur nobis.... ipsi in nobis, et pro nobis militent piâ interventione.

(B) S. Aug. *Serm.* 336. *c.* 1. *n.* 1. *aliàs de temp.* 256. *in Dedicat. Ecclesiæ.* 1. Domus Dei nos ipsi. Si domus Dei nos ipsi, nos in hoc seculo ædificamur, ut in fine seculi dedicemur.

Enarrat. in Psal. 41. *n.* 9. *versùs finem.* In domo Dei festivitas sempiterna est. Non enim aliquid ibi celebratur, et transit. Festum sempiternum, chorus Angelorum, vultus præsens Dei, lætitia sine defectu. Dies hic festus ita est, ut nec aperiatur initio, nec fine claudatur. De illa æterna et perpetua festivitate sonat nescio quid canorum et dulce auribus cordis : sed si non perstrepat mundus. Ambulanti in hoc tabernaculo et miraculo Dei in redemptionem fidelium considerati, mulcet aurem sonus festivitatis illius, et rapit cervum ad fontes aquarum. (*Psal.* XLI. 2.)

(C) S. Bernard. *Vide suprà hocce §. litt.* (A)

S. Aug. *Serm.* 325. *in natali* 20. *Martyrum*, *n.* 1. *etc. Vide suprà* 2. 10. *hujusce Cap. litt.* (E)

ex triplici illa societate Ecclesiâ una constat. Hæc jam omnia fusè disputavimus. (1. *Part. Sect.* 2. *Cap.* 3. §. 1. *et* 2.) Æternam felicitatem Ecclesia militans et patiens exspectant ; Ecclesia triumphans jam obtinet. Gratulatur ergo hesternâ solemnitate Ecclesia militans Ecclesiæ triumphantis victoriis, quarum intuitu se ipsam hortatur ad eamdem felicitatem promerendam. Postridie verò fusis ad Deum pro Ecclesia patiente precibus, hanc eamdem felicitatem huic Ecclesiæ conatur impetrare.

I. Estne prisco in more Ecclesiæ positum orare pro mortuis ?

R. Mos ille ab Apostolica traditione manavit, exstantque ejus vestigia et certa argumenta in utroque Testamento. (A)

(A) *Id fusè probabimus infrà in hujusce Operis Parte* 3. *tum Sect.* 1. *Cap.* 5. §. 17. *in quo agemus* de Purgatorio : *tum Sect.* 2. *Cap.* 1. *et* 3. *et Cap.* 7. §. 12. *et* 13. *et* §. 22. *n.* 24. *ubi* de Sacrificio Missæ, etc.

2. MACHAB. XII. 43. (Fortissimus Judas) Et facta collatione, duodecim millia drachmas argenti misit Hierosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, bene et religiosè de resurrectione cogitans. 44. (Nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur et vanum orare pro mortuis,) 45. Et quia considerabat quòd hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. 46. Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur.

1. COR. XV. 29. Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omninò mortui non resurgunt ; ut quid et baptizantur pro illis ?

2. TIMOTH. I. 18. Det illi Dominus invenire misericordiam à Domino in illa die.

ESTIUS *in* 2. *Macchab.* XII. 43. *Offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, bene et religiosè de resurrectione*, etc. Inculcat hic auctor diligenter, et confirmat dogma Catholicum, orandum et sacrificandum esse pro mortuis ; et multis verbis in primis replicat de resurrectione mortuorum ; scilicet contra hæresim Sadducæorum, quæ illo tempore, teste Josepho, exorta fuerat, et radices mittere cœperat in populo Judaïco. Quomodo autem consequens sit, et superfluum et vanum fore pro mortuis orationem, sublatâ spe resurrectionis mortuorum, vide nostra 1. Cor. 15. ad illud : *Miserabiliores sumus omnibus hominibus, si resurrectio non est.* Atque illud interim observa, quòd sicut apud Apostolum de sola beata resurrectione præcipua ejus disputatio est, ita et hoc loco, cùm dicitur ; *Nisi enim eos qui ceciderant resurrecturos speraret, superfluum videretur et vanum orare pro mortuis.* Nam resurrectio quæ speratur, utique bona et beata est ; impiorum autem resurrectio, quoniam ad æternam erit miseriam et cruciatum, non speratur, sed creditur tantùm. Prosunt autem defunctis in pietate, suffragia viventium, et sacrificia, ad beatam resurrectionem, quatenùs illis prosunt ad misericordiam, et veniam minorum delictorum et pœnarum restantium, sine quibus beatæ resurrectionis non possunt esse participes.

TIRINUS *in eumdem locum. Duodecim millia drachmas argenti*, quas è collatitia pecunia *misit* Judas *Jerosolymam*, ut ex iis *Sacrificia* ibidem Deo *offerrentur* pro illo defunctorum *peccato* expiando, si Atticæ fuerint, faciunt *mille scuta aurea :* si Hebrææ, *duo millia scutorum.* En clarissimum Scripturæ testimonium pro suffragiis defunctorum ; en factum et exemplum nobilissimum Pontificis et Ecclesiæ illius temporis, ab auctore, id est, à Spiritu sancto, non modò narratum, sed et laudatum atque approbatum, ut Serarius, Bellarminus et alii Doctores fusè explicant. Neque possunt id Hæretici negare, nisi vel Canonicam horum librorum auctoritatem convellendo ; sed hanc ante in præfatione stabilivimus : vel certè fingendo, ut fingit Munsterus, hanc coronidem non esse genuinam hujus capitis partem, sed per audaculum quempiam

textui insertam vel assutam. Sed hoc Hæretici cerebri figmentum refellunt omnia, seu edita, seu manuscripta librorum horum exemplaria etiam antiquissima : veterum item Patrum in præfatione citatorum testimonia, qui locum hunc ubique pro Canonica et genuina libri hujus parte agnoscunt et citant. Quàm verò istud splendidum Munsteri mendacium, non solere Judæos ad hunc usque diem orare pro defunctis ! Cui refellendo, non aliud argumentum deposco, quàm ipsiusmet Munsteri retractationem, et Judæorum ipsorummet testimonium, quòd per me licet, petatur vel ore superstitum, vel ex scriptis defunctorum, vel ex Ritualibus Judaïcis, quæ hic ad verbum citant Serarius, Genebrardus, et Bellarminus, et ego attigi Tob. 4. et fatetur Fagius, Witakerus et alii Hæretici.

Dormitionem acceperant. Mortui erant. Dicuntur hi Judæi cum pietate mortui, quia eciderant in bello pro religione suscepto, existimabatque Judas eos sceleris acceptorum denariorum pœnituisse, et ideò sacrificiis, et precibus vivorum juvari posse.

GROTIUS *in eumdem locum et ipse cum nostris sentire videtur. En ipsius verba :* (*Offerri pro peccatis mortuorum.*) Tale sacrificium lege imperatum non erat ; neque judicia post hanc vitam in lege fuerant revelata. Quibus cognitis Prophetarum indicio, ex paritate quadam rationis credidere Judæi rectè fieri posse pro mortuis, quæ pro vivis fieri solebant. Levit. c. 5. 6. et 16. Pari fermè ratiocinatione inductus Baptismus pro mortuis, apud Christianos, et oblationes pro mortuis : de quibus aliàs *Benè et religiosè de resurrectione cogitans*, id est, firmâ fide credens futuram resurrectionem, et in ea vitæ hic actæ repensationem.

ESTIUS *in* 1. *ad Cor.* XV. 29. *Alioquin quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si omninò mortui non resurgunt ?* Post demonstratam mortuorum resurrectionem ex Christi resurrectione et regno, subnectit Apostolus ad idem probandum, alia quædam argumenta : quorum istud sumitur ab exemplo eorum qui baptizantur pro mortuis. Quod utique non faceret, si mortuos non sperarent aliquando resuscitandos ad vitam.

Sed quid sit baptizari pro mortuis, obscurum est, et ab auctoribus variè exponitur. Tertullianus libro de resurrectione carnis capite 48. et apertiùs libro 5. contra Marcionem cap. 10. significat fuisse tempore Apostolorum, qui quamvis vanè et ex errore, pro amico qui fortè sine baptismo defunctus esset, se baptizandos curarent. Quod sanè illi non fecissent, nisi mortuorum corpora, quibus, ut idem Tertullianus scribit, proficere volebant hujusmodi lectionem, aliquando resurrectura credidissent. De his igitur post Tertullianum intellexerunt hunc locum Ambrosiaster, Haimo, Hervæus, Aquinas, et in suis Paraphrasibus aliquis. Annuit et glossa tam ordinaria quàm interlinealis. Dicunt igitur apud Judæos consuetudine receptum fuisse, ut si quis legaliter immundus moreretur priusquam ab ea immunditia secundùm legem, Num. 19. ablutus esset, alius quispiam pro eo baptizaretur, id est lavaretur : quòd existimarent hujusmodi lotionem proficere mortuo ad emundationem. Id verò ita sollicitè ab illis solere fieri, ne quid spiritui hominis mortui noceret immunditia in qua mortuus fuerat, simul ut eâ cæremoniâ protestarentur fidem immortalitatis animarum et resurrectionis mortuorum, adversùs hæresim Sadducæorum per id tempus in populo Judaïco multos occupantem. Ac sanè non est incredibile, tale quid à Pharisæis, de quorum numero Paulus se fuisse testatur Act. 23. et Philipp. 3. odio sectæ Sadducæorum fuisse factitatum. Nam et ex Evangelio constat, frequentes baptismos seu lotiones Pharisæis in usu fuisse, ut Matth. 15. Marc. 7. Lucæ 11. Facit etiam nonnihil pro hoc intellectu, quod Apostolus subjungit, *ut quid et nos periclitamur omni horâ ?* Quasi dicat, Non solùm ex eo quod agunt Judæi, sumitur argumentum pro resurrectione mortuorum : verùm multò magis ex eo quòd nos patimur qui Christiani sumus. Affert hanc expositionem Franc. Furrianus lib. 4. pro Epistolis Pontif. c. 14. eamque confirmat auctoritate quorumdam veterum, scilicet Ephrem Diaconi, qui in testamento suo, sive in sermone de morte sua, locum Apostoli sic intellexerit.

Item Apollinaris antiqui scriptoris, interpretantis locum memoratum Numerorum ; et Eusthatii presbyteri Constantinopolitani in libro de immortalitate animæ.

Quid facient ? Quem reportabunt, *qui baptizantur pro mortuis.* Id est, qui purificantur ad sacrificia quæ offeruntur pro mortuis ; solebant enim Judæi purificari ante sacrificia, preces, omnemque rem divinam. Vide Marc. VII. 9. Heb. VI. 12. et IX. 10. Si corpora omninò moriuntur, nec est resurrectio, nec animæ superstites sunt, ut dicebatur sup. n. 18. frustrà preces funduntur, et sacrificia offeruntur pro mortuis.

Si mortui non resurgunt omnino, ut quid pro illis baptizantur, tam Judæi, qui ut quotidie videmus, purificantur ad sacrificia et preces pro mortuis offerenda ; quàm Christiani, qui metaphorico baptismo pœnitentiæ, afflictionum, lacrymarum, et orationum sese immergunt, ut mortuis in Purgatorio detentis suffragentur et opitulentur ? Imò sic baptizantur etiam ipsi resurrectionis hostes Cerinthus, et ejus Summistæ.

In 2. *ad Timoth.* I. 18. *Det ei Dominus misericordiam* quam optavit ab ipso vicissim *invenire* : juxta illam Domini promissionem, *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* (*Matth.* V. 7.)

Quod addit, *in illa die*, more suo diem judicii significat ; quam alibi vocat *Diem Domini.* Sed quomodo illâ die, quâ quisque recipiet secundùm opera sua, quidam inventuri sint à Domino misericordiam, quæri potest. Chrysostomus et Theophylactus annotant Apostolum precari Onesiphoro misericordiam à Deo in die illa tremenda : quoniam, ut aiunt, multâ misericordiâ opus erit etiam omnibus Sanctis ; et nemo nisi per misericordiam salvabitur. Quò pertinet quod scribit Augustinus libro de corrept. et gratia capite 13. illo judicio Sanctis à Deo coronandis necessariam fore misericordiam. Atque hæc nonnulli referunt ad remissionem peccatorum, illam quæ, etiam post hanc vitam, usque ad extremi judicii diem, præstatur iis qui cum pietate obdormierunt. Nam toto illo tempore judicium exercetur occultum, sed cum misericordia erga eos qui misericordiam fecerunt, dum peccata eorum per ignem purgantur.

Verùm huic sensui videtur obstare quod Apostolus homini adhuc viventi potiùs optare debuisset remissionem peccatorum in hac vita, quàm eam quæ pœnis purgatoriis intervenientibus datur post mortem. Hanc enim remissionem defunctis optare solemus, non viventibus.

ZEGERUS *Comm. in* 1. *ad Corinth. cap.* XV. *v.* 29. *Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omninò mortui non resurgunt ?* Juxta Chrysostomum in memoriam illis reducit Apostolus, quâ fide quibusque juramentis ad Baptismi gratiam sint admissi... Simplicius tamen ac probabilius est quod intelligit affertque D. Ambrosius de quorumdam consuetudine, qui tam erant de secutura resurrectione securi, ut etiam mortuorum vice vivi baptizarentur, si qui fortè ante Baptisma morte fuissent præoccupati ; metuentes ne aut malè aut non resurgerent : quorum non factum, sed fixam de resurrectione fidem Apostolus comprobat. Quidam nobis ferè coætaneus longam texit disputationem, quò doceat in persona nos mortuorum baptizari, cùm quia vetus noster homo in baptismate demoritur, et novus exsurgit, tum quia in morte tingimur Filii Dei, juxta id quod hic idem habet Apostolus Col. 2. *Consepulti in Baptismo, in quo et resurrexistis per fidem operationis Dei.* Verùm ego Ambrosianæ malim subscribere sententiæ.

GROTIUS *Comm. in* 1. *Corinth.* XV. 29. Est novum argumentum ex ritu tunc per Ecclesias recepto, unde appareat ab omnibus creditam resurrectionem. Nam si quis in statu *catecoumenou* esset mortuus, erat qui ipsius vice ac nomine baptizabatur, sic mortui fidem apud Ecclesiam obsignans. Tertullianus de resurrectione carnis : « Si autem baptizantur » quidam pro mortuis, videbimus an ratione. Certè illâ præsumptione » hoc eos instituisse contendit, quâ alii etiam carni vicarium baptisma » profuturum existimarunt ad spem resurrectionis, quæ nisi corporalis » non aliàs sic baptismate corporali obligaretur. Quid et ipsos baptizari, » *ait*, si non quæ baptizantur corpora resurgunt ? *Idem adversùs Marcion.* » Quid, *ait*, facient qui pro mortuis baptizantur, si mortui non resur» gunt ? Viderit institutio ista. Kalendæ, si fortè, Februariæ respondeb bant illi pro mortuis petere. Noli ergo Apostolum novum auctorem » aut confirmatorem eum denotare, ut tantò magis sisteret carnis resur» rectionem quantò illi qui variè pro mortuis baptizarentur fide resur» rectionis hoc facerent. » *Ambrosius*, *aut quisquis est qui sub ejus nomine*

I. Orandumne est pro omnibus mortuis?

R. Non pro omnibus, sed pro iis solùm qui igne purgatorio torquentur. Nec enim vel Sanctis necessariæ, vel damnatis utiles essent, si quæ pro iis jam ab Ecclesia fierent ad Deum preces. (B)

Non ergo orat Ecclesia pro Martyribus. *Injuria est enim*, inquit S. Augustinus, *pro Martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari.* (*S. Aug. Serm.* 159. *al.* 17. *de verbis Apostoli*, *n.* 1.) Idem dicendum de non Martyribus, qui Sanctorum catalogo inscripti sunt ab Ecclesia, et de infantibus post susceptum baptisma morientibus. (C)

Non orat Ecclesia pro mortuis Infidelibus, Hæreticis, Schismaticis, Apostatis, Excommunicatis, quorum excommunicatio denuntiata est, si in excommunicatione mortui

ad hunc locum legitur, « In tantum stabilem et ratam vult ostendere » resurrectionem mortuorum, ut exemplum det eorum qui tam securi » erant de futura resurrectione, ut etiam pro mortuis baptizarentur, si » quem mors prævenisset; timentes ne aut malè aut non resurgeret qui » baptizatus non fuerat; vivus nomine mortui tingebatur. *Unde subjecit*, » Quid et baptizantur pro illis? Exemplo hoc non factum illorum probat, » sed fixam fidem in resurrectione ostendit. » Marcionitas hoc more usos tum ex Tertulliani verbis intelligitur, tum apertè id dicit Chrysostomus, et post eum alii. Volebant autem videri Marcionitæ omnium quæ Paulus aut instituerat aut probaverat seduli sectatores. Mirari hunc ritum eò minùs debemus, quòd nonnullis in locis ipsa mortuorum corpora sint baptizata, ut apparet ex Canone qui aliis est 18. aliis 19. Concilii Carthaginensis, nec minùs mortuis corporibus data Eucharistia, ut nos docet idem Canon Carthaginensis et 83. Synodi in Trullo habitæ. Credo autem inter alia usurpatum illum vicarium Baptismum, ut Ecclesia pro defunctis oraret. Non solebant enim publicæ preces fieri pro Catechumenis, quanquam eleemosynas pro eis licebat dare.

(B) S. Aug. *De cura gerenda pro mortuis*, *ad Paulinum*, *cap.* 1. *n.* 1. Quærens à me utrùm prosit cuique post mortem quòd corpus ejus apud Sancti alicujus memoriam sepelitur.... dicis videri tibi non esse inanes motus animorum religiosorum atque fidelium pro suis ista curantium. Adjungis etiam vacare non posse, quòd universa pro defunctis Ecclesia supplicare consuevit: ut hinc et illud conjici possit, homini prodesse post mortem, si fide suorum humando ejus corpori talis provideatur locus, in quo appareat opitulatio etiam isto modo quæsita Sanctorum. *N.* 2.... Quodam vitæ genere acquiritur, dum in hoc corpore vivitur, ut aliquid adjuvent ista defunctos; ac per hoc secundùm ea quæ per corpus gesserunt, eis quæ post corpus religiosè illis facta fuerit, adjuvantur. Sunt enim quos nihil omninò adjuvant ista, sive pro eis fiant, quorum tam mala sunt merita, ut neque talibus digni sint adjuvari; sive pro eis, quorum tam bona, ut talibus non indigeant adjumentis. Genere igitur vitæ, quod gessit quisque per corpus, efficitur ut prosint vel non prosint, quæcunque pro illo piè fiunt, cùm reliquerit corpus. Nam meritum per quod ista prosint, si nullum comparatum est in hac vita, frustrà quæritur post hanc vitam. Ita fit ut neque inaniter Ecclesia vel suorum cura pro defunctis, quod potuerit religionis impendat; et tamen *ferat unusquisque secundùm ea quæ per corpus gessit, sive bonum, sive malum* (2. *Cor.* v. 10.), reddente Domino unicuique secundum opera ejus. Ut enim hoc quod impenditur, possit ei prodesse post corpus, in ea vita acquisitum est, quam gessit in corpore.

Cap. h. n. 6. *Vide hocce* §. *litt.* (E)

Cap. 18. *n.* 22. *Vide infrà hocce* §. *litt.* (F)

(C) *Vide* S. Aug. *Lib. de cura gerenda pro mortuis hocce* §. *litt.* (B. E. F.) *Et Lib.* 20. *contra Faustum cap.* 21. *Vide suprà* §. 3. *Cap.* 2. *Sect.* 3. *hujusce Partis*, *litt.* (H)

sint; horum enim omnium certa damnatio, nec possunt damnatorum supplicia finem accipere vel levamen. (D)

Orat Ecclesia pro omnibus omninò Fidelibus in sinu Ecclesiæ morientibus, sive sanctissimè illi vixerint, (donec enim eorum sanctitas fuerit solemni Ecclesiæ judicio asserta, est quòd ipsis timeatur; *Judicia* quippe *Dei abyssus multa; Ps.* XXX. V. 7.); sive malè vixerint quidem, sed ante mortem signa pœnitentiæ dederint; imò etiamsi morte præventi nulla dederint signa pœnitentiæ, modò non sint exteriùs excommunicati: multum enim Ecclesia præsumit de divina misericordia, et in dubio satius esse ducit orare pro omnibus, quàm exponere se periculo non orandi pro iis quibus posset per orationes afferri solatium. (E)

I. Pro quibus maximè mortuis orandum est in die commemorationis omnium defunctorum?

R. Quemadmodum Ecclesia pridiè celebrat festum Sanctorum omnium, et non alicujus Sancti specialiter; ita hâc die commemorationem agit omnium omninò fidelium defunctorum in genere. Orandum ergo hodie ex mente Ecclesiæ pro tota Ecclesia patiente: in alios dies rejiciendæ sunt preces speciales pro defunctis propinquis vel amicis.

I. Solisne precibus affertur solatium defunctis?

R. Orationum nomine Sacrificium comprehenditur, quod est orandi genus perfectissimum. Sed potest præterea eleemosynis aliisque piis operibus fidelium defunctorum animabus afferri solatium. (F)

(D) *Vide* S. AUG. *toto hocce §.*

(E) S. AUGUST. *De cura gerenda pro mortuis, cap.* 1. *n.* 6. Cùm itaque recolit animus ubi sepultum sit charissimi corpus, et occurrit locus nomine Martyris venerabilis, eidem Martyri animam dilectam commendat recordantis et precantis affectus. Qui cùm defunctis à fidelibus charissimis exhibetur, eum prodesse non dubium est iis, qui cùm in corpore viverent, talia sibi post hanc vitam prodesse meruerunt. Verùm et si aliqua necessitas vel humari corpora, vel in talibus locis humari nullâ datâ facultate permittat, non sunt prætermittendæ supplicationes pro spiritibus mortuorum: quas faciendas pro omnibus in Christiana et Catholica societate defunctis etiam tacitis nominibus eorum sub generali commemoratione suscepit Ecclesia: ut quibus ad ista desunt parentes, aut filii, aut quicunque cognati vel amici, ab una eis exhibeantur pia matre communi. Si autem deessent istæ supplicationes, quæ fiunt rectâ fide ac pietate pro mortuis, puto quòd nihil prodesset spiritibus eorum quamlibet in locis sanctis exanima corpora ponerentur.

Cap. 18. *n.* 22. *Vide litt. seq.* (F)

(F) S. AUG. *Lib. de cura gerenda pro mortuis, cap.* 1. *n.* 3... In Maccha-bæorum Libris legimus oblatum pro mortuis sacrificium. (1. *Macch.* XII. 43.) Sed et si nusquam in Scripturis veteribus omninò legeretur, non parva est universæ Ecclesiæ, quæ in hâc consuetudine claret auctoritas, ubi in precibus Sacerdotis quæ Domino Deo ad ejus altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum.

Cap. 18. *et ultimo*, *n.* 22. Quæ cùm ita sint, non existimemus ad mortuos, pro quibus curam gerimus, pervenire, nisi quod pro eis sive altaris, sive orationum, sive eleemosynarum sacrificiis solemniter supplicamus: quamvis non pro quibus fiunt omnibus prosint, sed eis tantùm quibus dum vivunt comparatur ut prosint. Sed quia non discernimus qui sint, oportet ea pro regeneratis omnibus facere, ut nullus eorum præter-

§. 25. De Festo Dedicationis Ecclesiæ.

I. Quid est dedicatio Ecclesiæ ?

R. Est sacer ritus quo ædificium aliquod solemniter ab Episcopo consecratur, ut sit domus orationis, et solius Dei cultui serviat. (A)

I. Cur ritus ille tantâ solemnitate peragitur ?

R. Quia dedicatio Ecclesiarum typus est solemnis illius dedicationis Ecclesiæ Sanctorum, quæ fiet olim in cœlis à Christo Pontifice. Rem explico.

Mira est inter ædificium materiale, quod hìc consecratur ab Episcopo, et ædificium spirituale, quod in cœlo consecrabitur à Christo, convenientia. Ædificium autem spirituale est societas Sanctorum quæ, ut alibi diximus, (1. *Part. Sect.* 2 *Cap.* 3. §. 2.) appellatur Ecclesia triumphans, Jerusalem cœlestis, civitas Dei. Jam ergo videamus quænam sit inter utrumque genus ædificii convenientia.

Antequam ædificetur domus, deliguntûr singuli lapides ab Architecto, ejusque jussu dolantur : dolati collocantur in suo quique loco, ex eorumque compactione fit ædificium, quod tandem consecratur ab Episcopo, qui priùs ipse primum lapidem in fundamento solemni ritu posuerat. Typum tenes. Rem ipsam hoc Typo adumbratam intellige.

Ædificii spiritualis vivi lapides nos sumus, Deus Architectus. Nos per misericordiam deligit et assumit in ædificium. Delectos lapides dolat in terrâ tunsionibus, pressuris, sacramentis, adhortationibus, præceptis, internis et externis auxiliis. Hujus ædificii lapis primarius et angularis Christus in fundamento positus ; super hunc cæteri vivi lapides ædificantur : inter se connectuntur fidei et charitatis vinculo. Inchoatur jam ædificium, sed non nisi post consummationem seculorum, idque in cœlis solùm perficietur : tum quia charitas tunc solùm suam habebit perfectionem ; tum quia post generalem solùm corporum resurmittatur, ad quos hæc beneficia possint et debeant pervenire. Melius enim supererunt ista eis quibus nec obsunt nec prosunt, quàm eis deerunt quibus prosunt. Diligentiùs tamen facit hæc quisque pro necessariis suis, quàm pro illo fiant similiter à suis.

S. Bernard. *Serm.* 66. *in Cantic. n.* 9. Videte detractores, videte canes. Irrident nos quòd baptizamus infantes ; quòd oramus pro mortuis ; quòd Sanctorum suffragia postulamus. In omni genere hominum atque in utroque sexu festinant proscribere Christum, in adultis et parvulis, in vivis et mortuis. Hinc quidam infantibus ex impossibilitate naturæ, indè verò adultis ex difficultate continentiæ præscribentes. Porrò mortuos viventium fraudantes auxiliis, viventes nihilominus Sanctorum qui decesserunt suffragiis spoliantes, etc.

N. 11. (Hæretici Apostolici) non credunt ignem Purgatorium restare post mortem ; sed statim animam solutam à corpore, vel ad requiem transire vel ad damnationem : Quærant ergo ab eo qui dixit quoddam peccatum esse, quod neque in hoc seculo, neque in futuro remitteretur, cur hoc dixerit, si nulla manet in futuro remissio, purgatiove peccati.

(A) *Lege quæ dicemus infrà, ubi ritus consecrationis Ecclesiæ explicabimus, hujusce Operis Parte* 3. *Sect.* 2. *Cap.* 8. §. 7. *et* 8.

rectionem lapides omnes suum habebunt locum in ædificio. Interea ex iis lapidibus alii nondum formati, alii nondum assumpti ab Architecto, alii nondum politi, alii nondum ad locum ædificii transvecti, alii jam suum in ædificio locum occupant. In fine seculorum suum quisque locum juxta mentem Architecti habebit in ædificio, eritque perpetuus inter singulos lapides nexus. Tunc Christus Pontifex consecrabit ædificium in æternum ad Dei cultum et habitationem : id est, offeret Christus *Ecclesiam suam* Deo Patri *non habentem maculam aut rugam* (*Ephes.* v. 27.); unum cum ea corpus in æternum erit; magnitudinemque et misericordias Domini cantabit in æternum Ecclesia. (B)

(B) EPHES. II. 20. Supæredificati super fundamentum Apostolorum, et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu : 21. in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino. 22. In quo et vos coædificamini in habitaculum Dei in spiritu.

S. AUG. *Serm.* 336. *aliàs de temp.* 256. *cap.* 1. *n.* 1. Celebritas hujus congregationis, dedicatio est domûs orationis. Domus ergo nostrarum orationum ista est, domus Dei nos ipsi. Si domus Dei nos ipsi, nos in hoc seculo ædificamur, ut in fine seculi dedicemur. Ædificium, immò ædificatio habet laborem, dedicatio exsultationem. Quod hic fiebat, quando ista surgebant, hoc fit modò cùm congregantur credentes in Christum. Credendo enim quasi de silvis et montibus ligna et lapides præciduntur : cùm verò catechizantur, baptizantur, formantur, tanquam inter manus fabrorum et opificum dolantur, collineantur, complanantur. Verumtamen domum Domini non faciunt, nisi quando charitate compaginantur. Ligna ista et lapides si non sibi certo ordine cohærerent, si non se pacificè innecterent, si non se invicem cohærendo sibi, quodam modo amarent : nemo hùc intraret.

Cap. 5. *n.* 5. *Existimemus nos mortuos esse peccato, vivere autem Deo, in Christo Jesu Domino nostro.* (*Rom.* VI. 11.) Ergo in illo cantamus, in illo dedicati sumus. Quò enim caput præcessit, et membra secutura speramus. *Spe enim salvi facti sumus : spes autem quæ videtur, non est spes; quod enim videt quis, quid sperat? si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus* (*Rom.* VIII. 24. *et* 24.), per patientiam ædificamur.

Cap. 6. *n.* 6. Ergo dum novam constructionem sanctæ hujus Ecclesiæ libenter attendimus, quam divino nomini hodie dedicamus, invenimus a nobis deberi et Deo nostro maximam laudem.... Quod hic factum corporaliter videmus in parietibus, spiritualiter fiat in mentibus; et quod hic perfectum cernimus in lapidibus et lignis, hoc ædificante gratiâ Dei perficiatur in corporibus vestris. Principaliter ergo gratias agamus Domino Deo nostro, à quo *est omne datum optimum et omne donum perfectum* (*Jac.* I. 17.); et ejus bonitatem totâ cordis alacritate laudemus, quoniam ad construendam istam domum orationis fidelium suorum visitavit animum, excitavit affectum, surrogavit auxilium.... Hanc enim Ecclesiam, quam fecit nomini suo construi, fecit etiam sanctorum Martyrum reliquiis ampliùs honorari.

Serm. 337. *aliàs* 16. *inter additos à Parisiensibus, in Dedicatione Eccles.* 2. *c.* 1. *n.* 1.... Ista ædificia, quæ congregandis religiosis cœtibus exstruuntur, cùm oculo carnis inspexerit, laudat interiùs quod cernit exteriùs, et visibili accipit lumine, ad quod gaudeat invisibili veritate.... Retribuet ergo Dominus fidelibus suis tam piè, tam hilariter, tam devotè ista operantibus, ut eos quoque ipsos in suæ fabricæ constructione componat, quò currunt lapides vivi, fide formati, spe solidati, charitate compacti. Ubi sapiens ille Architectus Apostolus fundamentum posuit Christum Jesum summum *ipsum lapidem angularem* (1. *Cor.* III. 10.) *ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum et honorificatum.* (1. *Petr.* II. 4.) Huic adhærendo pacamur; huic incumbendo firmamur. Simul enim est et fundamentalis, quia ipse nos regit; et angularis, qui ipse conjungit.

Ipsa est petra, super quam vir sapiens ædificans domum suam, (*Matth.* VII. 24.) contra omnes hujus seculi tentationes tutissimus perseverat: nec pluviâ irruente labitur, nec flumine inundante subvertitur, nec ventis flantibus commovetur. *Ipse est et pax nostra, qui fecit utraque unum.* (*Ephes.* II. 14.)

Cap. 2. *n.* 2. Itaque sicut hoc ædificium visibile factum est nobis corporaliter congregandis; ita illud ædificium, quod nos ipsi sumus, Deo spiritualiter habitaculo construitur. *Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.* (1. *Cor.* III. 17.) Sicut hoc terrenis molibus construimus, sic illud benè compositis moribus erigamus. Hoc enim nunc visitantibus nobis, illud in fine seculi Domino veniente dedicabitur, quando *corruptibile hoc* nostrum *induet incorruptionem, et mortale hoc* nostrum *induet immortalitatem*: (1. *Cor.* XV. 53.) quia *corpus humilitatis nostræ conformabit corpori gloriæ suæ.* (*Philip.* III. 21.).... Cùm ædificamur, gemit ei humilitas nostra; cùm autem dedicabimur, cantabit ei gloria nostra: quia in ædificatione labor est, in dedicatione lætitia. Dum cæduntur de montibus lapides, et ligna de silvis, dum formantur, dolantur, coaptantur; labor et cura est: cùm autem perfecti ædificii dedicatio celebratur, gaudium et securitas laboribus curisque succedunt. Sic etiam ædificatio spiritalis, cujus habitator Deus, non ad tempus, sed in æternum erit, dum ex infideli vita homines segregantur ad fidem, dum quidquid in eis non bonum atque perversum est, amputatur et cæditur, dum fiunt aptæ, pacificæ, piæque junctura; quantæ tentationes timentur, quantæ tribulationes sustinentur? Cùm verò advenerit dies dedicationis domûs æternæ, cùm dicetur nobis: * *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab initio mundi:* (*Matth.* XXV. 34.) quæ illa exsultatio, quæ securitas erit?

Cap. 4. *n.* 4. Eia ergo, Fratres,.... *Quæ sursùm sunt sapite, non quæ super terram.* (*Coloss.* III. 2.) Ideò enim et Christus fundamentum nostrum ibi positus est, ut sursùm versùs ædificemur. Sicut enim terrenis molibus construendis, quarum gravia corpora non utique nisi ad ima devergunt, in imo ponitur fundamentum: sic nobis è contrario sursùm est positus lapis ille fundamentalis, ut sursùm nos rapiat etiam pondere charitatis.... * *Et tanquam lapides vivi cœdificamini in Templum Dei* (1. *Petr.* II. 5.) Tanquam ligna imputribilia de vobis ipsis facite domum Dei. Conquadramini, dolamini, in laboribus, in necessitatibus, in vigiliis, in negotiis, ad omne opus bonum paramini, ut in æterna vita velut compage societatis Angelorum requiescere mereamini.

Cap. 5. *n.* 5. Nunc tamen si bonum temporale opus vestrum, ut æterna sit merces vestra. Nunc fidei speique domum spirituali dilectione construite in omni opere bono.... Fundamenta ergo in cordibus vestris Apostolica et Prophetica monita jacite; humilitatem vestram sicut pavimentum sine offensione prosternite; salutarem in vestro corde doctrinam orationibus et sermonibus tanquam firmis parietibus communite: divinis eos testimoniis tanquam luminaribus illustrate; infirmos sicut columnæ sufferte; inopes sicut tecta protegite; ut Dominus Deus noster pro temporalibus bonis æterna restituat, et vos in æternum perfectos dedicatosque possideat.

Lib. 17. *de Civ. Dei*, *c.* 8. *n.* 2. *et* 3. *vide suprà Part.* 1. *Sect.* 1. *Cap.* 4. 3. 17. *litt.* (E)

S. Bernard. *Serm.* 1. *in Dedicatione Ecclesiæ*, *n.* 1. Festivitas hodierna, Fratres, tanto nobis debet esse devotior, quantò familior est. Nam sic nobis est propria, ut necesse sit, vel à nobis eam, vel à nemine celebrari. Nostra est, quia de Ecclesia nostra: magis autem nostra, quia de nobis ipsis.... Qui enim lapides isti potuerunt sanctitatis habere, ut eorum solemnia celebremus? Habent utique sanctitatem, sed propter corpora vestra. An verò corpora vestra sancta esse quis dubitet, quæ templum sancti Spiritûs sunt, ut sciat unusquisque possidere vas suum in sanctificatione? Itaque sanctæ sunt animæ propter inhabitantem spiritum Dei in vobis; sancta sunt corpora propter animas; sancta est etiam propter corpora domus.

N. 4. In nobis proinde spiritualiter impleri necesse est, quæ in parietibus visibiliter præcesserunt. Et si vultis scire hæc utique sunt: asper-

sio, inscriptio, inunctio, illuminatio, benedictio. Hæc quidem in hac visibili domo fecêre Pontifices, hæc *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum* (*Hebr.* IX. 11.) invisibiliter quotidie operatur in nobis. Primò siquidem aspergit nos hyssopo, ut mundemur, lavemur, dealbemur.... Lavat, inquam, nos in confessione, lavat nos lacrymarum imbre, lavat sudore pœnitentiæ: magis autem lavat nos aquâ illâ pretiosissimâ, quæ de fonte pietatis, id est, ab ejus latere, emanavit.... Non solùm autem, sed inscribit *digito Dei*, *in quo ejiciebat dæmonia*, (*Luc.* XI. 20.) haud dubium quin in Spiritu sancto. Inscribit, inquam, legem suam non jam in lapide, sed *in tabulis cordis carnalibus*, (2. *Cor.* III. 3.) propheticam implens promissionem, quâ se pollicitus est ablaturum *cor lapideum, et carneum cor* (*Ezech.* XI. 19.) esse daturum, id est, non durum, non obstinatum, non Judaicum, sed pium, sed mansuetum, sed tractabile, sed devotum.

N. 5. Unde necesse est ut unctio spiritualis gratiæ adjuvet infirmitatem nostram, observantiarum istarum et multimodæ pœnitentiæ cruces, devotionis suæ gratiâ liniens: quia nec est sine cruce sequi Christum; et sine unctione crucis asperitatem ferre quis posset? Hinc est quòd multi abominantur et fugiunt pœnitentiam, crucem quidem videntes, sed non etiam unctionem..... At postquam unctio gratiæ hujus præcesserit, jam *lucernam suam Christus non ponit sub modio, sed super candelabrum:* (*Luc.* XI. 33.) Quia tempus est *ut luceat lux nostra coram hominibus, et videant opera nostra bona, et glorificent Patrem nostrum qui in cœlis est.* (*Matth.* V. 16.)

N. 6. Jam verò benedictionem quidem exspectamus in fine, quando aperiet *manum suam, et implebit omne animal benedictione.* (*Ps.* CXLIV. 16.).... Nam in quatuor præmissis merita constant, in benedictione sunt præmia. In benedictione tota complebitur gratia sanctificationis, quando jam in domum transibimus non manufactam æternam in cœlis. Ipsa est quæ construitur vivis ex lapidibus, Angelis scilicet et hominibus. Simul enim ædificatio et dedicatio ipsa complebitur. Disjuncta nimirùm ligna et lapides domum non faciunt, nec in eis habitare quis potest; sola verò conjunctio domum facit. Sic cœlestium spirituum perfecta unitas, sine ulla sibi divisione connexa integram et congruam Deo reddit habitationem, quam ineffabiliter beatificat inhabitans gloria majestatis.

N. 7. Verùm quia cohærere quidem sibi domum illam et perfectè connexam esse jam diximus, superest ut junctura et connexionem ipsam aliquatenus exprimamus. Legimus in Isaïa: *Glutino bonum est.* (*Isai.* XLI. 7.) Duplici igitur sibi cohærent lapides illi glutino; cognitionis plenæ, et perfectæ dilectionis. Tantò siquidem majori ad se invicem dilectione copulantur, quantò ipsi charitati, quæ Deus est, viciniores assistunt.

IVO Carnotens. Episcop. *Serm. 4. de sacramentis Dedicationis.* Quoniam ad dedicationem præsentis basilicæ hodie devotè convenistis, oportet ut, quod in his sanctis manufactis fieri videtis, totum impletum esse in vobis cognoscatis. Primò enim manibus Patrinorum ad Ecclesiam fuistis allati, et Sacerdotibus vel Exorcistis ad catechizandum oblati. Qui dum vos catechizarent, dum Christi legibus initiarent, de massa antiqua prævaricatione corrupta præcidebant: et ipsa fidei professio et pravorum morum abrenuntiatio, quæ à vobis exigebatur, interiorem parturiebat in vobis novitatem, quâ Christi imaginem de cœlo portaretis, renati per gratiam, sicut *anteà portaveratis imaginem terreni* parentis, (1. *Cor.* XV. 49.) ex eo geniti per naturam. His documentis instructi accessistis ad aquam, et fonte salutis ablati estis, ubi secundùm Apostolum per trinam mersionem *Christo consepulti estis;* (*Rom.* VI. 4.) ut quemadmodum ipse semel carne est mortuus, *et resurgens ex mortuis, jam non moritur:* (*Ibid.* 9.) ita vos à peccatis ablati et primâ resurrectione regenerati, morti animæ, id est, peccato, subjiciamini. Deindè oleo sancto uncti fuistis in capite, ut charitas, quæ per Spiritum sanctum datur, semper abundet in corde... Accepistis etiam oleum sanctum in pectore, ut vigeret in corde vestro sapientia. Accepistis et in humero dextro, ut in exercitiis bonorum operum indeficiens servetur patientia.... Quia verò in humeris vigor constat portandi oneris, hujus partis unctione Christi athletæ

I. Quid sibi volunt preces et ritus quibus dedicatur Ecclesia ab Episcopo ?

R. Id explicabimus in tertia Parte hujus Operis. (*Sect.* 2. *Cap.* 8. §. 7. *et* 8.)

I. Cur celebratur quotannis memoria dedicationis Ecclesiæ?

R. Celebratur et ratione ædificii materialis , et ratione ædificii spiritualis , de quo mox diximus. (C)

Ratione ædificii materialis ; ut agantur gratiæ Deo , qui adesse non dedignetur templis nostris , ibique preces nostras exaudire , et pascere nos tum gratiâ suâ , tum verbo suo , tum Christi filii sui carne et sanguine. (D)

Ratione ædificii spiritualis ; ut meminerimus esse nos templum Dei , vocarique in partem ædificii cœlestis , hujusque spei intuitu perferenda esse omnia adversa , quia his adversis veluti per manum artificis ex mandato Architecti perpoliti aptamur ad ædificium. (E)

I. Cur tot accenduntur hodiè juxta parietes templi luminaria ?

R. 1. Ut sic *gloriemur in spe gloriæ filiorum Dei :* Id est, ut dedicati estis , ut sciatis vos ad certamen esse vocatos , et per totum vitæ vestræ curriculum contra antiquum hostem publicis et privatis congressionibus esse pugnaturos. Data est vobis ad ultimum vestis candida, caput et membra cooperiens , quæ candore suo figuram præferebat acceptæ novitatis et spem futuræ immortalitatis , ad quam de spe ad speciem venietis , si cum veste candidâ , id est, vitæ innocentiâ ad nuptias Regis intraveritis. His ergo sacramentis initiati et confirmati, facti estis templum Dei vivi fundati in fide, superædificati in charitate , cumulati spe de promissâ æternitate.

Lapides qui ad hanc fabricam ædificandam comportati sunt , aut de montibus sunt præcisi , aut de locis subterraneis eruti , aut de agris collecti. Adhibita est dehinc cæmentariorum manus , quæ tundente frequenter ferro , superjectâ regulâ , scrupulositatem et informitatem lapidum complanaret , et ad debitam quadraturam , quâ majores minoribus in paritate comparari possent artis suæ disciplinâ perduceret. Videmus hoc in Sancto Dei templo spiritualiter impleta , cùm vos de omni genere hominum , sublimium , humilium , mediocrium ad audiendum verbum vitæ convenistis , et cœlestis disciplinæ dolabro fortitudinem veteris vitæ deponere voluistis , ut in Dei beneficio tanquam perpoliti lapides ordinari possetis , ubi jam non aspernaretur nobilis ignobilem , dives pauperem , quem cognosceret secum in cœlis eumdem habere Patrem. Addita est etiam complanatis lapidibus , cùm in parietibus ad ordinem unius lineæ collocarentur , sicut nostris , cæmenti glutinosa tenacitas , quæ lapides invicem constringeret , et ab imposito sibi ordine separari non permitteret... et hoc in templo non manufacto fieri videmus , cùm eos quos congregavit fidei unitas, ligat indissolubilis charitas : ne indignetur major de prælatione minoris , ne conqueratur major de correptione minoris. Cùm dicat Apostolus : *Invicem onera portate , et sic adimplebitis legem Christi.* (*Galat.* VI. 2.) Ipsum templum primum suo modo et suo ordine baptizamus.

(C) *Vide suprà hocce* §. *litt.* (B) SS. Aug. et Bernard. *locis citatis.*

(D) Deuteron. IV. 17. Nec est alia natio tam grandis , quæ habeat Deos appropinquantes sibi , sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris.

3. Reg. VIII. 39. Tu exaudies in cœlo in loco habitationis tuæ , et repropitiaberis , et facies ut des unicuique secundùm omnes vias suas , sicut videris cor ejus (quia tu nosti solus cor omnium filiorum hominum.)

(E) *Vide* Aug. *Serm.* 336. *et* 337. *suprà hocce* §. *litt.* (B)

significemus hoc lumine lætitiam de vocatione nostra ad æternum Christi ædificium : simulque profiteamur quemadmodum hæc lumina in honorem Domini accensa consumuntur, ita et nos paratos esse nostra omnia vitamque ipsam pro Dei honore profundere.

2. Lumina hæc juxta parietes accensa typum gerunt Apostolorum, quos Christus appellavit lucem mundi, et Paulus fundamenta Ecclesiæ. (*Ephes.* II. 20.) (F) Hæc fusiùs alibi explicabimus.

I. Quid agendum in hoc festo ex mente Ecclesiæ?

R. 1. Cogitandum quanta debeatur reverentia templis quibus Deus ipse adest.

2. Adeoque diligendus decor domûs Dei, et ejus exteriori ornamento libenter providendum.

3. Cùm sit Ecclesia consecrata specialiter in domum orationis, orationes ibi fundendæ libentiùs et frequentiùs. (G)

4. Videndum ne violetur templum Dei quod nos sumus.

5. Orandus Deus ut det nobis misericorditer locum in ædificio cœlesti, et intereà hic urat, hic secet, modò parcat et in æternum parcat. (H)

I. Estne veteri in more positum ut Ecclesiæ dedicentur?

R. Jussu Dei ipsius facta est dedicatio templi Jerosolymitani. Hunc eumdem ritum usurpavit Ecclesia, ubi primùm ipsi licuit templa construere. Quidquid enim ad publicum religionis usum destinatur, id Ecclesia ex Apostolica traditione benedixit semper, et solemni ritu consecravit : Quantò magis Ecclesias. (I)

(F) EPHES. II. 20. Superædificati super fundamentum Apostolorum.

(G) S. BERNARD. *Serm.* 4. *in Dedicat. Eccl. n.* 4. Licèt enim parietes hos et dici sanctos, et esse faciat consecratio Episcoporum, frequentatio Scripturarum, instantia orationum, reliquiæ Sanctorum, visitatio Angelorum : minimè tamen eorum sanctitas propter se credenda est honorari, quos nec propter se certum est sanctificari. Quinimò sancta est propter corpora domus, corpora propter animas, animæ propter Spiritum inhabitantem.

Serm. 6. *de Dedicat. Eccles. n.* 1. Domestica nobis celebritas dedicatio domûs nostræ... Nostra siquidem illa aspersio, nostra illa benedictio, nostra consecratio fuit. Jacob, et dormiens *vidit descendentes Angelos et ascendentes.* (*Gen.* XXVIII.. 12.) Parum est hoc; etiam Dominum Angelorum adesse testatus est, dicens : *Verè Dominus est in loco isto, et ego nesciebam.* (*Ibid.* 16.) Miratur enim gratiam, et dignationis magnitudinem expavescit. Quàm terribilior est iste locus, quàm evidentiùs cerliùsque Dominus est in loco isto : ubi nimirùm non modò duo aut tres, sed tam multi in ipsius congregati nomine perseverant. Nemo jam nesciat, nemo vestrùm ignoret. Terribilis planè locus et dignus omni reverentiâ, quem fideles viri inhabitant, quem Angeli sancti frequentant, quem suâ quoque præsentiâ Dominus ipse dignatur.

N. 2. Ibi verè est, et verè Dominus est, ubi in ejus nomine Angeli simul et homines congregamur.

N. 3. Cæterùm in loco isto verè Dominus est, si tamen serviamus ei in spiritu et veritate... Nos quomodo hic esse debemus, in quanta reverentia stare in loco isto, ubi Deus est operans et servans?

(H) S. AUG. *Serm.* 336. *et* 337. *et* S. BERNARD. *Serm.* 1. *de Dedicatione Ecclesiæ. Vide suprà hocce* §. *litt.* (B)

(I) *Id fusè probare conabimur in* 3. *Parte hujus Operis, ubi* de ritibus consecrationis Ecclesiæ *agemus, Sect.* 2. *Cap.* 8. § 7.

I. Cujus rei typus fuit dedicatio templi Jerosolymitani?

R. Ejusdem rei, cujus nostrarum Ecclesiarum dedicatio: id est, typus dedicationis templi cœlestis. (K)

CAPUT TERTIUM.

De secundo Ecclesiæ Præcepto, scilicet de audiendo Sacro diebus Dominicis et Festis, et de Missa Parochiali.

I. QUODNAM est alterum Ecclesiæ præceptum?

R. Ut singulis diebus Dominicis et festis feriatis, singuli fideles piè intersint integræ Missæ. (A)

(K) *Vide hæc suprà Part.* I. *Sect.* I. *Cap.* 4. §. 17.

(A) CONC. AGATHENSE *cap.* 47. *ann.* 506. *sub Symmacho Papa.* Missas die Dominico à secularibus totas teneri speciali ordinatione præcipimus: ita ut ante benedictionem Sacerdotis egredi populus non præsumat. Qui si fecerint, ab Episcopo publicè confundantur.

CONC. AURELIAN. I. *can.* 26. *ann.* 511. *sub Symmacho Papa.* Cùm ad celebrandas Missas in Dei nomine convenitur, populus non antè discedat, quàm Missæ solemnitas compleatur, et ubi Episcopus fuerit, benedictionem accipiat Sacerdotis.

S. CÆSARIUS *Homil.* 80. *in append. tom.* 5. S. Aug. *Serm.* 281. *n.* 1. Rogo vos, Fratres charissimi, et paternà pietate commoneo, ut quoties, aut in die Dominico, aut in aliis majoribus festivitatibus Missæ fiunt, nullus de Ecclesia discedat, donec divina mysteria compleantur; et quamvis multi sint, de quorum fide et devotione gaudeamus, sunt tamen plures minùs de salute animæ suæ cogitantes, qui lectis divinis lectionibus statim de Ecclesia foris exeunt. Cùm tamen etiam dum ipsæ lectiones leguntur, aliqui ex illis ita otiosi, et secularibus fabulis occupantur, ut eas nec ipsi audiant, nec alios audire permittant; isti tales minùs à nobis culparentur si ad Ecclesiam non venirent: quia ibi probantur ampliùs Deum lædere, ubi peccatorum poterant indulgentiam promereri.

N. 2. Non tunc Missæ fiunt quando divinæ lectiones in Ecclesia recitantur, sed quandò munera offeruntur, et Corpus vel Sanguis Domini consecratur. Nam lectiones sive Prophecticas, sive Apostolicas, sive Evangelicas etiam in domibus vestris aut ipsi legere, aut alios legentes audire potestis: consecrationem verò Corporis vel Sanguinis Domini non alibi nisi in domo Dei audire, vel videre poteritis. Ideò qui vult Missas ad integrum cum lucro animæ suæ celebrare, usquequo oratio Dominica dicatur et benedictio populo detur, humiliato corpore et compuncto corde se debet in Ecclesia continere... Si ergo etiam illi periclitantur qui intùs sunt... quid de se cogitant illi quos aut insatiabilis cupiditas, aut amor seculi istius ita detinet implicatos, ut eos unius horæ momento stare in Ecclesia non permittat? Quibus non sufficit quòd per totam hebdomadam aut pro necessitate, aut fortè, quod verius est, pro cupiditate jugiter occupantur: adhuc insuper post unius aut duarum horarum spatium, quo videntur magis corpore quàm corde ad Ecclesiam convenire, mittentes dorsa sacrificiis vel Sacerdotibus Dei, ad amplexandam voluptatem seculi hujus sine mora aliqua revertuntur. Qui non agnoscentes quid exspectant, quid relinquant, sequuntur tenebras, et deserunt lucem: amplectuntur umbram, et despiciunt veritatem; dimittunt dulcedinem Christi, et requirunt amaritudinem mundi, diligentes vanitatem et quærentes mendacium. Verè ignorat quantùm boni in celebrandis Missis agitur, qui de Ecclesia festinus egreditur.

N. 3... Quare de spiritali et divino convivio citò discedimus?... Hoc ideo facimus, quia nec de cibo animæ curamus, nec Deum timemus, nec hominem reverèmur. Et quia, Deo propitio... multi inveniuntur qui cum grandi compunctione usque quò benedictio super populum detur, de Ecclesia non discedunt, et humiliter orare non solùm pro se, sed et pro

aliis non desistunt. Illis quibus tantam compunctionem Deus dedit, ut in Ecclesia perseverent, retribuet mercedem : eos verò, qui negligentes sunt, justo judicio damnabit. Et ideò, Fratres, monete eos qui nec orationem Dominicam dicere, nec benedictionem accipere volunt : et non desinatis castigare, dicentes et difinitissimè comminantes, quia nihil eis prodest quòd divinas lectiones audiunt, si, antequam divina mysteria compleantur, abscedunt. Illis autem qui in publicis necessitatibus occupantur, et eis qui aliquâ infirmitate prohibente exspectare non possunt, imputare non possumus nec debemus. Ipsi tamen videant in conscientia sua, utrùm eos necessitas retrahat, an voluntas.

N. 4. Undè iterùm atque iterùm rogo pariter et contestor, ut omni die Dominico, et præcipuè in majoribus festivitatibus, donec divina mysteria compleantur, nullus de Ecclesia discedat.... Verè dico, Fratres, satis durum, et propè nimis impium est, ut Christiani non habeant reverentiam diei Dominico, quam Judæi observare videntur in sabbato. Cùm enim ipsi infelices ita sabbatum observent, ut in eo nihil terreni operis exercere præsumant : quantò magis illi qui non auro, non argento, sed pretioso sanguine Christi redempti sunt, debent attendere pretium suum, et resurrectionis die Deo vacare, et de salute animæ suæ attentiùs cogitare. Ad extremum si toto die Dominico lectioni insistere et Deo supplicare negligimus, non leviter in Deum peccamus ; quantum mali est, si vel unius, vel duarum horarum spatio, dum divina mysteria celebrantur, in Ecclesia standi patientiam non habeamus.

N. 5. Undè iterùm rogo, ut nullus ex vobis de Ecclesia discedat, nisi cùm divina mysteria ad integrum fuerint celebrata. Et ita vos in Ecclesia continete, ut nullus ex vobis otiosis aut terrenis se fabulis studeat occupare.

Homil. 81. *in App. tom.* 5. S. Aug. *E. B. Serm.* 282. *n.* 1. Si velletis agnoscere et diligenter attendere, Fratres charissimi, quantus dolor et quanta amaritudo sit in animo meo, quando vos video Missas ad integrum perexspectare non velle ; et in vobis et in me poteratis habere misericordiam. Qui enim intelligit quid in Ecclesia agitur, quando divina mysteria celebrantur, agnoscit quantum malum faciunt illi qui de Ecclesia, non expletis Missis, sine aliquo grandi necessitate discedunt. Et ideò si et me de tribulatione animæ liberare, et vos de peccato vultis absolvere, nolite me contemnere supplicantem ; timentes illud quod de Sacerdotibus Dominus dixit, *Qui vos audit, me audit ; et qui vos spernit, me spernit.* (*Luc.* x. 16.) Nam qui de Ecclesia, non perexspectatis Missis, citò discedere nec metuit nec erubescit, dupliciter se peccare non dubitet, dum divina mysteria deserit, et Sacerdotem pro se sollicitum contristat et despicit. Si ad exercenda aliqua terrena et laboriosa opera vos invitaret humilitas nostra, credimus quòd nobis obedientiam præstaret charitas vestra. Cùm verò non ad terrena, sed ad cœlestia : nec ad temporalia, sed in æternum animæ profutura vos studia provocamus, nec aliqua lucra transitoria requirimus, sed ad cœlestes thesauros vos invitamus ; considerate in quo periculo remaneant, qui nobis obedientiam accommodare dissimulant.

N. 3. Et ideò vos, quibus Deus et timorem et amorem suum conferre dignatus est, et cum grandi compunctione ad Ecclesiam convenitis, eos qui venire huc usque aut noluerunt, aut fortè non potuerunt, frequentissimè castigate, monentes eos et salubre consilium dantes, ut illud timeant quod scriptum est, *Impedimenta mundi hujus fecerunt eos miseros.* Non enim dicimus ut non debeant esse solliciti de victu et vestitu suo ; sed hoc rogamus, ut unius aut duarum horarum spatio, dum lectiones leguntur, vel divina mysteria celebrantur, de Ecclesia non discedant ; et vel tantùm laborent pro anima sua, quantùm pro carne sua laborare contendunt. Et quamvis multò ampliùs animæ quàm carni debeant providere : quia melior est illa quæ ad imaginem Dei facta est ; quàm illa quæ de limo terræ formata est : nos tamen ad præsens hoc suademus, ut eis vel æqualiter quod opus habent providere contendant : carni præparent quod parvo tempore sufficiat in hoc mundo, et animæ quod sine fine opus est in æternum.

Serm. 82. *in Appendice tom.* 5. S. Aug. *E. B. Serm.* 283. *n.* 1.... Gaudeo,

Fratres dilectissimi, et Deo gratias ago, quia vos ad audiendas lectiones divinas video ad Ecclesiam fideliter currere. Sed si et profectum vestrum et gaudium nostrum complere ad integrum vultis, maturiùs convenire debetis. Nam in tam prolixis noctibus, quem non infirmitas detinet, non sine reatu animæ suæ tardiùs ad Ecclesiam venit. Rogo vos, fratres, si sutores, aurifices, fabri, vel reliqui artifices maturiùs vigilant, ut possint corporis necessaria providere; nos non debemus ante lucem ad Ecclesiam surgere, ut peccatorum indulgentiam mereamur accipere?... Et ideò rogo vos, ut maturiùs veniatis, et cùm veneritis, magis orare et psallere, quàm otiosis vos vel secularibus studeatis fabulis occupare. Qui enim ad Ecclesiam veniens verbosari voluerit, meliùs illi fuerat non venisse: quia dum se infructuosis fabulis occupat, nec ipse psallit, nec alios psallere, aut lectiones audire permittit. Qui talis est, etsi cum parvo peccato ad Ecclesiam venit, cum majori ad domum propriam redit: quia ibi se verbosando studuit vulnerare, ubi psallendo, vel orando, et sibi et aliis medicamenta potuit providere.

N. 2. Ante omnia, Fratres charissimi, quoties orationi incumbimus, cum silentio et quiete supplicare Deo debemus: quia quicunque voluerit cum alta voce orare, omnibus juxta se stantibus orationis fructum videtur auferre. Rugitus tantùm et suspiria, vel gemitus audiantur. Nam oratio nostra talis esse debet, qualis fuisse legitur sanctæ Annæ matris beati Samuëlis: sic enim de illa scriptum est, *quia flens orabat. Et labia ejus tantummodo movebantur, et vox penitùs non audiebatur.* (1. *Reg.* I. 10. *et* 13.) Audiant hæc omnes, et imitentur præcipuè illi qui ita altâ garrulitate sine ulla verecundia cum strepitu vocis orant, ut juxta se alios orare non permittant. Oremus ergo cum suspirio, rugitu vel gemitu, secundùm illud prophelicum: *Rugiebam à gemitu cordis mei.* (*Ps.* XXXVII. 9.) Oremus non voce sonante, sed conscientiâ ad Deum clamante.

N. 3. Orantes.... quantùm possumus, adjuvante Domino laboremus, ut nulla nobis extranea cogitatio subrepere possit: ne fortè aliquid habeamus in corde, et aliud proferamus ex ore: ne fortè dum lingua Deum rogat, cogitatio in rebus variis occupata ob orationem sensu discedat; et indè acquirat peccatum, undè potuit habere remedium.... Ideò unusquisque antequam in oratione procumbat, omnes cogitationes superfluas ab animi sui intentione Deo auxiliante repellat: ut anima nostra sancti Spiritûs fervore succensa, omne vitium compunctionis vel orationis igne consumat.

N. 4.... Quantùm mali erit.... si in oratione positi, cupiditatem, si odium, si iracundiam, si luxuriam vel adulteria.... ante cordis nostri oculos proponamus.

CAN. Quandò. *De consecratione, distinct.* 1. *cap.* 70. Quando autem stamus ad orationem, Fratres dilectissimi, vigilare, et incumbere ad preces toto corde debemus: cogitatio omnis carnalis et secularis abscedat: nec quidquam tunc animus quàm id solùm cogitet, quod precatur. Ideò et Sacerdos ante orationem præfatione præmissâ parat fratrum mentes, dicendo: *Sursum corda*, ut dum respondet plebs *Habemus ad Dominum*, admoneatur nihil se aliud, quàm Dominum cogitare debere. Claudatur contra adversarium pectus, et soli Deo pateat, nec se hostem Dei, tempore orationis adire patiatur.

Cap. Dolentes. *Extra de celebrat. Missar. etc. l.* 3. *tit.* 41. *cap.* 9. Dolentes referimus,.... sunt et alii qui Missarum solemnia vix celebrant quater in anno, (et quod deterius est) interesse contemnunt: et si quando cùm hæc celebrantur intersint, chori silentium fugientes, intendunt exteriùs collocutionibus Laïcorum: dumque auditum ad indebitos sermones effundunt, aures intentas non porrigunt ad divina. Hæc igitur et similia sub pœna suspensionis penitùs inhibemus, districtè præcipientes in virtute obedientiæ, ut divinum officium nocturnum pariter et diurnum, quantùm eis dederit Deus, studiosè celebrent pariter et devotè.

Vide insuper quæ dicimus exponendo sacrificium Missæ, *hujusce Operis Part.* 3. *Sect.* 2. *Cap.* 7. §. 20. *et* CONCIL. BURDIGAL. *infrà hocce §. litt.* (G)

I. Estne jam diu hoc ab Ecclesia præceptum ?

R. Jam à primis Ecclesiæ seculis. (B) Patet ex Actibus

(B) S. JUSTIN. Mart. *Apolog.* 1. *pag.* 98. Et Solis, qui dicitur, die, omnium qui vel in oppidis vel ruri degunt, in eumdem locum conventus fit : et Commentaria Apostolorum aut scripta Prophetarum, quoad tempus fert leguntur. Deinde, lectore quiescente, Præsidens orationem, quâ populum instruit, et ad imitationem tam pulchrarum rerum cohortatur, habet. Sub hæc consurgimus communiter omnes et precationes profundimus : et, sicuti retulimus, precibus peractis panis offertur, et vinum, et aqua : et Præpositus itidem, quantùm pro virili sua potest, preces et gratiarum actiones fundit : et populus fausiè acclamat, dicens ; *Amen.* Et distributio communicatioque fit eorum, in quibus gratiæ sunt actæ, cuique præsenti : absentibus autem per Diaconos mittitur... Solis autem die communiter omnes conventum agimus : quandoquidem is primus dies est quo Deus tenebras et materia, quam priùs creaverat, versà mundum effecit ; et Jesus Christus servator noster eo ipso die à mortuis resurrexit. Pridie enim Saturni dici, ille in crucem actus est : et postridie ejusdem, qui scilicet Solis est dies, Apostolis et Discipulis suis apparuit.

S. LEO *Epist.* 11. *aliàs* 81. *ad Dioscor. Alexandr. c.* 1. *Vide suprà* ". 1. *Cap.* 4. *Sect.* 3. *hujusce Part. litt.* (C) *Et* S. CÆSARII *Homil.* 80. *Vide suprà hocce* §. *litt.* (A)

In Comm. CLERI GALLIC. *tom.* 4. *de Cultu div. part.* 3. *tit.* 2. *cap.* 1. §. 1. *ex* CONSTIT. APOST. *lib.* 2. *cap.* 59. Die Dominico qui est dies Resurrectionis, studiosiùs Templum Domini adite, ut Deum laudibus celebretis, qui fecit omnia per Christum, quem ad nos misit, et pro nobis mori permisit, et à mortuis excitavit : quid enim apud Deum excusare poterit, qui eo die ad audiendum verbum Dei salutare de resurrectione non convenit ? Quo quidem die precationes tres stantes facimus, memores ejus qui post triduum resurrexit, in quo item adhibentur, lectio Prophetarum, Evangelii prædicatio, oblatio Sacrificii, et sacri cibi donum.

Ex S. IGNATII *Epist. ad Magn.* Omnis Christi amator Dominicum celebret diem Resurrectioni consecratum Dominicæ, reginam et principem omnium dierum.

Ex EUSEB. CÆSAR. *Lib.* 4. *de vita Constant. cap.* 18. Diem verò precationibus congruum haberi constituit, eum qui primus est et caput cæterorum, et qui reverà Dominicus est ac salutaris... Atque ob hanc causam cunctis sub Imperio Romano degentibus præcipit, ut Dominico die feriarentur ; utque diem qui est pridie sabbati similiter honorarent : in memoriam, ut videtur, earum rerum quæ à communi omnium Servatore illis diebus gestæ esse perhibentur.

Ex SOZOM. *Hist. Eccles. lib.* 1. *cap.* 8. Die Dominico quem Hebræi quidem primum sabbati appellant, Gentiles verò Soli consecraverunt, et eo qui sabbatum antecedit : cunctos à judiciis, aliisque negotiis feriari præcepit, precibusque ac supplicationibus Deum colere : ac Dominicum quidem diem ideò honoravit quod Christus eo die à mortuis surrexisset ; etc.

Ex Cod. JUSTINIAN. *Lib.* 3. *tit.* 12. *de Feriis.* Omnes Judices, urbanæque plebes et cunctarum artium officia, venerabili die Solis quiescant. Ruri tamen positi, agrorum culturæ libere, licenterque inserviant, quoniam frequenter evenit ut non aptiùs alio die frumenta sulcis, aut vineæ scrobibus mandentur, ne occasione momenti pereat commoditas cœlesti provisione concessa.

Ex Epist. S. AUG. 55. *aliàs* 119. *ad Januar.* Dies tamen Dominicus non Judæis, sed Christianis Resurrectione Domini declaratus est, et ex illo habere cœpit festivitatem suam.

Ex Serm. 251. *de temp. nunc Append.* 280. Dominicum Diem Apostoli, et Apostolici viri ideò religiosâ solemnitate habendum sanxerunt, quia in eodem Redemptor noster à mortuis resurrexit. Quique ideò Dominicus appellatur, ut in eo à terrenis operibus vel mundi illecebris abstinentes, tantùm divinis cultibus serviamus : dantes scilicet diei huic honorem et

Apostolorum convenisse jam tum Christianos primâ die cujuscunque hebdomadæ ad frangendum panem, id est, celebrandam Missam. (C)

I. Cur præcipit Ecclesia diebus Dominicis festis omnes sacro interesse ?

reverentiam, propter spem Resurrectionis nostræ quam habemus in illa. Nam sicut ipse Dominus Jesus Christus et Salvator resurrexit à mortuis, ita et nos resurrecturos in novissimo die speramus. Apparet autem hunc etiam in Scripturis sanctis esse solemnem : ipse enim est primus dies seculi, in quo formata sunt elementa mundi ; in ipso creati sunt Angeli; in ipso quoque à mortuis resurrexit Christus ; in ipso de cœlis Spiritus sanctus super Apostolos descendit ; manna in eodem in eremo primùm de cœlo datum est. His enim speciebus ac talibus judiciis, Dominica dies exstat insignis, ideò sancti Doctores Ecclesiæ decreverunt omnem gloriam Judaïci sabbatismi in illam transferre ; ut quod ipsi in figura, nos celebraremus in veritate : quia tunc erit requies nostra, quando resurrectio fuerit perpetrata, remuneratio in anima et corpore simul perfecta. Observemus ergo diem Dominicam, fratres, et sanctificemus illam, sicut antiquis præceptum est de sabbato, dicente Legislatore, *vespere usque ad vesperam celebrabitis sabbata vestra.* Videamus ne otium vestrum vanum sit, sed à vespera diei sabbati usque ad vesperam diei Dominici sequestrati à rurali opere et ab omni negotio, soli divino cultui vacemus. Sic quoque sanctificamus ritè sabbatum Domini, dicente Domino, *omne opus non facietis in eo.* Veniat ergo cuicunque possibile sit ad vespertinam atque nocturnam celebrationem, et oret sibi in conventu Ecclesiæ pro peccatis suis Deum. Qui verò hoc non possit, saltem in domo sua oret, et non negligat Deo solvere votum, ac reddere pensum servitutis. In die verò nullus se à sacra Missarum celebratione separet, neque otiosus quis domi remaneat, cæteris ad Ecclesiam pergentibus, neque in venatione se occupet, et diabolico mancipetur officio, circumvagando campos et silvas, clamorem et cachinnum ore exaltans ; non gemitum nec orationis verba ex intimo pectore ad Deum proferens. Adhuc quoque quod detestabilius est, ad Ecclesiam aliqui venientes, non intrant, non insistunt precibus, non exspectant cum silentio sanctarum Missarum celebrationem : sed quandò lectiones divinæ intùs leguntur, tunc ipsi foris, aut causas dicere, aut diversis student calumniis impugnare, aut videlicet in alea vel in jocis inutilibus insudare... Nolite hæc facere, Fratres mei, nolite vosmetipsos decipere, nolite in conventu vestro locum dare diabolo : sed magis vosmetipsos præparate hospitium Christo. Non ergo foris fabulis, sed intùs psalmodiæ et orationibus studete. Nolite invicem in Ecclesia verbosari, sed quieti estote ; sunt enim plurimi et præcipuè pleræque mulieres, quæ ita in Ecclesia garriunt, ita verbosantur, ut lectiones divinas nec ipsæ audiant, nec alios audire permittant : Nunquid talis conventus cum tali ordine in domo Dei debet fieri, aut aliter decet in conspectu Dei et sanctorum Angelorum ejus assistere? Adhuc quoque, quod valdè dolendum est, conqueri vobiscum volo, quia sunt aliqui et maximè potentes istius mundi, qui, cùm veniunt ad Ecclesiam, non sunt devoti ad laudes Dei celebrandas, sed cogunt Presbyterum ut abbreviet Missam, et ad eorum libitum cantet : nec ei licet morem Ecclesiasticum sequi propter illorum gulam et avaritiam, quatenus unus punctus diei ad Dei officium et reliquum diurnum spatium cum nocte simul ad eorum deputetur voluptates.

Ex CONCIL. TURON. III. *ann.* 813. *can.* 38. Sacerdotes debent fideles admonere, ut quando ad Ecclesiam conveniunt, sine strepitu ac tumultu eam ingrediantur, in qua etiam quandiu orationis causà morantur, nequaquam inanes inter se proferant confabulationes ; sed et tempore quo Missarum solemnia celebrantur, non solùm ab otiosis et inutilibus verbis, verùm etiam à perniciosis cogitationibus funditùs abstinendum est.

S. CÆSARIUS *Homil.* 80. *Vide suprà hocce* §. *litt.* (A)

(C) ACT. XX. 7. Unà autem Sabbati cùm convenissemus ad frangendum panem, etc. *Vide quæ dicemus infrà Part.* 3. *Sect.* 2. *Cap.* 7. §. 18. *ubi agemus* de diebus in quibus Missæ sacrificium celebrare convenit.

R. Quia his diebus Dei cultui consecratis nihil agi sanctius vel utilius Missæ sacrificio. (D)

I. Quid hoc rei est *piè* adesse Missæ sacrificio ?

R. Id est modestè, attentè, et reverenter adesse. (E)

I. Cui Missæ adesse tenemur ex præcepto Ecclesiæ ?

R. Tenetur unusquisque ex Ecclesiæ præcepto, adesse diebus Dominicis et solemnioribus festis, Missæ potissimùm Parochiali. (F)

I. Peccatne qui his diebus abest à Missa Parochiali ?

R. Peccat, si absit sine legitimo impedimento. Siquidem pluribus in Conciliis tum antiquis tum recentioribus, excommunicandos esse judicavit Ecclesia eos qui nullo impedimento legitimo irretiti, tribus continuis diebus Dominicis à Parochiali Missa abfuerint. Non autem excommunicandos censet Ecclesia eos qui nullius peccati labe teneantur. (G)

(D) *Vide quæ dicimus infrà Part.* 3. *Sect.* 2. *Cap.* 7. §. 9. *in quo* sacrificii Missæ dignitatem, etc. *commendamus.*

(E) *Huic quæstioni fusè satisfacimus infra agendo de* sacrificio Missæ, *in hujusce Operis Parte* 3. *Sect.* 2. *Cap.* 7. §. 20.

(F) CONCIL. TRIDENT. *Sess.* 22. *ann.* 1562. 17. *Septembris*, *Decreto de observandis et evitandis in sacrif. Missæ.* Moneant etiam eumdem populum (Episcopi) ut frequenter ad suas Parœchias, saltem diebus Dominicis, et majoribus festis accedant.

Sess. 24. *cap.* 4. *de réformatione* 11. *Novembris* 1563. Pio P. IV. Prædicationis munus, quod Episcoporum præcipuum est, cupiens sancta Synodus, quò frequentiùs possit ad fidelium salutem exerceri, canones alias super hoc editos sub felicis recordationis Paulo tertio, aptiùs præsentium temporum usui accommodando, mandat ut in Ecclesia sua ipsi per se, aut, si legitimè impediti fuerint, per eos quos ad prædicationis munus assument, in aliis autem Ecclesiis per Parochos, sive iis impeditis, per alios ab Episcopo impensis eorum qui eas præstare vel tenentur, vel solent, deputandos in civitate, aut in quacunque parte Diœcesis censebunt expedire, saltem omnibus Dominicis, et solemnibus diebus festis, tempore autem jejuniorum Quadragesimæ, et Adventûs Domini quotidie, vel saltem tribus in hebdomada diebus, si ita oportere duxerint, sacras Scripturas, divinamque legem annuntient : et alias, quotiescumque id opportunè fieri posse judicaverint. Moneatque Episcopus populum diligenter, TENERI UNUMQUEMQUE PAROCHIÆ SUÆ INTERESSE, ubi commode id fieri potest, ad audiendum verbum Dei. Nullus autem secularis, aut regularis etiam in Ecclesiis suorum ordinum, contradicente Episcopo, prædicare præsumat. Idem etiam, saltem Dominicis et aliis festivis diebus, pueros in singulis Parochiis fidei rudimenta, et obedientiam erga Deum et parentes, diligenter ab iis ad quos spectabit, doceri curabunt : et, si opus sit, etiam per censuras Ecclesiasticas compellent ; non obstantibus privilegiis, et consuetudinibus.

(G) CONC. ELIBERITANUM, *Can.* 21. *sub* MARCELLO Papa I. *ann.* 305. Si quis in civitate positus tres Dominicas ad Ecclesiam non accesserit, pauco tempore abstineat, ut correptus esse videatur.

CONC. SARDICENSE Generale, *Canone* XI. *an.* 347. *sub* JULIO Papa I. Osius Episcopus dixit... Recordemini autem Patres nostros in tempore præterito judicavisse, ut si quis laicus in aliqua urbe agens tribus diebus Dominicis, in tribus hebdomadibus non conveniat, (*alia versio* : non *celebrasset conventum*) is communione moveatur.

CONCIL. 1. NAMNETENSE, *Can.* 1. Ut Dominicis et festis diebus Presbyteri antequam Missas celebrent plebem interrogent, si alterius Parochianus in Ecclesia sit, qui proprio contempto Presbytero ibi Missam velit audire. Quem si invenerint, statim ab Ecclesia ejiciant, et ad suam Parochiam redire compellant.

Can. 2. Ut nullus Presbyter, alterius Parochianum, nisi in itinere fuerit, vel placitum ibi habuerit, ad Missam recipiat.

CONCIL. PONTIGON. *ann.* 876. *Can.* 7. Ut Episcopi secundùm sacram jussionem Domini nostri Jesu Christi, prædicationem per se, vel per suos congruenter exerceant, et Presbyteros suos ut similiter faciant instruere procurent. Et ut seculares et fideles laïci diebus festis, qui in civitatibus sunt ad publicas stationes occurrant; et qui in villis et possessionibus sunt ad publicum officium in plebem festinent, et nullus latibulosa Missarum in suis domibus officia celebrare præsumat, sine sui rationabili licentia Episcopi.

BOCHELLUS *Decret. Eccles. Gallic. lib.* 1. *tit.* VII. *de celebr. Miss. cap.* 13. *Ex synod.* AYMERICI *Pictav. Episc. ann.* 1367. Prohibemus ne in Prioratibus eleemosynarum vel Capellis, diebus Dominicis et festivis annualibus Missæ celebrentur, nisi quis coram infirmis voluerit celebrare, donec in Ecclesiis Parochialibus Missa priùs fuerit celebrata: dum tamen ita tempestivè celebretur, quòd in ipsis Prioratibus et Capellis idoneè postmodum valeat celebrare.

Cap. 14. Item sub pœna excommunicationis prohibemus ne diebus Dominicis in Capellis, Prioratibus, aut aliis Ecclesiis, aliqui Parochiani ad Missarum solemnia admittantur, cùm debeant ad suam matrem Ecclesiam qualibet die Dominicâ accedere, exceptis Religiosis, transeuntibus, et peregrinis.

Cap. 37. *Ex* CONCIL. SENON. *Ant. à Prato, ann.* 1528. Item ne populus distrahatur à Missa Parochiali, et ab auditione mandatorum Dei et Ecclesiæ: prohibemus ne in Capellis ab antiquo, etiam Episcoporum auctoritate fundatis, aliæ Missæ celebrentur, quàm illæ quæ de fundatione exstiterint. Et si quæ sint Missæ, quæ ex tenore fundationis dici debeant die Dominico: non dicantur nisi post Missam Parochialem.

Cap. 38. Admonemus insuper suffraganeos nostros, ut ex causis præmissis, et præsertim hoc tempore, quo videmus multos adduci ad contemptum præceptorum Ecclesiæ, et Ministrorum ejusdem, non facilè admittant fundationes Capellarum, quibus ordinatur celebratio Missæ Dominico die, eâ potissimum horâ, quâ populus universus convenire debet ad audienda divina præceptaque Dei et Ecclesiæ.

Cap. 77. *Ex* SYNOD. ROTHOM. *ann.* 1581. Quoniam videmus multos adduci ad præceptorum Ecclesiæ et Ministrorum ejusdem contemptum, non facilè admittantur fundationes et erectiones capellarum et fraternitatum, in quibus ordinatur celebratio Missæ Dominico die, eâ potissimum horâ quâ populus universus convenire debet ad audienda divina præcepta Dei et Ecclesiæ. In Missis verò charitatum atque aliarum fraternitatum ab antiquo eo die constitutarum, nec aqua nec panis benedicantur: et inter illarum Missarum solemnia moneatur non esse præsermittendas Missas Parœciales, propter assistentiam, in ea Missa, quæ ex devotione et consilio celebratur. Quisquis verò Presbyter in alia Missa quam Parœciali aquam et panem benedixerit, sit suspensus à divinis.

Cap. 78. Ne populus distrahatur à Missa Parœciali, et ab auditione mandatorum Dei et Ecclesiæ, optamus ne in capellis ab antiquo, etiam Episcoporum auctoritate fundatis, aliæ Missæ celebrentur, quàm illæ quæ de fundatione exstiterint: et si quæ sint Missæ quæ ex tenore fundationis dici debeant die Dominico in Ecclesia Parœciali, aut ex devotione, non dicantur, nisi ante aut post Missam parœcialem, aut saltem post communionem factam.

Cap. 73. *Ex* SYNOD. SENON. *ann.* 1524. Nullus præsumat Missam diebus Dominicis celebrare sine licentia Curati, aut Vicarii, ante Missam Parochialem, et maximè ante Pronum dictæ Missæ parochialis completum: ne per hoc revocentur parochiani ab audiendo suas Missas parochiales. Non tamen intendimus prohibere quominus primæ Missæ in aurora illis diebus multis Parochiis ab antiquo dici solitæ, celebrentur.

Cap. 74. *Ex* SYNOD. CARNOT. *ann.* 1526. Nullus diebus Dominicis, festis beatæ Mariæ et aliis annualibus, in parochiali Ecclesia Missam celebrare præsumat ante Missam parochialem, et maximè ante Pronum dictæ Missæ, nisi de licentia Curati, aut ejus Vicarii, ne per hoc revo-

centur Parochiani ab audiendo suas Missas Parochiales. Non tamen intendimus prohibere, quominus primæ Missæ, in aurora illis diebus in multis Parochiis ab antiquo fundatæ, et dici solitæ, celebrentur.

Cap. 81. Ne populus distrahatur à Missa Parochiali et ab auditione mandatorum Dei, et Ecclesiæ, prohibemus ne in Capellis, etiam ab antiquo prædecessorum nostrorum auctoritate fundatis, leprosariis, vel domibus Dei, campanis pulsatis Missæ dicantur publicè die Dominico, aut festivo, ante magnam Missam Parochialem, nisi post Pronum ejusdem Missæ Parochialis.

Cap. 82. *Ex* CONC. BURDIGAL. *ann.* 1582. Dum publica et Parochialis Missa celebratur, nullo modo in eadem Ecclesia sacrum aliud facere liceat.

CONCIL. SENON. *seu* PARIS. *ann.* 1528. *in Decretis morum*, *Decret.* 12. Admoneant frequenter Curati suos Parochianos, ut intersint Missæ Parochiali diebus Dominicis et festis per hebdomadam occurrentibus: et ut ad omnia illa, quæ per singulos dies Dominicos in Pronis præcipiuntur, diligenter attendant. Quòd si legitimo cessante impedimento, absque licentia sui Curati, per tres dies Dominicos neglexerint interesse Missæ Parochiali, denuntient statim Promotoribus, ut pro mensura contemptûs vel offensæ puniantur.

CONCIL. TOLOS. *ann.* 1229. *Can.* 25. Item statuimus ut parochiani, dominus et domina cujuslibet domûs, Dominicis et festivis diebus in quibus ab operibus est cessandum, teneantur ad Ecclesiam venire, audituri ibidem ex integro prædicationem et divinum Officium: nec inde recessuri donec Missa compleatur omninò. Quòd si alter ipsorum absens fuerit extra villam, vel alia de causa rationabili præpeditus, alter saltem teneatur venire.

CONCIL. RHEMENSE *ann.* 1583. *tit. de diebus festis.* Diebus Dominicis et festis in suas parœcias populus conveniat, et Missæ, Concioni, ac Vesperis intersit.... Nemini à propria parœcia liceat abesse sanctissimis diebus Paschæ, Pentecostes, et Natalis Domini, nisi quem infirmitas vel alia legitimi causa, cum Parœci licentia, excusabit.

Fraternitatum societates ne diebus Dominicis horà Missæ parœcialis, quæ competenti horà celebretur, fiant: neve in iisdem panis, aut aqua benedicatur à Sacerdote sub pœna suspensionis.

CONCIL. BURDIGALENSE *sub* GREG. XIII. *ann.* 1583. *c.* 5. *in fine.* Illa verò valdè culpanda consuetudo, ab elevatione venerabilis Sacramenti, vel ante peracta mysteria recedendi. Quare omnes moneantur sedulò à Parochis, illos Ecclesiæ præcepto, de audienda Missa non satisfacere: nisi fortè, quod rarò accidit, talis necessitas sit quæ moram non ferat. Nulli ergo ante datam à Sacerdote benedictionem discedere liceat. Sed vetus etiam illud Decretum denuntient, quo propositâ excommunicationis pœnâ præcipitur, ne quis tribus continuis Dominicis Parochialis Missæ celebratione absit. Quòd ut accuratiùs adhuc observetur, scisciteutur Confessarii à pœnitentibus, an huic officio satisfecerint, et peccati gravitatem, ut ab eo in posterum arceantur, ipsis proponant.

CONC. NARBONENSE *sub* Julio III. *ann.* 1551. *Canon.* 36. Præcipimus Parochis omnibus eorumque vicem gerentibus è suggesto, sive Prono parochianos monere, excommunicationis pœnam illis minitantes, ut unusquisque ad Missam parochialem veniat, diebus præsertim Dominicis: et domesticos omnes secum ducat. Neque exeant, ut fit, aut concione habitâ, aut elevato corpore Christi; sed exspectent quousque Sacerdos auditoribus benedixerit: ne in excommunicationis sententiam incidant. Eorum autem qui parere noluerint ad Ecclesiasticum Judicem, seu Officialem nomina deferent, ut illos tanquam refractorios et qui hæreseos nomine suspecti habeantur, puniat. Qui etiam vocato in auxilium profano, et seculari judice ad hæc præstanda compellantur, si opus fuerit. Divinum officium pio et sincero pectore audiant: non deambulantes neque per templum discurrentes, sed genibus flexis orantes vel stent modestè, vel sedeant ut viros Christianos decet. Quòd si contempserint, excommunicentur, nisi publicè semel moniti desistant.

CONCIL. TURONENSE *ann.* 1583. *c.* 15. Sanctorum Patrum antiqua decreta renovantes omnibus et singulis Christi fidelibus, suis Missis parochiali-

bus, et aliis suarum parochiarum divinis officiis, singulis diebus Dominicis et festivis interesse districtè præcipimus : à quibus si per tres dies Dominicos continuè sequentes illos abesse contingat, nisi legitimo impedimento retineantur, pœnas à sacris Canonibus indictas incurrere declaramus; quod illis sui Rectores et Confessarii sæpiùs inculcare non omittant.

MÉMOIRES DU CLERGÉ, *tom.* 1. *pag.* 524. *c.* 4. *du service divin*, *n.* 16. *de l'ancienne collection*, *et tom.* 4. *tit.* 1. *chap.* 4. §. 22. *Extrait de la Déclaration faite en forme de Réglement par l'assemblée générale du Clergé, tenue en l'année* 1625. *confirmée par celle de* 1635. *et renouvelée par celle de* 1645. *que l'on appelle communément le Réglement des Réguliers.* La nécessité qu'ont les ouailles d'entendre la voix de leur Pasteur, et le Pasteur de voir et de connaître son troupeau, ayant donné lieu à l'Eglise d'ordonner que les fidèles assisteraient au moins de trois Dimanches l'un à leur Messe paroissiale, avec pouvoir aux Prélats de les y contraindre par des censures Ecclésiastiques : Cette Ordonnance doit être gardée soigneusement, tant pour rendre ce que l'on doit à sa propre Eglise, que pour y entendre le Prône, la publication des fêtes, des jeûnes, des monitoires, et autres choses, qu'on est obligé de savoir, et qui y sont enseignées : C'est pourquoi il est défendu aux Religieux de prêcher, ni d'enseigner aucune doctrine, ni de donner des conseils contraires à cela. Et afin que le peuple n'ait aucun sujet ni prétexte de n'assister pas à sa Messe de paroisse, il est défendu aux Religieux de faire des Processions, tenir des Congrégations et des Assemblées publiques en leur Monastères, aux heures, et durant que se dit la Messe paroissiale.

BOCHELLUS *lib.* 1. DECRET. ECCLES. GALLIC. *titulo* 6. *c.* 96. *Ex* SYNOD. CARNOT. Quilibet Christianus Parochialem Missam audiat die Dominicâ in sua Parochia. Quòd si quis sine causa per tres dies Dominicos immediatè sequentes Missam in sua Parochia non audierit, hoc nobis seu curiæ nostræ nuntietur.

Cap. 94. *Ibid.* SYNOD. SENONENS. 1524. Omnibus Ecclesiarum Parochialium Rectoribus præcipimus, quatenùs suos moneant Parochianos ac exhortentur, suam singulis diebus Dominicis visitare Parochiam : ibique Missam Parochialem integraliter et devotè audire, et Prono assistere : ut sic excommunicatorum denuntiationes, quas prædictis singulis diebus Dominicis fieri præcipimus, festorum ac jejuniorum ab Ecclesia indictorum, ac præceptorum Ecclesiasticorum publicationes audiant, et ad ea diligenter advertant. Quòd si aliqui, legitimo cessante impedimento, tribus diebus Dominicis continuis prædictam suam Parochialem Ecclesiam visitare cessaverint, Promotoribus nostris denuntient. Quibus injungimus ut tales ex officio coram officiariis nostris evocent, pœnam debitam, prout delicti exegerit qualitas, recepturos.

Cap. 95. *Ex* SYNODO PARIS. 1557. Singulis Dominicis diebus Parochi, aut eorum Vicarii Parochianos suos moneant, et exhortentur, ut legitimo cessante impedimento Missam Parochialem, tam Dominicis quàm aliis diebus festis devotè audiant. Quòd si tribus Dominicis continuis eam audire omiserint, eos nostro Promotori denuntient debitam pœnam recepturos.

RIT. PARIS. *Juss.* EM. CARD. NOAILLII *editum ann.* 1697. *pag.* 502. Legitimus populi Christiani conventus ad sacra celebranda, sub proprio Pastore statis diebus fieri solitus apud veteres Scriptores et antiqua Concilia per antonomasiam *Conventus* appellatur. In ipso nascentis Ecclesiæ exordio post acceptum ab Apostolis Spiritum sanctum, *Erant* (Discipuli) *perseverantes in doctrina Apostolorum, et communicatione fractionis panis et orationibus.* (*Act.* II. 42.) In ipso nascentis Ecclesiæ exordio post acceptum Spiritum sanctum ab Apostolis, Conventus suos celebrabant primâ die post sabbatum, quæ ab Apostolo Joanne vocatur, *Dies Dominica.* (*Apoc.* I. 10.) Id constat tum ex sancto Lucæ his verbis, *Unâ* (id est *primâ*) *Sabbati cùm convenissemus ad frangendum panem, Paulus... pertraxit sermonem usque ad mediam noctem, erant autem lampades copiosæ in cœnaculo, ubi eramus congregati :* (*Act.* XX. 7. 8.) tum etiam ex sancto Paulo, ubi sic statuit : *Decollectis quæ fiunt in sanctos ; sicut ordinavi Ecclesiis Galatiæ, ita et vos facite : per unum* (id est *primam*) *sabbati unusquisque vestrùm*

apud se seponat, recondens quod ei benè placuerit. (1. *Cor.* XVI. 1. 2.) Ad hos conventus vocabantur singuli fideles cujuscunque essent conditionis, ut scribit S. Ignatius his verbis: *Sæpè congregationes fiant, ex nomine omnes quære, servos et ancillas ne despicias.* (*Epist. ad S. Polycarp.*) Quid in illis ageretur sic narrat S. JUSTINUS Martyr. *Apol.* I. ad Antonium pium, *quam laudavimus suprà hocce* §. *litt.* (B)

TERTULLIANUS sic. « Etiam jam nunc ego ipse negotia Christianæ factionis. Corpus sumus de conscientia religionis et disciplinæ unitate, et » spei fœdere: coimus in cœtum et congregationem, ut ad Deum quasi » manu facta precationibus ambiamus orantes. Hæc vis Deo grata est. » Oramus etiam pro Imperatoribus, pro ministris eorum, ac Potestatibus, pro statu seculi, pro rerum quiete, pro mora finis. Coimus ad » Litterarum Divinarum commemorationem, si quid præsentium temporum qualitas aut præmonere cogit, aut recognoscere. Certè fidem » sanctis vocibus pascimus, spem erigimus, fiduciam figimus, disciplinam » præteritorum nihilominùs inculcationibus densamus: ibidem etiam » exhortationes, castigationes, et censura divina; nam et judicatur magno » cum pondere, ut apud certos de Dei conspectu: summumque futuri » judicii præjudicium est, si quis ita deliquerit, ut à communicatione » orationis et conventûs et omnis sancti commercii relegetur.

ARNOBIUS *lib.* 4. *contra gentes.* « Cur immaniter conventiculas nostra » meruerunt dirui, in quibus summus oratur Deus, pax cunctis et venia » postulatur, Magistratibus, exercitibus, Regibus, familiaribus, inimicis » adhuc vitam degentibus, et resolutis corporum vinctione.

CONC. ELIBERITANUM sic statuit canon. 2. *Hunc vide suprà hocce* §. *litt.* (G)

S. ATHANASIUS *Apolog.* I. *ad Imperat. Constantium.* « Quid rectius putas » particulatim, et dissociatim populum synaxes facere, an potius ut in » locum omnium benè capacem conveniat, et unam eamdemque sine » dissonantia vocem reddat? Certè id rectius est, cùm id concordiam » unanimis multitudinis ostendat, et Deum ad exaudiendum promptio» rem habeat; nam si pro ipsius Salvatoris pacto in consensu duorum » quodcunque petierint fiet: quid igitur futurum, ubi ex tot tantisque » populis in unum congregatis una vox respondeatur acclamantium, » Amen? Quis hoc ipsum non admiratione prosequatur, aut non inter » felicia prædicet, cùm videat tantam multitudinem in unum locum con» venire?

CONC. SARDICENSE *ann.* 347. *can.* 14. *Vide suprà hocce* §. *litt.* (G)

CONCIL. CONSTANTINOPOLITANUM *in Trullo, ann.* 692. *canon.* 8. « Si quis » Episcopus, vel Diaconus, vel eorum, qui in clero annumerantur, vel » laïcus, nullam habet necessitatem, vel negotium difficile, ut à sua » Ecclesia absit diutissimè, sed in civitate agens tribus diebus Dominicis » in tribus septimanis unà non conveniat, si sit quidem clericus, depo» natur: si verò sit laïcus, segregetur.

THEODULPH. AURELIANENSIS *ann.* 797. *in Capitul. ad Paroch. suæ Sacerdotes, c.* 45. « Ut Missæ, quæ per dies Dominicos peculiares à Sacerdotibus fiunt, non ita in publico fiant, ut per eas populus à publicis Missarum solemnibus, quæ horâ tertiâ canonicè fiunt, abstrahatur.

GUILLELMUS PARISIENSIS *circa* 1240. *in Stat. Synod. art.* II. *in Synodico Parisiensi*: « Præcipitur quòd Presbyteri parochianos qui tribus Dominicis » continuis se ab Ecclesia sua absentaverint sine justa causa et necessaria, » interdicant, et ad Episcopum mittant interdictos.

CONCIL. RAVENNATENSE *ann.* 1311. 2. *Rubr.* 9. « Monemus omnes et singulos parochianos, cujuscunque parochialis Ecclesiæ, quòd saltem in » diebus Dominicis audiant Missam integram in sua parochiali Ecclesia, » à qua priùs non recedant, quàm benedictionem post Missam recepe» rint: et quicunque contrà fecerit, tertiò admonitus, excommunica» tionis sententiâ percellatur.

SIXTUS IV. *lib.* I. *extrav.* communium *cap.* 2. *de treuga et pace lib.* 6. *Decretal.* Fratres mendicantes non prædicent populos parochianos non » teneri audire Missam in parochiis diebus festivis et Dominicis, cùm jure » sit cautum illis diebus parochianos teneri audire Missam in eorum paro» chiali Ecclesia, nisi forsan ex honesta causa ab ipsa Ecclesia se absen» tarent.

Item : Quodcunque etiam ipsi Fratres in sermonibus eorum non detra-
» hant Prælatis, et Rectoribus parochialium Ecclesiarum : nec etiam
» populos à suarum Ecclesiarum parochialium frequentia et accessu abs-
» trahant quoquomodo.

STEPHANUS PONCHER. *init.* 16. *sec. in Stat. Syn. c. de sacram. Euch. art.* 1. *in* SYNOD. PARIS. « Hortamur vos omnes Christi fideles singulis die-
» bus Dominicis et festivis Missam in Ecclesiis vestris audire Parochi-
» alem, legitimo cessante impedimento. Vos etiam Curatos monemus in
» Prono Missarum vestrarum hortari Parochianos vestros, sub pœnâ
» excommunicationis et emendæ audire, nec discedere antequam fini-
» atur divinum officium.

EUSTACHIUS DU BELLAY *circa fin.* 16. *sec. can.* 3. *in* SYN. PAR. « Singu-
» lis diebus Dominicis Parochi parochianos suos moneant ut, legitimo
» cessante impedimento, Missam parochialem, tam Dominicis, quàm
» aliis diebus festis devotè audiant. Quòd si tribus Dominicis continuis
» eam audire omiserint, eos nostro Promotori denuntient debitam pœ-
» nam recepturos.

CONCIL. PARIS. *aut* SENONENSE *ann.* 1527. *et* 1528. *in Decreto mor.* 12. *Vide superiùs hocce §. litt.* (G)

CONC. NARBONENSE *ann.* 1551. *can.* 36. *Vide ibid.*

CONCIL TRID. *ubi suprà hocce §. litt.* (F) *et infrà litt.* (K)

CONC. ROTHOMAGENSE. *an.* 1581. *cap. de Curatorum officiis art.* 19. «Curari
» diligenter animadvertant si parœciani Dominicis aut festivis diebus
» divinis officiis intersint, et de absentiæ causis inquirant; aut jubeant
» per aliquem puerum absentes observari : ut, post admonitionem debi-
» tam, quos noverint pertinaces ad Episcopum deferant, et ab eo discant
» quid agendum.

CONC. RHEMENSE *ann.* 1583. *cap.* 5. *de dieb. festis.* « Diebus Deminicis et
» festivis in suas Parœcias populus conveniat, et Missæ, concioni, ac
» vesperis intersit.

CONC. BURDIGALENSE *eodem anno, cap.* 5. *de iis quæ in sacro-sancto Missæ sacrificio observ. vel cavenda sunt. Vide suprà hocce §. litt.* (G) *uti et*

CONC. TURONENSE *eodem ann. tit.* 15.

HENRICUS DE GONDY *ann.* 1608. *In Stat. quæ renovata fuerunt in Synod. Paris. Stat.* 7. *in Synodico.* « Parochi frequenter admoneant Parochianos
» ut, cessante legitimo impedimento, Missam Parochialem, tam Domi-
» nicis, quàm aliis diebus festis devotè audiant. Quòd si tribus Dominicis
» continuis audire neglexerint, eos nostro Promotori deferant, debitam
» pœnam recepturos.

De Pronao. Pronaum quod pronum dicitur, est sermo, quem Parochus inter Missarum solemnia habet ad plebem, cujus tres sunt partes. In 1. parte, Parochus indicit preces pro singulis ordinibus Ecclesiæ, et pro universis populi Christiani necessitatibus, et facit commemorationem ac commendationem eorum pro quibus orandum est, juxta Statutum Concilii Aurelianensis apud Ivonem Carnotensem.

« In diebus, *inquit*, (*Part.* 2. *Decr. c.* 120.) Dominicis vel festis post
» sermonem intra Missarum solemnia habitum, plebem Sacerdos com-
» moneat, ut juxta Apostolicam institutionem omnes in communi pro
» diversis necessitatibus preces fundant ad Dominum; pro Rege, et Epis-
» copis, et Rectoribus Ecclesiarum; pro pace, pro peste : pro infirmis
» qui in ipsa Parochia lecto decumbunt, pro nuper defunctis : in qui-
» bus singulatim precibus, plebs orationem Dominicam sub silentio
» dicat, Sacerdos verò orationes ad hoc pertinentes per singulas admo-
» nitiones solemniter explcat. » Ut verò præ cæteris commemorentur fundatores et benefactores Ecclesiarum, decrevit Concilium Emeritense ann. 666. can. 19. « Censemus, *ait*, ut pro singulis quibusque Ecclesiis,
» in quibus Presbyter jussus fuerit per sui Episcopi ordinationem præesse,
» pro singulis diebus Dominicis sacrificium Deo procuret offerre : et
» eorum nomina, à quibus eas Ecclesias constat esse constructas, vel
» qui aliquid his sanctis ecclesiis videntur aut visi sunt contulisse : si
» viventes in corpore sunt, ante altare recitentur tempore Missæ : quòd
» si ab hac discesserint luce, nomina eorum cum defunctis fidelibus re-
» citentur suo in ordine.

I. Quænam sunt impedimenta legitima ?

R. Id non determinavit Ecclesia. Sed ex ejus Sanctionibus satis liquet non licere abesse à Missa Parochiali nisi necessitate cogente, verbi gratiâ, si urgeat vis morbi, si tempore hiemali et pluvioso sit iter longum et arduum nec vehiculum adsit, possitque faciliùs adiri Ecclesia vicinior, etc. (H)

I. Quid causæ fuit cur sanxerit Ecclesia fideles adesse Missæ Parochiali ?

R. Duplici maximè triplicive de causa id sanxit.

1. Ut singula cujusque Ecclesiæ Parochialis membra suo Pastori adunata simul orent. (I)

2. Ut singuli fideles intersint expositioni verbi Dei, quam Pastores intra Missarum solemnia facere tenentur. (K)

In 2. parte, Parochus docet populum quæ ad fidem et mores pertinent, ut præscribit Concilium Tridentinum Sess. 22. de sacrif. Missæ cap. 8. *Vide infrà hocce cap. litt.* (K) et Sess. 24. de reform. cap. 7. « Inter Missarum solemnia, aut divinorum celebrationem, sacra eloquia et salutis » monita vernaculâ linguâ, singulis diebus festis, vel solemnibus explanent; eademque in omnium cordibus, postpositis inutilibus quæstionibus, inserere, atque eos in lege Domini erudire studeant.

In tertiâ parte Parochus denuntiat populo leges et præcepta Ecclesiæ, cujusmodi est illud de audienda Missa parochiali, cujus frequens denuntiatio facienda est, de communi et antiqua Ecclesiæ consuetudine : festa et jejunia servanda : monitiones excommunicationum ferendarum : excommunicationes latas : Indulgentias à summo Pontifice vel ab Episcopis concessas : eorum nomina qui ad sacros ordines sunt promovendi: demum contrahenda matrimonia, ut statuit Concilium Tridentinum Sess. 24. de reform. Matrim. cap. 1.

In Rituali Lingonensi *eadem ferè legere est. Operæ verò pretium est librum Gallicum legere, cui titulus* Missa Parochialis, la messe de Paroisse, *in* 12. *Paris. apud Josset : in quo hæc materia multis pertractatur probaturque argumentis.*

Clerus Gallican. *in Epist. encyclica ad Episc. Galliæ in comitiis general. ann.* 1655. *data Patris Bagotii doctrinam damnat his verbis.* Le Commandement pour la Messe de Paroisse et les instructions qui s'y font, étant un des plus anciens de l'Eglise, cet Auteur n'a pas osé dire qu'en effet il n'y ait pas d'obligation d'y satisfaire, mais il l'affaiblit en tant de différentes manières, qu'après avoir écrit que la plus grande commodité d'aller à une autre Eglise est une excuse honnête de n'aller pas en sa paroisse; Que le Concile de Trente n'a point entendu qu'il y eût obligation d'y aller que pour ouïr la parole de Dieu, et non pas la Messe paroissiale ; Que pourvu qu'on ne méprise pas expressément les Curés et les cérémonies de la Messe de paroisse, on peut ne l'y pas entendre sans aucun péché; Que les Evêques ne peuvent, ni en vertu de ce Concile, ni de leur propre autorité, ordonner des censures ni autres peines spirituelles contre ceux qui n'y assistent pas ; il veut enfin que les plus anciens Canons qui ordonnent d'assister aux paroisses, aient entendu par ce mot toute sorte d'Eglises : et pour se défendre de l'ancienne discipline qui est si ouvertement contraire à son opinion, il insinue que les nouvelles lois ont plus de force que les anciennes, et soutient que le silence des Supérieurs rend un abus légitime ; comme si le sommeil de celui qui a semé du bon grain dans son champ, cependant que son ennemi y sème de l'ivraie, la rendait moins nuisible à la moisson qu'il en attend ; et comme si les nouvelles lois et les exhortations du Concile de Trente, d'assister à la Paroisse, ne supposaient pas l'obligation des anciennes.

(H) *Vide* Concilia *super litt. hujusce* §. *laudata.*

(I) S. Justinus *Apolog.* 1. *Vide suprà hocce* 1. *litt.* (B)

(K) *Vide suprà quæ excripsimus ex Comment.* Cleri Gallicani *tom.*

5. Ut Pastores singuli suas oves norint, quarum saluti tenentur invigilare *tanquam rationem pro animabus* ipsarum *reddituri.*

I. Nunquid possunt fideles alibi audire verbum Dei, alibi doceri, et ad Deum dirigi?

R. 1. Pastores tenentur ex officio oves suas pascere, docere, pro iis orare et sacrificium offerre; alii non tenentur. Tenentur ergo oves vicissim Pastores assiduè audire, et ab iis accipere cœlestis doctrinæ pabulum. Quod aliis in Ecclesiis docentur supererogationis est; quod in Ecclesia Parochiali, officii.

2. Adde quòd multa sunt quæ scire tenentur fideles, nec discunt nisi in Ecclesia Parochiali: verbi gratiâ, denuntiatio matrimoniorum, jejuniorum, festorum, excommunicationum, monita publica, Episcopales sanctiones, et cætera id genus multa quorum ignorantia dat locum pluribus peccatis. (L) *

CAPUT QUARTUM.

De Tertio Ecclesiæ Præcepto, circa Confessionem Annuam.

I. QUODNAM est tertium præceptum Ecclesiæ?

R. Ut semel saltem annis singulis singuli fideles, ubi discretionis annos attigerint, peccata sua confiteantur proprio Sacerdoti. (A)

IV. *etc. hocce §. litt.* (G) *et ex Concil. Trident. Sess. 24. cap. 4. de reformat. Vide suprà hocce Cap. §. litt.* (F) *uti et Decret. de observ. et vitand. in celebrat. Missæ, Sess. 22. cap.* 8. Et si Missa magnam contineat populi fidelis eruditionem, non tamen expedire visum est Patribus, ut vulgari linguâ passim celebraretur. Quamobrem retento ubique cujusque Ecclesiæ antiquo et à sancta Romana Ecclesia, omnium Ecclesiarum matre et magistra, probato ritu, ne oves Christi esuriant, nève parvuli panem petant, et non sit qui frangat eis (*Thren.* IV. 4.): mandat sancta Synodus Pastoribus, et singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter Missarum celebrationem, vel per se, vel per alios, ex iis quæ in Missa leguntur, aliquid exponant, atque inter cætera, sanctissimi hujus sacrificii mysterium aliquod declarent, diebus præsertim Dominicis et festis.

(L) *Lege, si lubet, quæ dicemus infrà* de Concione (*seu* pronao), 3. *hujusce Oper. Parte, Sect.* 2. *Cap.* 7. §. 22. *n.* 8. *dum ordinem precum et cæremoniarum sacro-sancti* Missæ sacrificii *explicamus.*

(A) CONC. LATERANENSE IV. *Generale sub* INNOCENT. P. III. *ann.* 1215. *Can.* 21. Omnis utriusque sexûs, etc. *extrà de pœnitent. et remission.* Quem habes infrà in Resp. seq. textu.

CONC. TRIDENT. *Sess.* 14. *c.* 5. *cùm* à sanctissimis, et antiquissimis Patribus, magno unanimique consensu, secreta confessio sacramentalis, quâ ab initio Ecclesia sancta usa est, et modò etiam utitur, fuerit semper commendata, manifestè refellitur inanis eorum calumnia, qui eam à divino mandato alienam, et inventum humanum esse, atque à Patribus in Concilio Lateranensi congregatis initium habuisse docere non verentur. (*Can.* 21. Omnis utriusque sexûs, etc.) Neque enim per Lateranense concilium, Ecclesia statuit, ut Christi fideles confiterentur, quod jure divino necessarium et institutum esse intellexerat; sed ut præceptum Confessionis saltem semel in anno, ab omnibus et singulis, cùm ad annos discretionis pervenissent, impleretur. Unde jam in universa Ecclesia,

I. Quinam censentur discretionis annos attigisse?

R. Quicunque capaces sunt peccati mortalis.

I. Quo anni tempore tenentur fideles peccata sua confiteri proprio Sacerdoti?

R. Id Ecclesia non definivit; sed ex præcepto communionis Paschalis, de quo dicemus infrà (*Cap. seq.*), liquet hanc mentem esse Ecclesiæ, ut annua hæc confessio ad Paschalem communionem disponat.

I. Cur Ecclesia quindecim dies quos Paschales dicimus non definivit confessioni annuæ sicut et communioni?

R. Quia novit Ecclesia quamplurimis fidelibus dies quindecim non sufficere, ut disponantur ad communionem Paschalem; eosque vult vel jam ab initio Quadragesimæ, vel etiam priùs confiteri; ut pœnitentiâ maturiori et diuturniori præparentur ad communionem Paschalem. (B)

cum ingenti animarum fructu observatur mos ille salutaris confitendi sacro illo, et maximè acceptabili tempore Quadragesimæ: quem morem hæc sancta Synodus maximè probat et amplectitur, tanquam pium et meritò retinendum.

Can. 8. *de Pœnit.* Si quis dixerit, confessionem omnium peccatorum, qualem Ecclesia servat, esse impossibilem, et traditionem humanam à piis abolendam: aut ad eam non teneri omnes, et singulos utriusque sexûs Christi fideles, juxta magni Concilii Lateranensis constitutionem, (*Ib. ut suprà*) semel in anno, et ob id suadendum esse Christi fidelibus, ut non confiteantur tempore Quadragesimæ, Anathema sit.

(B) Conc. Trident. *Sess.* 14. *c.* 5. *et cap.* 8. *de pœnit. Vide suprà hocce cap. litt.* (A)

Conc. v. *Provinc.* Mediol. *Part.* 1. *de Sacramento pœnitentiæ, sub* S. Carolo *ann.* 1579. Ut ad sanctum pœnitentiæ sacramentum fideles sollicitè diligenterque accedant, id Parochus præstet, ut in hebdomada quæ Quadragesimam proximè præcedit, ad patrum-familias ædes, quæ intra parochiæ suæ fines sunt, sigillatim eat; ac videat accuratè qui obligatione hujus sacramenti suscipiendi, et sacræ Eucharistiæ Paschæ tempore sumendæ devincti sint, eorumque nomina rectè describat: ac singulos præterea, eosque præsertim qui perrarò confitentur, moneat; ut ne confessionem differant in postremos illos Quadragesimæ dies, quibus Sacerdotes, vel ob mysteriorum celebritatem assiduâ divinorum occupatione ab audiendis confessionibus impediuntur; vel frequenti tunc concursu fidelium defatigati, ita in eo ipso munere præstando ferè opprimuntur, ut tantum, tamque salutare ministerium in confertissima multitudine, vix rectè illis præstare queant. Proinde Quadragesimæ hebdomadas pro populi sui commissi ratione sic partiri curet, ut alias huic, alias illi viciniæ, familiævе, aut partim viris, adolescentibus, et pueris, partim mulieribus, virginibus, puellisve præstituat, quibus ad confitendum distinctè, atque tempore accedant.

Theodulphus *in Capitul. ad Presbyteros Parochiæ suæ ann.* 835. *missis n.* 36. Hebdomadâ unâ ante initium Quadragesimæ confessiones Sacerdotibus dandæ sunt, pœnitentia accipienda, discordantes reconciliandi, et omnia jurgia sedanda, et dimittere debent debita invicem de cordibus suis, ut liberiùs dicant: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* (*Matth.* VI. 12.) Sic ingredientes in beatæ Quadragesimæ tempus mundis et purificatis mentibus ad sanctum Pascha peraccedant, et per pœnitentiam se renovent, quæ est secundus baptismus. Sicut enim baptismus peccata, ita pœnitentia purgat: et quia post baptismum peccator denuò non potest baptizari, hoc medicamentum à Domino pœnitentiæ datum est, ut per eam vice baptismi peccata post baptismum diluantur.

Bochellus *Decretorum Eccles. Gallicanæ l.* 2. *titulo* 7. *de pœnitentia*,

c. 4. *Ex* SYNODALIB. *Ecclesiæ* TRECENS. Sacerdotes frequenter moneant laïcos et alios parochianos suos venire ad confessionem, et præcipuè in principio Quadragesimæ : quia jejunium vel eleemosyna facta ab illo qui est in peccato mortali parùm prodest. Nam per Concilium generale statutum est, et hoc observari præcipimus, quòd quilibet fidelis utriusque sexûs, postquam habuerit discretionem, saltem semel in anno, omnia peccata sua solus integrè confiteatur suo proprio sacerdoti : et ad minus in sanctum Pascha sacratissimum Corpus Christi recipiat reverenter, nisi de licentia sui Superioris, vel sui proprii Sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab hujus modi perceptione corporis Christi duxerit abstinendum. Alioquin ab ingressu Ecclesiæ arceatur dum vivit ; et mortuus careat Ecclesiasticâ sepulturâ.

Cap. 13. ODO *Paris. Episcopus in Synodo.* Frequenter presbyteri moneant ad confessionem, et præcipuè ab initio Quadragesimæ instanter præcipiant venire generaliter ad confessionem.

Cap. 15. *Ex* SYNODO AQUENS. 1585. *De pœnitent.* Innocentii tertii constitutionem in generali Concilio editam, quâ sancitum est ut fideles saltem semel in anno, proprio Parocho peccata sua confiteantur, inviolatè omnes servent.

Cap. 20. *Ex* SYNODALIB. *Eccles.* TRECENS. Quoniam multi sunt nimis rudes in confessione facienda, instruendi sunt publicè à suis Presbyteris in principio Quadragesimæ, et aliis temporibus opportunis, quomodo confessio sit facienda.

Cap. 21. *Ex* SYNOD. SENON. 1524. Quoniam attestante experientiâ hominum labilis est memoria, periculosissimumque sit diutiùs in peccato remanere mortali, ac etiam damnosum, cùm bona opera in mortali peccato ad salutem directè non prosint : statuimus ut Curati de cætero ex parte nostra diligenter parochianos suos moneant, et hortentur, ut sua frequenter, et præsertim in festis solemnibus confiteantur peccata, in festo scilicet Paschæ, Pentecostes, Assumptionis B. M. V. et in festo omnium Sanctorum. Natalis Domini, et Dominicâ primâ Quadragesimæ. Præcipimus talem exhortationem, seu monitionem fieri singulis diebus Dominicis præfatas festivitates immediatè præcedentibus. Et ut devoti Christiani ad confitendum peccata sua, ut eorum jejunia et alia opera sint fructuosa, faciliùs inducantur, omnibus et singulis illis diebus, vel aliquo quatuor dictorum dierum præcedentium, vel sequentium prædictas festivitates, verè pœnitentibus et confessis XX. dies indulgentiarum in Domino misericorditer impertimur. Insuper singulis diebus Dominicis Quadragesimæ moneant et inducant eosdem parochianos suos, ut nullus eorum qui per annum confiteri distulit peccata sua, usque ad diem mercurii hebdomadæ sanctæ confiteri differat, vel exspectet, committendo eis et dicendo, quod si quis eorum absque excusatione notoria et justa ista confiteri distulerit, prædicto die elapso non admittetur. Prædicti verò Curati taliter confiteri negligentibus, cessante tamen periculo, poterunt denegare sacramenta pœnitentiæ, et Eucharistiæ, differendo usque post diem Paschæ.

Cap. 23. *Ex* SYNOD. CARNOTENS. 1526. Parochiales Presbyteri parochianos suos hortentur, ut in solemnibus festis anni, videlicet Pentecostes, Assumptionis B. M. festi omnium Sanctorum, Natalis Domini, et Dominicâ primâ Quadragesimæ ad confessionem devotè et reverenter accedant. Et faciant Curati hujusmodi exhortationem singulis diebus Dominicis, præfatas solemnitates immediatè præcedentibus, et cùm hoc illis significent, quòd nos, ut devoti Christiani faciliùs inducantur ad confitendum peccata sua, ut eorum jejunia et alia opera sint fructuosa, concessimus et relaxavimus, concedimus et relaxamus quadraginta dies, de injunctis pœnitentiis omnibus qui prædictis diebus, aut aliquo trium dierum dictas solemnitates præcedentium, contriti et confessi fuerint. Eis nihilominùs præcipientes juxta Concilium generale, ut semel ad minus in anno proprio Sacerdoti, aut ab eo commisso peccatorum confessionem faciant.

Cap. 25. *Ex* SYNOD. LINGON. *ann.* 1404. Singulis diebus Dominicis Quadragesimæ in Missarum solemniis, moneant populum ut confiteantur, et quòd tenentur in Pascha confiteri, et recipere corpus Domini, illi qui habent annos discretionis.

I. Si diebus Paschalibus solùm ad confessionem accedant, qui diuturniori indigent probatione et pœnitentiâ, non possunt ergo ii satisfacere huic præcepto Ecclesiæ?

R. Possunt. Siquidem in proprii Sacerdotis potestate positum est, ut absolutionem ac communionem Paschalem differat in aliud tempus iis, qui tempore Paschali nondum sanctificati sunt. (C) Cujus rei vestigium exstat in veteri testamento : qui enim præ immunditia legali non poterant comedere Pascha die quartâ decimâ mensis primi, tenebantur interim ritè sanctificari, et quartâ decimâ mensis secundi Pascha comedere. (D)

Cap. 35. *Ex* CONC. BITURIC. 1584. Omnes Christiani cujuscunque sexûs peccata sua, saltem semel in anno ad diem Paschæ proprio Sacerdoti confiteantur. Qui semel atque iterùm moniti neglexerint, communione Ecclesiæ priventur.

Lib. 15. *cap.* 41. *Ex* CONCIL. BITURIC. *ann.* 1584. Qui curam animarum habent, veram confitendi rationem populo suo exponant, præsertim tempore Quadragesimæ et adventûs Domini, necnon circa solemniores festivitates anni : et ab initio Quadragesimæ confessiones incipiant audire, ut adveniente festo Paschæ omnes fideles Eucharistiam suscipiant.

Cap. 153. *Ex* SYNOD. GALONIS *et* SIMONIS *Legator.* Decernimus, maximè ante Quadragesimam, ut omnes utriusque sexûs postquam ad annos discretionis pervenerint, omnia sua fideliter confiteantur peccata, saltem in anno semel proprio Sacerdoti, et injunctam sibi pœnitentiam studeant pro suis viribus adimplere : si quis autem alii Sacerdoti voluerit justa de causa confiteri peccata, licentiam primò postulet, et obtineat à proprio Sacerdote, cùm alter non possit eum absolvere et ligare.

Cap. 185. JOANN. LEGUISIER. *Epis. Trecens. in Synod. ann.* 1427. Quia hominum labiis est memoria, adeò quòd quis potest vix recordari eorum quæ fecit à mense citrà ; Et cùm periculosum sit diu remanere in peccato mortali, immò et damnosum valdè, cùm opera charitatis facta in peccato mortali directè non prosunt ad animarum salutem : statuimus ut de cætero Curati diligenter moneant ex parte nostri et hortentur parochianos suos ut confiteantur saltem in festis solemnibus, scilicet in Pascha, Pentecoste, Assumptione Beatæ Mariæ, festo omnium Sanctorum, Natali Domini, et in capite jejunii. Et præcipimus talem fieri inhortationem, seu monitionem singulis diebus Dominicis immediatè præcedentibus dictas festivitates, et ut devoti Christiani præcipuè in capite jejunii inducantur ad confitendum peccata sua, ut eorum jejunia et alia opera sint fructuosa omnibus et singulis, illâ die, vel aliquo trium dierum sequentium verè pœnitentibus et confessis de injunctis sibi pœnitentiis triginta dies in Domino relaxamus. Et præcipimus sub pœna arbitrio nostro infligenda ut Dominicâ in Quinquagesima dictæ indulgentiæ ex parte nostri denuntientur per Curatum vel Presbyterum Parochialem.

(C) CANON. *Omnis utriusque sexûs, etc.* Nisi fortè de consilio proprii Sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum.

(D) NUM. IX. 4. Præcepitque Moyses filiis Israël ut facerent Phasc. 5. Qui fecerunt tempore suo : quarta-decimâ die mensis ad vesperam, in monte Sinaï. Juxta omnia quæ mandaverat Dominus Moysi, fecerunt filii Israël. 6. Ecce autem quidam immundi super anima hominis, qui non poterant facere Phase in die illo, accedentes ad Moysen et Aaron, 7. dixerunt eis : Immundi sumus super anima hominis : quare fraudamur, ut non valeamus oblationem offerre Domino in tempore suo inter filios Israel ? 8. Quibus respondit Moyses : State ut consulam quid præcipiat Dominus de vobis. 9. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : 10. Loquere filiis Israel : Homo qui fuerit immundus super anima, sive in via procul in gente vestra, faciat Phase Domino 11. in mense secundo, quarta-decima die mensis ad vesperam : cum azymis et lactucis agrestibus comedent

I. Proprii Sacerdotis nomine quis intelligitur ?

R. Vel Episcopus, vel Parochus, id est, Pastor quocunque nomine appelletur ; vel Sacerdos alius de Episcopi vel Parochi seu Pastoris licentia, modò sit ritè approbatus. (E)

illud. 12. Non relinquent ex eo quippiam usque manè, et os ejus non confringent, omnem ritum Phase observabunt. 13. Si quis autem et mundus est, et in itinere non fuit, et tamen non fecit Phase, exterminabitur anima illa de populis suis, quia sacrificium Domino non obtulit tempore suo : peccatum suum ipse portabit.

(E) CANON. *Omnis utriusque sexûs, etc.* Confiteatur saltem semel in anno proprio Sacerdoti.

CONCIL. MEDIOLAN. *Provinciale* I. *Part.* 2. *Quæ pertinent ad Sacramenti pœnitentiæ administrationem, ann.* 1565. Innocentii tertii Constitutionem in generali Concilio editam, quâ sancitum est, ut fideles saltem semel in anno, proprio Parocho peccata sua confiteantur, inviolatè omnes servent.

BOCHELLUS, *Decret. Eccles. Gall. Lib.* 2. *Tit.* 7. *de sacram. Pœnit. cap.* 38. *Ex* SYNODAL. *Eccles.* TRECENS. Si quis parochianus alii Sacerdoti quàm suo proprio Sacerdoti aliquâ rationabili causâ voluerit confiteri sua peccata, licentiam priùs postulet à suo proprio Sacerdote : cùm aliter ipse illum non possit absolvere, nec ligare : nisi habeat à Superiore licentiam seu potestatem.

Cap. 69. *Ex* SYNOD. PARIS. *ann.* 1557. Parochis nostris prohibemus ne alienum recipiant parochianum, ut eum in confessione absolvant, aut illi quodvis aliud sacramentum administrent, nisi Parochi, cui alienus ille subditus est, licentiâ id fiat, et is de sui Parochi consensu fidem faciat.

Cap. 71. *Ex* CONCIL. RHEMENS. *ann.* 1583. Nemo existimet sibi licere cuicunque volet Sacerdoti confiteri, sed proprio tantùm Parœco. Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit justa de causa, sua confiteri peccata, licentiam postulet, et obtineat à proprio Sacerdote, cùm aliter ipse illum non possit absolvere, vel ligare. *Idem iisdem fere verbis decreverat* CONCIL. BAJOCENSE *ann.* 1300. *can.* 80.

Cap. 87. *Ex* SYNOD. SENON. *ann.* 1524. Interrogent Sacerdotes pœnitentes ad confessionem accedentes, an sint Parochiani, maximè si de illo dubitant : quia non debent absolvere, nec audire in confessione nisi suos Parochianos.

CONC. *Provinc.* NARBON. *ann.* 1591. *sub* JULIO III. *can.* 50. Quia omnibus Christianis præceptum est, ut semel in anno Sacro-sanctum Eucharistiæ sacramentum percipiant, et Parocho suo peccata confiteantur : voluit et decrevit Concilium ut posthac nemo audeat sanctissimo die Paschæ peccata sua confiteri, aut sanctificum Eucharistiæ sacramentum ab alio accipere quàm ab ipso Parocho, vel in ejus locum suffecto : nisi exoratâ à Parocho veniâ : quam illi scriptam, quoad Eucharistiæ susceptionem concesserit. Confitendi itaque licentiam non deneget, sed gratis tradat, et omnia quorum licentiam dederit, in codicem referat. Similiter qui cœnobiis præsunt, qui Priores, et Guardiani vulgò dicuntur, eorum nomina scribant qui tam confitendi quàm accipiendæ Eucharistiæ à Parocho veniam impetrarint, suumque codicem cum Parochi libello conferant, etc.

THEODULPHUS Aurel. Episc. *in suo Capitulari edito anno* 797. *cap.* 15. Nullus Presbyter Fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ de alterius Presbyteri Parochia persuadeat, ut ad suam Ecclesiam concurrant relictâ propriâ Ecclesiâ.

CAPITUL. *Lib.* 7. *cap.* 68. Nullus Sacerdos in alterius civitate vel Diœcesi pœnitentem vel sub manu positum Sacerdotis, vel qui reconciliatum se esse dixerit, sine consensu et litteris Episcopi vel Presbyteri in Parochia Presbyter aut Episcopus in civitate suscipiat.

Secunda Part. Decret. Dist. 6. *De Pœnitentia, causâ* 33. *Quæst.* 3. *cap.* Placuit. Jubet, ut deinceps nulli Sacerdotum liceat quemlibet commissum alteri Sacerdoti ad pœnitentiam suscipere, sine ejus consensu, cui priùs se commisit, nisi pro ignorantia illius cui pœnitens priùs confes-

sus est. Qui verò contra hæc statuta facere tentaverit, gradûs sui periculo subjacebit.

Innocentius IV. *in Constitutione editâ Neapoli* 11. *Kalendas Decembris anno* 12. *Pontificatûs.* Nihil novum in vestrum inducendo gravamen, sed antiqua et moderna jura in medium deducendo, universitati vestræ per Apostolica scripta in virtute obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, quatenùs parochianos alienos diebus Dominicis et festivis non recipiatis de cætero in vestris Ecclesiis, seu oratoriis temerè ad Divina; nec ipsos, sine Sacerdotis sui licentia ad pœnitentiam ullatenùs admittatis: cùm si quis alieno Sacerdoti justa de causa sua voluerit confiteri peccata, secundùm statuta Generalis Concilii, licentiam priùs postulare et obtinere debeat à proprio Sacerdote, vel saltem sibi primò confiteri recipere beneficium absolutionis ab eodem. Aliter namque ab ipso solvi non poterit; cùm duplex in judicando funiculus, scilicet potestatis et scientiæ, requiratur, quorum alterum constat in alieno deficere Sacerdote. *Proprium Sacerdotem vocat*, inquit hic **Natalis Alexander**, *quem Parochianus habet continuò præsentem, et hunc opponit alieno, qui judicandi potestatem non habet.*

Martinus IV. *Constitutione quæ incipit:* Ad uberes, *data quarto Idus Januarii, Pontificatûs anno primo, id est*, 1281. Volumus autem quòd ii qui Fratribus confiteBuntur eisdem, suis Presbyteris parochialibus confiteri saltem semel in anno, prout Concilium Generale statuit, teneantur: Quodque iidem Fratres eosdem ad hæc diligenter et efficaciter, secundùm datam eis à Domino gratiam, exhortentur.

Benedictus II. *in Extrav. quæ incipit*, Inter cunctas. Districtè injungimus ut Fratres ipsi confitentes attentè moneant, et in suis Prædicationibus exhortentur, quòd suis Sacerdotibus semel confiteantur in anno, asserendo id ad animarum profectum proculdubio pertinere.

Concil. Arelat. *Provinc. à* **Florentino** *Archiepisc. ann.* 1260 *celebratum, Can.* 16. Quia propter imbecillium et impotentium et pauperum occupationes et penuriam, aliquando per villas et oppida consueverunt Pœnitentiarios suos in Quadragesima destinare, ut eos à casibus, qui majoribus reservantur, absolvant: frequenter accidit, ut magna pars Christianorum, occasione hujusmodi Pœnitentiariorum, propriis Sacerdotibus super confessionibus illudant, asserentes se dictis Pœnitentiariis fuisse confessos, cùm tamen per hujusmodi Confessores vix aut nunquam possit pars populi modica suorum peccatorum confessionibus generaliter expediri. Ut ergo de cætero populares, occasiones hujusmodi frivolas non prætendant: inhibemus ne Confessores hujusmodi, qui mittuntur solummodò ad prædicta, super villas et Parochias Diœcesis discurrentes, generalibus Parochianorum confessionibus audiendis se occupent, nisi de mandato Prælati, et licentia Curati: sed eos ad proprios remittant Sacerdotes; et à casibus, pro quibus mittuntur, Pœnitentes absolvant: Ne ipsi Parochiani mandatum de confitendo saltem semel in anno propriis Sacerdotibus simulatoriè et dolosè se gaudeant evasisse.

Concil. Senon. *ann.* 1269. *Can.* 4. Statutum Concilii Generalis de viventibus arcendis ab ingressu Ecclesiæ, et morientibus qui Christianâ debent sepulturâ carere, nisi saltem semel in anno peccata sua confessi fuerint proprio Sacerdoti, et ad minus in Pascha susceperint reverenter Eucharistiæ sacramentum, nisi fortè de proprii Sacerdotis consilio, ob aliquam rationabilem causam, ab ejus perceptione ad tempus abstinendum duxerint, observetur firmiter, et frequenter in Ecclesiis publicetur. Caveant Sacerdotes ne ad Communionem Altaris aliquem admittant, nisi sibi, vel alii idoneo de sua licentia, omnia peccata sua sit confessus.

Concil. Arelat. *anno* 1275. *à* **Bertrando** *de sancto Martino*, *Arelat. Archiepisc. celebratum, Can.* 21. Et quoniam Parochialibus Presbyteris curam animarum habentibus specialiter et præcipuè cura commissa est animarum: statuimus inhibentes, quòd infirmantium Confessiones, nonnisi per ipsos Parochiales Presbyteros, si haberi potuerint, vel per alios Presbyteros seculares vel Religiosos, de ipsorum licentia, audiantur: quam licentiam dari volumus et præcipimus ab eisdem liberaliter et libenter, cùm fuerint requisiti.

Synod. Colon. *à* Siffrido *Archiepiscopo celebrata ann.* 1280. *cap.* 8. Si quis tamen alieno Sacerdoti, vel alicui Religioso, justa de causa, voluerit confiteri, licentiam primò postulet et obtineat à proprio Sacerdote : ita tamen quòd semel ad minus in anno proprio Sacerdoti plenè et integrè confiteatur.

Synod. Nemausensis *ann.* 1284. *sub* Bertrando *Episc. Tit. de Pœnitentia.* Statutum est, quòd omnis utriusque sexûs Fidelis, postquam ad annos discretionis pervenit, omnia peccata sua solus confiteatur fideliter saltem in anno semel proprio Sacerdoti.... Quod et de Clericis, scilicet quòd confiteantur proprio Sacerdoti, in cujus Parochia commorantur. Si quis autem Clericus vel Laïcus alieno Sacerdoti justa de causa voluerit sua peccata confiteri, licentiam præsens postulet et obtineat ab ipso Sacerdote. Præcipientes districtè ne aliquis Presbyter super hoc requisitus præsumat alicui malitiosè licentiam ejusmodi denegare.

Synod. Lingonens. *ann.* 1452. *à* Philippo *Episcopo habita.* Mandamus singulis Ecclesiarum Rectoribus, quòd singulis diebus Quadragesimæ Dominicis habeant illud statutum salutare suis Parochianis, *omnis utriusque sexûs*, in Concilio generali editum, publicare et exponere, sobriè tamen loquendo quod vult effectu : Quòd omnis utriusque sexûs fidelis semel in anno à suo proprio *Curato* Sacerdote Pœnitentiam debet recipere, et sacramentum Eucharistiæ ad minimum in Paschate.

Synodus Camerac. *eodem anno celebrata*, *tit.* 4. *de Pœnitentia.* Sacerdotes moneant subditos suos, ut omnes à quatuordecim annis et supra, et præsertim in Quadragesimali tempore, et ante Dominicam in Ramis Palmarum, ad Confessionem frequenter accedant, seu veniant, et saltem semel in anno confiteantur Proprio Sacerdoti, id est, Presbytero Parochiali. Qui ideò magis propriè Proprius dicitur Sacerdos, quia non solùm confessiones audit et absolvit, sed etiam ministrat alia Ecclesiastica Sacramenta.

Concil. Burdigal. *anno* 1624. *celebratum*, *can.* 3. Sæpissimè fideles ad sacratissimæ Eucharistiæ sumptionem cum omni devotione, et compunctis cordibus accedere peroptamus. Sed ne omittant tempore Paschali id in propria Parochia præstare, sacris Canonibus insistentes statuimus eo tempore omnes Christi fideles, tum ad confessionem peccatorum Proprio Parocho, aut ălii de ejus licentia faciendam, tum ad sacram Eucharistiam in eadem Ecclesia percipiendam teneri et obligari, nulloque aliàs præceplo Ecclesiæ satisfecisse.

Concil. Paris. *ann.* 1212. *can.* 12. Ne quis Sacerdos sine mandato Superioris, aut ejus qui in aliqua Parochia curam animarum gerit confessiones recipiat, omissis propriis Sacerdotibus, vel contemptis, nisi in articulo necessitatis.

Concil. Tolos. *ann.* 1229. *can.* 13. Omnes autem utriusque sexûs postquam ad annos discretionis advenerint, confessionem peccatorum faciant ter in anno proprio Sacerdoti, vel alii de voluntate ipsius, vel mandato. *Idem sanxit* Concil. Albiense. *ann.* 1254. *can.* 29. *iisdem ferè verbis.*

Concil. Claromont. *ann.* 1268. *can.* 7. *de Pœnitentia.* Alienos autem Parochianos Presbyteri ad confessionem non recipiant, nisi fortè cùm quis est vagabundus, ut sunt pauperes mendicantes, vel nisi quis vadat in peregrinatione, vel in similibus casibus.

Clerus Gallicanus *in Comitiis general. ann.* 1643. *calculo suo approbavit* Censuram Sacræ Facultatis Paris. *circa quasdam propositiones quarum nona propositio.* « Securius et salubrius est peccata Regularibus » quàm Pastoribus confiteri. » Hæc propositio est falsa, scandalosa, temeraria et ordinis Hierarchici destructiva.

Sequentes etiam propositiones damnavit Clerus Gallicanus *in Comitiis General. ann.* 1655. *n.* 4. « Il n'y a aucune obligation de conscience d'assis- » ter aux Eglises paroissiales, soit pour y recevoir annuellement le sacre- » ment de Pénitence, soit pour y entendre les Messes paroissiales et les » Prônes, pour s'y faire instruire des choses de la foi et des bonnes » mœurs, aux Catéchismes et Sermons qui s'y font.

» *N.* 5. Les Evêques, les Conciles provinciaux et nationaux ne peuvent » établir cette obligation, ni ordonner aucunes peines ou censures Ecclé- » siastiques contre ceux qui n'y satisferont pas. » Prædictas propositiones

Idcò Ecclesia proprii Sacerdotis nomine utitur in hac lege, non Parochi vel Pastoris nomen usurpat; quia multi sunt qui non subsunt Parochis, verbi gratiâ, Monachi et Moniales, aliique non pauci. Sed proprii Sacerdotis nomine intelligitur Pastor quivis quocunque nomine appelletur, vel Pastoris vices gerens. (F)

I. Ergo peccat qui semel in anno non confitetur proprio Sacerdoti?

R. Peccat utique, nisi confiteatur alieno de proprii Sacerdotis licentia.

I. Estne invalida confessio facta Sacerdoti alieno sine proprii Sacerdotis licentia?

R. Est invalida. Rem definivit Ecclesia his verbis: *Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit justâ de causâ, sua confiteri peccata, licentiam priùs postulet et obtineat à proprio Sacerdote;* temerarias, scandalosas, falsas, erroneas, in hæresim et schisma inducentes, Sedi Apostolicæ, Conciliis tum œcumenicis, tum Provincialibus, et præcipuè sacro Tridentino, et ordini Episcoporum Apostolico injuriosas et contrarias, Ecclesiasticæ Hierarchiæ destructivas, respectivè judicamus. Nulli igitur fideles hæc doceant ne in via Caïn abeant, et errore Balaam effundantur, et in contradictione Core pereant, dignique habeantur qui tradantur satanæ, in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi, ad quem flectimus genua, ut det secundùm divitias misericordiæ suæ hujusmodi errantibus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem.

Vide suprà hocce §. litt. (B) *can.* SYNOD. TRECENS. SYNOD. AQUENSIS 1585. SYNOD. CARNOT. *ann.* 1526. *can.* 23. *sub finem, ex* SYNOD. GALONIS *et* SIMONIS.

(F) *Id si probatione indigeret, probaret certè* CLAROMONT. SYNOD. *ann.* 1263. *can.* 7. Proprium autem Sacerdotem dicimus duobus modis; ex officio, utpote Papam, Episcopum, Curatos: vel ex commissione, sicut FF. Prædicatores, et Minores, et quibus Episcopus commiserit vices suas.

CLERUS GALLICAN. *in Comitiis General. ann.* 1657. *in Epist. sua encyclica ad Episc. Galliæ censurâ notat Auctorem qui contrarium, adversùs P. Bagot scribens, docuerat.* Il n'y avait pas aussi plus de nécessité pour prouver que selon le Concile de Latran, il se faut confesser une fois l'an à son Curé, de dire qu'il n'y a que lui seul qui soit le propre Prêtre, et que tout le droit d'administrer le Sacrement de Pénitence était renfermé dans cette qualité, puisqu'il appartient au Pape et aux Evêques d'une façon plus noble et plus relevée, et que ce faux principe l'a fait tomber dans cette opinion si absurde, que le Pape et les Evêques ne sont propres Prêtres à l'égard des fidèles, que pour les sacremens de Confirmation et de l'Ordre, et pour les cas qu'ils se réservent.

Legenda R. P. NATALIS ALEXANDRI Dominic. *Dissert. 6. in Hist. Eccles. sæc.* 13. *et* 14. *in quâ* quoscunque Sacerdotes vel à summo Pontifice, vel ab Episcopis approbatos, proprii Sacerdotis nomine designari *vult*, etiam si invitis Parochis confessiones excipiant. *Certè contrarium statuit* CONCIL. ROTHOM. *ann.* 1299. *can.* 6. Cæterùm animarum saluti consulere, ac earum periculo obviare volentes statuimus, quòd Prælati fratribus Prædicatoribus, aut Minoribus, aut aliisve Religiosis quibuslibet, potestatem absolvendi subditos à peccatis suis de cætero non committant in casibus, cui de jure vel consuetudine reservantur eisdem, nisi certis personis et notis duntaxat, quarum Prælati industriam duxerint eligendam in certis casibus qui in concessione, vel commissione eis facta specialiter inserantur: quodque ipsa commissio ad casus in quibus tenetur Catholicus quilibet confiteri semel in anno (*scil.* tempore Paschatis) peccata sua proprio Sacerdoti, nullatenùs extendatur, nisi ipsius Sacerdotis habitâ super hoc voluntate.

CUM ALITER ILLE IPSUM NON POSSIT SOLVERE VEL LIGARE.
(Conc. Lateran. IV. Can. 21. Concil. Bajoc. Cap. 8. Conc. Rhem.)

I. **Nova narras et inaudita. Hactenus hanc ignoravimus legem. Totam ergo hanc sanctionem proferas velim ?**

R. **Lubens proferam. Is canon est 21. Concilii IV. Lateranensis, œcumenici, habiti anno 1215.**

Omnis utriusque sexûs fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno proprio Sacerdoti, et injunctam sibi pœnitentiam studeat pro viribus adimplere; suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ sacramentum : nisi fortè de consilio proprii Sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum; alioquin et vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, et moriens Christianâ careat sepulturâ. Unde hoc salutare statutum frequenter in Ecclesiis publicetur; ne quisquam ignorantiæ cæcitate velamen excusationis assumat. Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit justâ de causâ sua confiteri peccata, licentiam priùs postulet et obtineat à proprio Sacerdote; cùm aliter ille ipsum non possit solvere vel ligare.

Sacerdos autem sit discretus et cautus, ut more periti medici superinfundat vinum et oleum vulneribus sauciati : diligenter inquirens et peccatoris circumstantias et peccati, per quas prudenter intelligat, quale illi consilium debeat exhibere, et cujusmodi remedium adhibere, diversis experimentis utendo ad sanandum ægrotum.

Caveat autem omninò, ne verbo, vel signo, vel alio quovis modo prodat aliquatenùs peccatorem; sed si prudentiori consilio indiguerit, illud absque ulla expressione personæ cautè requirat; quoniam qui peccatum in pœnitentiali judicio sibi detectum præsumpserit revelare, non solùm à Sacerdotali officio deponendum decernimus, verùm etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam, in arctum Monasterium detrudendum.

I. **Cur præcipit Ecclesia singulos fideles semel saltem in anno confiteri ?**

R. **Ne quis fortè diutiùs jaceat in sordibus peccatorum, sed ut omnes convertantur ad Dominum.**

I. **Satisne est si quis semel in anno confiteatur ?**

R. **Satis est quidem ad exsecutionem præcepti Ecclesiæ. Sed experientia docet vix in Christianæ vitæ ratione diu permanere eos qui semel tantùm in anno confitentur; ideò plurimùm hortatur Ecclesia (G) Christianos ut sæpiùs accedant ad pœnitentiæ sacramentum.**

(G) RITUALE PARIS. *ann.* 1697. *pag.* 90. Parochus fideles sibi commissos hortetur, ut ad Pœnitentiæ sacramentum, non solùm cum præcepto Ecclesiæ tenentur, sed quàm frequentissimè accedant. Moneat insuper pœnitentiæ radices quidem amaras esse, sed fructus suavissimos : doceat nihil nobis optatius esse debere, quàm in Dei gratiam restitui, animam quovis scelerum pondere oppressam sublevari, conscientiæque pacem et tranquillitatem tribui, quæ omnia sacramenti Pœnitentiæ beneficio consequitur.

I. Quæ maximè regula in eo tenenda ?

R. Sunt qui sæpiùs, sunt qui rariùs accedere debeant : aliis expedit semel qualibet hebdomadâ confiteri, aliis semel intra dies quindecim, aliis sufficit si semel in mense confiteantur. Hìc habenda ratio propriæ infirmitatis, necessitatis. Consulat ea de re unusquisque moderatorem conscientiæ pium, prudentem, doctum, et in animarum regimine exercitatum.

CAPUT QUINTUM.

De Quarto Præcepto Ecclesiæ circa Communionem Paschalem.

I. QUODNAM est quartum Ecclesiæ præceptum ?

R. Ut *omnis utriusque sexûs fidelis statim atque ad annos discretionis pervenerit, suscipiat reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ sacramentum, nisi fortè de consilio proprii Sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum.* Verba sunt Concilii Lateranensis IV. (*Can.* 21.)

I. Qua in Ecclesia suscipiendum est sacro-sanctum Eucharistiæ sacramentum in Paschate ?

R. In Ecclesia Parochiali, vel (si quis fortè Ecclesiæ Parochiali non subjiciatur) in Ecclesia quæ Parochiæ locum tenet. Sic interpretati sunt Concilii Lateranensis mentem omnes Episcopi in libris Ritualibus vel in Synodalibus decretis. (A)

I. Ergo non satisfacit Ecclesiæ præcepto qui in alia Ecclesia quàm Parochiali vel quasi Parochiali communicat ?

R. Non satisfacit, nisi id fiat cum expressa proprii Sacerdotis, vel Episcopi licentia.

I. Tenenturne omnes ipso Paschatis die communicare ?

R. Sufficit si communicent semel intra dies quindecim qui majori hebdomadâ et Paschæ octavâ comprehenduntur.

I. Si quis per id tempus ægrotaverit ?

R. Præcepto Communionis Paschalis satisfacere tenetur statim atque per valetudinem licuerit. Si quis tamen lecto decumbens sacram communionem intra id temporis spatium accipiat à proprio Sacerdote, vel ab alio quovis ejus vices gerente, hâc Communione satisfit præcepto Ecclesiæ.

I. Si quis de consilio Sacerdotis ob rationabilem causam

SPECULUM CURATORUM *Eccles. Rothomagensis, de Pœnit. ann.* 1506.... Quæritur quando est facienda confessio. R. Quod ad minus semel in anno sub pœna novi peccati, sed securiùs est confiteri, habitâ opportunitate. Circa hoc monent Curati suos Parochianos sæpè confiteri maximè diebus festis.

Idem docent omnes RITUALES *libri, quos consulere potes. Id etiam docent plerique* SYNODI *et* CONCILIA *superius laudata litt.* (B) *et* (E) *et moralis* LIBRI de sacram. Pœnit. *editi.*

(A) *Id probant varii* VARIORUM CONCILIORUM *Canon. quos suprà laudavimus* §. *præced. litt.* (B) *et* (E).

a Communione ad tempus abstinuerit, quomodo se debet interea gerere?

R. Debet seriò converti ad Dominum, dignos fructus pœnitentiæ facere; et postea cum per proprium Sacerdotem licuerit, communicare in Ecclesia Parochiali.

I. Quâ ætate tenentur fideles hujus præcepti lege?

R. Ubi ad annos discretionis pervenerint, hoc est, ubi quis proprii Sacerdotis judicio, satis habuerit rationis et intelligentiæ ad communicandum cum fructu.

I. Quæ pœna proposita iis qui huic Ecclesiæ præcepto non satisfecerint?

R. Si quis huic præcepto non satisfecerit, *et vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, et moriens Christianâ careat sepulturâ.* Verba sunt Concilii Lateranensis in Canone 21. suprà laudato.

I. Sufficitne si quis semel in anno communicet?

R. Sufficit quidem ad præceptum Ecclesiæ: sed qui semel tantùm in anno communicant parùm illi ut plurimùm videntur de propria salute solliciti. Sic itaque vivendum ut possit esse communio multò frequentior: id peroptat Ecclesia. (b)

(B) S. Cyprianus *de oratione Dominica*, *ann.* 252. *in fine pag.* 146. *edit. Oxonii*, *in fol. ann.* 1682... Panis vitæ Christus est, et panis hic omnium non est, sed noster est: et quomodo dicimus *Pater noster*, quia intelligentium et credentium Pater est; sic et *panem nostrum* vocamus: quia Christus noster (qui corpus ejus contingimus) panis est. Hunc autem panem dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus, et Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum abstenti et non communicantes à cœlesti pane prohibemur, à Christi corpore separemur; ipso prædicante et monente: *Ego sum panis vitæ qui de cœlo descendi. Si quis ederit de meo pane, vivet in æternum. Panis autem, quem ego dedero, caro mea est pro seculi vita.* (*Joan.* vi. 51. *et* 52.) Quando autem dicit in æternum vivere, si quis ederit de ejus pane: ut manifestum est eos vivere, qui corpus ejus attingunt, et Eucharistiam jure communicationis accipiunt: ita contra timendum est et orandum, ne, dum quis absentus separatur à Christi corpore, procul remaneat à salute; comminante ipso et dicente: *nisi ederitis carnem Filii hominis, et biberitis sanguinem ejus, non habebitis vitam in vobis.* (*Ibid.* 54.) Et ideò *panem nostrum*, id est, Christum dari nobis quotidie petimus, ut qui in Christo manemus et vivemus, à sanctificatione ejus et corpore non recedamus.

S. Ambros. *lib.* 5. *de Sacramentis*, *c.* 4. *n.* 24. Panem nostrum da nobis hodie.... Dixi vobis quòd ante verba Christi quod offertur, panis dicatur: ubi Christi verba deprompta fuerint, jam non panis dicitur, sed corpus appellatur. Quare ergo in oratione Dominica, quæ postea sequitur, ait: *Panem nostrum.* Panem quidem dixit, sed *epiousion*, hoc est, *supersubstantialem.* Non iste panis est, qui vadit in corpus; sed ille panis vitæ æternæ, qui animæ nostræ substantiam fulcit.

V. 25. Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis, quemadmodum Græci in Oriente facere consuerunt? Accipe quotidie quod quotidie tibi prosit. Sic vive, ut quotidie merearis accipere. Qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum accipere. Quomodo Job sanctus pro filiis suis offerebat quotidie sacrificium, ne fortè aliquid vel in corde, vel in sermone peccassent? Ergo tu audis, quod quotiescumque offertur sacrificium, mors Domini, Resurrectio Domini, Elevatio Domini significetur et remissio peccatorum: et panem istum vitæ non quotidianum assumis? Qui vulnus habet medicinam requirit. Vulnus est, quia sub peccato sumus, medicina est cœleste et venerabile sacramentum.

(Quæ sint ad sacram communionem dispositiones infrà dicemus ubi de sacro-sancto Eucharistiæ sacramento. *Part.* 3. *Sect.* 1. *Cap.* 4. §. 8.)

N. 26. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Quotidie si accipis, quotidie tibi *hodie* est. Si tibi hodie est Christus, tibi quotidie resurgit.

S. AUG. *Epist.* 54. *aliàs* 118. *seu lib.* 1. *ad inquisit. Januarii, cap.* 3. *n.* 4. Peccata si tanta non sunt, ut excommunicandus quisquam homo judicetur, non se debet à quotidiana medicina Dominici corporis separare... Et ille honorando non audet quotidie sumere, et ille honorando non audet illo die prætermittere. Contemptum solùm non vult cibus iste, sicut nec manna fastidium.

S. CYRIL. ALEXAND. *lib.* 3. *in cap.* VI. *Joan. v.* 11. *cap.* 4. *pag.* 324. Quidnam ergo Christus pollicetur? Nihil quidem corruptibile, sed Eulogiam potiùs illam quæ est in participatione sanctæ carnis, ac sanguinis, quæ integrum hominem ad incorruptionem revocat.... Vivificat igitur sanctum Christi corpus eos in quibus fuerit, et in incorruptione conservat, nostris communistum corporibus.... Quæ cùm ita sint, intelligant demum quicunque baptizati sunt divinamque gratiam gustarunt, si cunctanter et vix Ecclesias adeant, et longo temporum spatio Eulogiam quæ per Christum frequentare desinant, et ex eo quòd nolunt ei mysticè communicare, damnosum metum ac religionem prætexant, æternâ vitâ seipsos excludere, dum vivificari renuunt: et recusationem illam, tametsi à metu ac religione profecta videtur, in laqueum cedere et scandalum. Enitì quippe magis eos omni studio, ac viribus deceret, ut à peccato statim mundentur, honestumque ac probum vitæ institutum amplexi, ad vitæ participationem demum magna cum fiducia properent. Sed cùm Satanæ variæ ad decipiendum sint artes, ad saniorem mentem eos revocari non sinit, verùm postquam eos malis inquinavit, ipsam quoque gratiam cogit exhorrescere, per quam à voluptate quæ ad vitium inducit, tanquam à vino et crapula ad sobrietatem revocati, quid utile sit perspicere queant. Ruptis igitur illius vinculis, et excusso jugo tyrannico, in timore Domino serviamus, ut scriptum est, et carnis voluptatibus per temperantiam superatis, ad divinam ac cœlestem gratiam accedamus, et ad sanctam Christi participationem ascendamus. Sic enim, sic fraudem diabolicam superabimus, et divini facti consortes naturæ, ad vitam et immortalitatem evehemur.

Lib. 4. *in Joan. Evang. cap.* 6. *v.* 57. *pag.* 365. Si vitæ æternæ amore flagramus, si largitorem immortalitatis in nobis habere cupimus, ne quod quidem negligentiores faciunt, Eulogiam suscipere recusemus, caveamusque neve laqueum nobis et tendiculam Diabolus insigniter fraudulentus struat, damnosam nempe religionem ac metum. At enim scriptum est, inquies: *Qui manducat ex hoc pane, et de calice bibit indignè, judicium sibi manducat et bibit:* (1. *Cor.* XI. 29.) Ubi verò probavi meipsum, indignum me esse video. Quandonam ergo dignus eris, ò quisquis hæc dicis, quandonam teipsum Christo sistes? Nam si te peccata usque deterreant, labi autem cessaturus sis nunquam.... vacuus omninò comperiere sanctificationis illius quæ in æternum nos servat. Quare piè apud te statuas rectè honesteque degere, atque ita Eulogiæ particeps fias, credens eam non mortis solùm, verùm etiam morborum nostrorum depellendorum vi pollere. Christus enim existens in nobis, sopit sævientem in nostris membris carnis legem, et pietatem in Deum exsuscitat, perturbationes mortificat, delicta in quibus sumus nobis non imputans, sed potiùs ut ægrotos sanans. Confractum enim alligat, erigit lapsum, ceu pastor bonus, et qui animam suam ponit pro ovibus suis.

CONC. TRIDENT. *Sess.* 22. *cap.* 6. *de sacrificio Missæ. Sub* PIO IV. 17. *Septembris* 1562. Optaret quidem sacro-sancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes, non solùm spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione, communicarent, quò ad eos hujus sanctissimi sacrificii fructus uberior proveniret.

Vide CANONES *laudatos* §. *superiori litt.* (B) *et* (G).

CAPUT SEXTUM.

De Quinto Præcepto Ecclesiæ, circa Jejunia.

§. 1. De Jejunio in genere.

I. QUODNAM est quintum Ecclesiæ præceptum ?

R. Ut sanctè observentur Jejunia Quadragesimæ, quatuor temporum, et vigiliarum.

I. Quid est Jejunium ?

R. In eo positum est Jejunium Ecclesiæ, ut abstineatur à certis ciborum generibus, fiatque semel in die refectio (A), quà horâ dicemus infrà, hocce paragrapho.

(A) R. P. THOMASSIN. Cong. Orat. D. N. J. C. Presbyter, *Tract. de Jejun. part.* 1. *cap.* 10. *n.* 1. Le jeûne consiste principalement à s'abstenir de vin et de viande, et à ne faire qu'un repas chaque jour vers le soir. *Cap.* 15. *n.* 1. Saint Ambroise et saint Augustin, saint Jerôme et Cassien, enfin tous les anciens Ecrivains emploient les deux termes *prandere* et *jejunare*, *dîner et jeûner*, comme des termes opposés, parce que jeûner n'était autre chose que ne pas dîner, mais différer la réfection jusqu'au soir.

N. 2. Saint Jérome dit que les Moines voulant toujours continuer de ne prendre qu'une réfection par jour, et désirant néanmoins s'accommoder à l'usage de l'Eglise, de ne point jeûner pendant les cinquante jours qui suivent la fête de Pâque, ils changeaient leur souper en dîner. *A Pentecoste cœnæ mutantur in prandia ; quò et traditioni Ecclesiasticæ satisfiat, et ventrem cibo non onerent duplicato.* (*Ad Eustoch. de custod. virgin.*) Les Moines prétendaient donc ne point jeûner *à Pentecoste*, depuis la Pentecôte, ou la cinquantaine de jours commencée, c'est-à-dire, depuis Pâque, parce qu'ils dînaient, quoiqu'ils ne fissent point d'autre repas. Ainsi ce n'était pas la seule unité du repas qui faisait le jeûne, mais aussi le delai du repas jusqu'au soir. Jeûner, c'était souper sans dîner : dîner, c'était ne point jeûner, soit qu'on soupât, ou qu'on ne soupât point.

N. 5. Cassian. lib. 3. instit. cap. 12. *Quòd scilicet extraordinaria sit inter monachos ista refectio ; nec omnes adeam convenire cogantur, nisi aut peregrini, qui supervenerint fratres, aut hi quos infirmitas corporis, aut propria invitat voluntas.* On voit par cet exemple combien l'unité du repas était nécessaire aux jours de jeûne ; puisqu'aux jours mêmes qu'on ne pouvait jeûner, comme aux Samedis et aux Dimanches, et pendant cinquante jours après Pâque, les religieux faisaient très-rarement deux repas en un jour. Mais, ou ils se contentaient de prendre leur unique réfection à l'heure du dîner, au lieu de la faire à l'heure du souper, comme ceux dont saint Jerôme parlait ci-dessus : ou si l'on préparait encore à souper le soir, comme dans les lieux dont Cassien parle, il n'y avait guère que les hôtes ou les infirmes qui s'y trouvassent ; et c'était une réfection qu'on faisait comme à la dérobée. Ce passage de Cassien montre encore évidemment que la seule réfection du jour de jeûne était le souper au soir ; et que dîner et ne point jeûner était la même chose.

Part. 2. *cap.* 9. *n.* 1. Les anciens Pères faisaient consister le jeûne à ne manger qu'au soir après Vêpres, en quoi était comprise l'unité, et l'heure du repas.

N. 2. Alexandre d'Alès propose cette question : Quel jeûne est le plus parfait, celui des Latins, qui ne prennent qu'une réfection chaque jour de jeûne, et la prennent suffisante, ou celui des Grecs, qui mangent plusieurs fois, mais ils mangent fort peu chaque fois ? Sa résolution est favorable au jeûne des Latins, et la raison en est, que le jeûne ne se distingue des autres actions de sobriété et de tempérance, que par cette

unité de réfection : manger peu, quoique souvent, c'est être sobre. mais ce n'est pas jeûner ; car enfin on n'est à jeun que lorsqu'on n'a point encore ni mangé ni bu chaque jour : enfin l'Eglise pouvait bien en prescrivant le jeûne déterminer l'unité d'un repas ; mais elle ne pouvait pas régler la quantité de ce que chacun devait prendre de nourriture, parce qu'on ne peut jamais faire de loi générale de ce qui doit se proportionner au besoin, aux forces, à l'âge, et à la complexion de chaque particulier. Ce sont là les principales raisons de ce Théologien, qui ajoute que lorsque saint Jérôme et les autres anciens directeurs de la vie spirituelle, ont dit qu'il valait mieux manger peu et souvent, que de manger moins souvent et se rassasier ; ou ils n'ont point parlé des jours de jeûne, ou ils n'ont parlé que de ceux qui passaient plusieurs jours sans prendre rien du tout.

N. 6. Etienne Poncher qui monta sur le trône de l'Eglise de Paris aussitôt après l'an 1500. exhortait encore son peuple, dans ses Ordonnances synodales, à observer le Carême, à s'abstenir de chair, d'œufs et de laitages, à ne manger qu'une fois le jour, et à ne prendre cette unique réfection qu'à midi : *semel in die refectionem corporis aliis cibis non vetitis corporibus vestris capiatis : et si tempus congruum habueritis, ut sanctus Thomas et alii Doctores nos instruunt, circa meridiem capiatis.* (*Synodic. Par. pag.* 243.) Ce statut donne quelque fondement de croire que les collations que nous faisons présentement au soir des jours de jeûne, n'étaient point encore ordinaires après l'an 1500. et qu'on exhortait encore en général tous les Fidèles à ne manger qu'une fois par jour aux temps des jeûnes, en même temps qu'on leur prescrivait les autres obligations du jeûne.

Accipite nunc SS. PP. et Script. Eccles. ea de re testimonia.

Auctor CONSTIT. APOSTOL. *lib.* 5. *cap.* 17. *de Hebdomada sancta loquens hæc habet :* Abstinete his diebus vino et carne dies, quippe luctûs, et non festi sunt. Sextâ tamen feriâ et sabbato ex toto manete jejuni, qui ita firmis viribus estis ut ferre possitis, nihil prorsùs gustantes usque ad nocturnum galli cantum.

Cap. 18. Quamobrem monemus vos, ut his diebus jejuni maneatis usque ad vesperam.... Reliquis verò diebus ante sextam feriam, edite horâ nonâ, aut vespere, aut pro ratione virium.

TERTULL. *Lib. de Jejunio, paulò post initium.* Arguunt nos quòd stationes plerumque in vesperam producamus.

S. PAULIN. *Ep.* 6. *ad Amand.* Quotidiana jejunia non refugit, et pauperem mensulam VESPERTINUS conviva non horruit.

S. GREG. NYSS. *Orat. in princip. jejunii, frigidiorum Christianorum questus ob jejunia referens, hæc habet :* Gravantur, sole tardiùs ad occasum tendente. Dies solito longiores appellant.

S. JOAN. CHRYSOST. *ad popul. Antioch. Homil.* 5. *propè finem.* Ecce hodie tota jejuni diem exegimus, et mensam in vespera apponemus.

Serm. S. AMBROS. *adscript. Serm.* 33. *ex Catechismo* CAVISN. Illud etiam, fratres, ad perfectionem jejunii tacendum non est, ut qui abstinemus et minimè prandemus, hoc tempore prandia nostra pauperibus prærogemus.

Serm. 24. *in Quadrag.* 7. *n.* 2. Dicite enim mihi, interrogo vos qui in Quadragesima prandetis, si non in conscientiis vestris rei estis, quòd abstinente toto populo, vos soli contra præceptum Domini devoratis : si non vobis rubor est cum exitis in publicum, ne quis vobis jejunus occurrat : aut si non cogitatis, cùm ad Ecclesiam proceditis, quemadmodum pacem Episcopo porrigatis, ne fortè ipso spiritu oculi vestri vos reprobet.

N. 3. Audio complures.... fideles allernis in Quadragesima hebdomadis abstinere, et consecratum illum dierum numerum gulæ intemperantiæ violare : hoc est, *prandere* septem dierum curriculo, et septem dierum spatio *jejunare, etc.*

Serm. 24. *in Quadrag.* 5. *n.* 4. Qualis ergo apud conscientiam tuam Christianus es, cùm Christo pro te esuriente, tu *prandes* ? Cùm salvatore pro te jejunante, tu reficis ? *Ergo prandere idem est apud hunc Auctorem, quisquis ille sit, ac non jejunare.*

S. BERNARD. *Serm.* 3. *de Quadrag. n.* 1. Hactenùs usque ad nonam jejunavimus soli : nunc usque ad vesperam jejunabant pariter universi,

I. A quibusnam cibis abstinendum est in diebus Jejunii?

R. A carnibus animalium et volatilium, quæ terrâ vel aëre nutriuntur. Prætereà autem tempore Quadragesimæ, ab ovis, lacticiniis, et caseo, nisi eorum usum Episcopi indulgeant. (B)

Reges et Principes, clerus et populus, nobiles et ignobiles, simul in unum dives et pauper.

THEODOLPHUS Episc. Aurelian. *cap.* 39. Nullatenùs jejunare credendi sunt, si antè manducaverint quàm vespertinum celebretur officium.

PETRUS BLESENSIS *Serm.* 11. Temporibus jejuniorum differtur Missæ officium post sextam, ut usque ad nonam protrahatur abstinentia ciborum. In Quadragesimâ verò etiam usque post nonam differtur Missale officium, ut etiam usque post vesperas refectio differatur.

IVO CARNOT. *Part.* 4. *Decr. cap.* 42. *ex* CONCIL. ARAUS. *cap.* 2. Ut in sabbato sancto, hoc est, in vigilia Paschæ jejunium ante noctis initium, nisi à parvulis aut infirmis, non solvatur.

Cap. 45. *ex* CONCIL. CABIL. *cap.* 5. Solent plures, qui se jejunare putant, in Quadragesimâ, mox ut signum audierint ad horam nonam, manducare. Qui nullatenùs jejunare credendi sunt, si antè manducaverint quàm vespertinum celebretur officium. Concurrendum est enim ad Missam, et auditis Missarum solemnibus et vespertinis officiis, largitis eleemosynis, ad cibum accedendum est. Si verò aliquis necessitate constrictus fuerit, ut ad Missam venire non valeat, æstimatâ vespertinâ horâ, completâ oratione suâ, jejunium solvat.

S. THOM. 2. 2. *Quæst.* 147. *art.* 6. *in conclus.* Rationabiliter Ecclesiæ moderatione statutum est, ut tantùm semel in die à jejunantibus comedatur.

In corpore. Respondeo dicendum quòd jejunium ab Ecclesia instituitur ad concupiscentiam refrænandam; ita tamen quòd natura salvetur. Ad hoc autem sufficere videtur unica comestio, per quam homo potest et naturæ satisfacere, et tamen concupiscentiæ aliquid detrahit, diminuendo comestionum vices. Et ideò Ecclesiæ moderatione statutum est, ut semel in die à jejunantibus comedatur.

Ad 1. Dicendum quòd quantitas cibi non potuit eadem omnibus taxari, propter diversas corporum complexiones, ex quibus contingit quòd unus majori, alter minori cibo indigeat: sed ut plurimùm omnes possunt naturæ satisfacere per unicam comestionem.

(B) R. P. THOM. Cong. Orat. D. N. J. C. Sacerd. *Tract. de jejun. Part.* 1. *cap.* 10. *n.* 3. L'abstinence de la chair était une loi commune pour tous les jeûnes.

N. 8. *Postquam multa Veterum ad hanc thesim probandam testimonia laudasset, ex his concludit:* 1. On a pu remarquer que l'abstinence la plus universelle a été celle de la chair et du vin, pour tous ceux qui jeûnaient, surtout en Carême. 2. Qu'on a jugé que les raisons pouvaient être bien plus légitimes de se dispenser de l'abstinence du vin, que de celle de la chair: tant parce que saint Paul en a donné l'exemple en la personne de son Disciple Timothée, que parce qu'effectivement l'estomac est bien plus souvent incommodé d'une boisson d'eau pure, que de l'abstinence de la viande. 3. Qu'on a prétendu en défendant la chair et le vin, défendre toutes les délicatesses du goût, et tous les raffinemens de la sensualité. Car l'abstinence est une vertu, et le jeûne est le principal exercice de l'abstinence. Or la vertu ne tend pas tant à soustraire au corps sa nourriture, qu'à arracher à l'ame et au corps tous les attraits des voluptés sensuelles. Ainsi en ôtant le vin, on a voulu retrancher toutes les délices du breuvage; en défendant la chair, on a condamné tous les ragoûts de la bouche. 4. La nourriture ordinaire de ceux qui jeûnaient, a été de légumes, de fruits et de pain, et de l'eau pour boisson. Encore a-t-on désaprouvé les délicatesses qu'on affectait quelquefois dans les légumes mêmes, les empressemens pour avoir des fruits extraordinaires et apportés de fort loin; enfin les eaux qui étaient plutôt des liqueurs exquises. 5. On a plutôt permis le vin que ces liqueurs délicieu-

ses, pourvu que ce fût du vin commun, en fort petite quantité, et pour remédier aux faiblesses de l'estomac.

N. 9. Les plus rigides observateurs du jeûne ont banni le poisson aussi-bien que la chair de leur table. Mais puisque la défense générale ne retranchait aux jours de jeûne que la chair et le vin, il faut reconnaître que l'usage du poisson n'était point défendu.

N. 11. *Dicit maximè adversam esse Theologorum, qui vini haustum extra cœnam jejunii legibus non contraire autumant, sententiam*, à cette loi si universelle du jeûne pendant les premiers siècles qui défendait le vin, aussi-bien que la viande, et qui faisait consister le jeûne dans cette double abstinence.

N. 12. Les jours mêmes de Dimanche, quoiqu'on ne jeûnât pas, on s'abstenait néanmoins de chair et de vin.

Chap. 11. *n.* 1. L'abstinence de la chair et du vin était le caractère du jeûne Ecclésiastique.

2. *Part. cap.* 6. *n.* 6. L'abstinence de la chair était la seule qui ne se mettait point en question, étant universellement observée par toute l'Eglise en Carême.

Idem probant plurima SS. PP. testimonia quæ hìc exscripsimus.

S. JOAN. CHRYSOST. *Homil.* 1. *in Gen.* Coquorum discursus, et pecudum mactationes è medio tolluntur, etc.

Homil. 2. Nusquam hodiè tumultus vel clamor, vel carnium concisiones, vel coquorum discursus.

S. AUG. *lib.* 30. *contra Faustum Manich. cap.* 5. Et Christiani, non hæretici, sed catholici, edomandi corporis causâ, propter animam in orationibus ampliùs humiliandam, non quòd illa esse immunda credant, non solùm à carnibus, verùm à quibusdam etiam terræ fructibus abstinent: vel semper, sicut pauci; vel certis diebus atque temporibus, sicut per Quadragesimam ferè omnes, quantò magis quisque vel minùs seu voluerit seu potuerit.

THEODORETUS *in epitome divin. Decret. cap. de abstin.* A vino autem, et ab esu carnium, et ab aliis ejusmodi abstinentiam, non similiter ac Hæretici amplectitur Ecclesia.

S. MAXIMUS TAURIN. *Hom.* 3. *de Jejun. Quadrag.* Quale illud est autem, quòd non VISCERIS CARNIBUS, et de ore tuo omni escâ sordidius egreditur maledictum? Quale est, quòd sanctificatur venter jejunio, et polluitur lingua mendaciis? Rectè sanè, frater, frequentabis Ecclesiam, si gressus tuos lethalibus laqueis avida illa non implicet et involvat usura. Rectè orabis Dominum tuum, si precibus tuis obvia tibi cordis non obsistat invidia. Rectè contundes manibus pectus, si omnem inde furorem malignæ voluntatis excusseris. Juste etiam dabis denarium pauperi, si alii illud pauperi non tulisti. Hæc ergo est, charissimi, religiosa esuries: hic fidelium pastus animarum, ut jejunium nostrum sanctificet castitas: ornet patientia, benignitas foveat, misericordia lætificet. commendet humilitas.

AUCTOR *Serm. in Append.* S. AUG. 143. *de Quadrag.* 4. *alias de temp.* 64. *n.* 2. Illa est in Quadragesimæ diebus grandis utilitas, quòd dum etiam à licitis abstinemus, magis ac magis admonemur illicita vitare. Qui enim abstinemus nos à carnibus quibus aliis diebus uti licet: qui nos abstinemus à vino, quo moderatè uti licet: qui ergo ista vitamus, quæ aliquando licent, imprimis peccata fugiamus, quæ omninò nunquam licent.

N. 3. Itaque si volumus benè jejunare à cibis, ante omnia jejunemus et à vitiis. Sic ergo ut dixi, jejunemus à cibis, ut multò magis jejunemus à vitiis, ut sanctorum morum ubertate saturemur, ut et in futuro mereamur ipsorum operum retributione saliari.

AUCTOR *Serm.* 144. *Append.* S. AUG. *alias de temp.* 65. *in Quadrag.* 5. *n.* 4. Cessent lavacra, vina vel carnes, non quòd creaturam Dei judicemus esse damnandam; sed qui toto anno nobis viximus, saltem vel paucos dies vivamus et Domino. Sed jejunia nostra ut plena sint et suffarta, misericordiæ pinguedine saginentur; domus esurientibus prandium nostrum. Nec putes jejunia sola sufficere ad sananda vulnera peccatorum, ni medicamento eleemosynæ recrecentur. Jejunium ergo tuum te castiget, sed lætificet alterum: et ita fructuosæ erunt angustiæ tuæ, si alteri

lætitudinem præstent. Sic jejuna, ut in alio manducante prandisse te gaudeas. *Hilarem enim datorem diligit Deus.* (2. *Cor.* IX. 7.) Nam manducante paupere de bonis tuis, prandet Christus, qui se in paupere esurire testatur.

IVO CARNOT. *part.* 4. *Decreti cap.* 29. *ex* S. GREG. M. *ad August. Anglorum Episc. Epist.* Par autem est, ut qui his diebus à carnibus animalium abstinemus, ab omnibus quoque quæ sementivam carnis trahunt originem, jejunemus à lacte videlicet, caseo, et ovis.

Capitularia THEODULPHI Episc. Aurelian. *c.* 40. Abstinentia verò in his diebus omnium deliciarum esse debet, et sobriè et castè vivendum. Qui verò ovis, caseo, piscibus, et vino abstinere potest, magnæ virtutis est. Qui autem his aut infirmitate interveniente, aut quolibet opere abstinere non potest, utatur: tantùm ut jejunium usque ad vesperum celebret solemniter, et vinum non ad ebrietatem, sed ad refectionem corporis sui sumat. A caseo verò, lacte, et butyro, et ovis abstinere, et non jejunare, dementissimum est, et ab omni ratione semotum. Vini enim ebrietas et luxuria prohibita sunt, non lac et ova; non enim ait Apostolus, Nolite comedere lac aut ova, sed *nolite inebriari vino in quo est luxuria.* (*Ephes.* V. 18.)

S. HIERON. *in Epitaph. Marcellæ.* Moderata jejunia, carnium abstinentia, vini odor magis quàm gustus, propter stomachum et frequentes infirmitates.

In Epit. Paulæ. Quæ exceptis diebus festis vix oleum in cibo caperet: ut ex hoc uno æstimetur, quid de vino, et liquamine, et piscibus, et melle, et ovis, et reliquis quæ gustui suavia sunt, judicarit.

CONCIL. TOLET. VIII. *can.* 9. Qui esum carnium præsumpserit attentare, ipsius anni tempore ab omni esu carnium abstineat gulam.

CONCIL. GERUNDENSE. *ann.* 517. A carnibus et vino decrevimus abstinendum.

STEPHANUS PONCHER *in Episc. Paris. assumptus ann.* 1503. *in Synod. Paris. pag.* 243. Hortor vos, et moneo Quadragesimam congruè jejunare et veluti censuerunt sacri Canones à carnibus, lacte, caseo, butyro, et ovis.

CONCIL. CONSTANT. *in Trullo can.* 56. Accepimus in Armeniorum regione et in aliis locis, in sabbatis et Dominicis sanctæ Quadragesimæ quosdam ova et caseum comedere. Visum est ergo et hoc, ut omnis Dei Ecclesia, quæ est in universo terrarum orbe, unum ordinem sequens, jejunium perficiat, abstineat, sicut ab omni mactabili, sic ab ovis et caseo, quæ quidem sunt fructus et fœtus eorum à quibus abstinemus.

S. THOM. 2. 2. *Quæst.* 147. *art.* 8. *in corp.* Respondeo dicendum quòd sicut suprà dictum est (*art.* 6.) jejunium ab Ecclesia est institutum ad reprimendas concupiscentias carnis, quæ quidem sunt delectabilium secundùm tactum: quæ consistunt in cibis et venereis: Et ideò illos cibos Ecclesia jejunantibus interdixit, qui et in comedendo maximè habent delectationem, et iterùm maximè hominem ad venerea provocant. Hujusmodi autem sunt carnes animalium in terra quiescentium, et respirantium, et quæ ex eis procedunt, sicut lacticinia ex gressibilibus, et ova ex avibus. Quia enim hujusmodi magis conformantur humano corpori, plus delectant, et magis conferunt ad humani corporis nutrimentum. Et sic ex eorum comestione plus superfluit ut vertatur in materiam seminis; cujus multiplicatio est maximum incitamentum luxuriæ: Et ideò ab his cibis præcipuè jejunantibus Ecclesia statuit esse abstinendum.

Ad tertium, dicendum quòd ova et lacticinia jejunantibus interdicuntur, in quantum sunt ex animalibus exorta carnes habentibus. Undè principaliùs interdicuntur carnes quàm ova vel lacticinia. Similiter etiam inter alia jejunia solemnius est Quadragesimale jejunium; tum quia observatur ad imitationem Christi; tum etiam quia per ipsum disponimur ad redemptionis nostræ mysteria devotè celebranda. Et ideò in quolibet jejunio interdicitur esus carnium. In jejunio autem Quadragesimali interdicuntur universaliter etiam ova et lacticinia. Circa quorum abstinentiam in aliis jejuniis diversæ consuetudines existunt apud diversos; quas quisque observare debet secundùm morem eorum inter quos conservatur. Undè Hieron. (Epist. 28. ut suprà) dicit de jejuniis loquens:

I. Cur præcipit Ecclesia abstinentiam ab illis cibis?

R. Pœnitentiæ causâ, ut caro mortificetur; sunt enim illi cibi cæteris meliores.

I. Videtur hoc præceptum pugnare cum eo quod ait Apostolus, *omne quod in macello vænit, manducate.* (1. *Cor.* X. 25.)

R. Non pugnat ullatenùs. Loquitur enim ibi Apostolus de iis qui præ conscientia non audebant ullas in macello carnes emere, ne exponerent se periculo Idolothyta comedendi. Ecclesia autem nullum cibi genus prohibet, nisi diebus Jejunii vel abstinentiæ; idque non conscientiæ, sed pœnitentiæ causâ solùm.

Rem fusiùs explico.

Ex Corinthiis ad quos scribit Apostolus, alii Idolothyta sine scrupulo manducabant, aliis eò usque religio erat Idolothyta manducare, ut nullas auderent emere carnes in macello, ne fortè ex iis quædam fuissent idolis immolatæ. Horum ut scrupulo occurrat Apostolus ait (1. *Cor.* X. 25.), *omne quod in macello vænit manducate, nihil interrogantes*

Unaquæque provincia abundet in suo sensu; et præcepta majorum leges Apostoli arbitretur. Hinc licèt olim in jejunio non à carnibus tantùm, sed et à vino abstinere, præsertim verò in jejunio Quadragesimæ, Christiani solerent, faciliùs tamen subindè circa vini abstinentiam quàm carnium generaliter dispensatum est, ut jam uti liceat vino, sed non carnibus, quarum usus licitus communiter omnibus nunquam fuit. Quòd autem simul cum carnium abstinentia conjungeretur olim abstinentia vini, patet ex verbis Augustini dicentis Dominicâ 1. Quadragesimæ serm. 1. *Qui abstinemus nos à carnibus quibus* (*aliis diebus*) *uti licet, qui nos abstinemus à vino quo moderate uti licet, qui vitamus quæ aliquando licent, imprimis fugiamus peccata quæ nunquam licent*: Et serm. 2. *Cessent vina vel carnes, ut qui nobis viximus toto anno, saltem per paucos dies viramus et Domino.* Item ex verbis Hieronymi super 10. cap. Danielis, ubi alicitur panem desiderabilem non comedisse nec introisse vinum aut carnem in os ejus: *Hoc exemplo docemur, tempore jejunii à cibis delicatioribus abstinere* (*quod ego nunc puto dici* panem desiderabilem) *nec carnem comedere, nec vinum bibere.* Item ex verbis Basilii homil. 1. de jejunio (quo jejunium Quadragesimæ intelligit) *Carnes non edis, et à vino abstines, etc.* Item ex verbis Theophili Alexandrini Epist. 3. Paschali universis Egypti Episcopis directâ: *Nequaquam in diebus Quadragesimæ vini pocula suspiremus, nec in procinctu belli ubi necessarius labor et sudor est, edulio carnium delectemur: Qui autem legum præcepta custodiunt, ignorant vinum in jejuniis, esum carnium repudiant.* Ac licèt addat socios Danielis in Babylone abstinentes exemplum nobis fortitudinis reliquisse, *ut omnem deinceps ætatem docerent jejuniorum tempore à carnibus et vino abstinendum*, abstinentia tamen carnium magis visa est Ecclesiæ necessaria, quàm abstinentia vini ad jejunii rationem: et sic in vino non in carnibus dispensavit. Undè abstinentia vini modò in jejunio consilii tantùm est non præcepti, sicut et abstinentia piscium, à quibus tamen olim abstinuisse Christianos in jejunio illo Chrysostomus indicat homil. 3. ad populum; et similiter aridi cibi, hoc est, panis et aqua, quibus ultimâ hebdomadâ Quadragesimæ ante Paschalis dies vescebantur. Cum sola ergo abstinentia generali carnium in præcepto remansit, ut à lacte, caseo, et ab ovis in jejunio Quadragesimæ communiter debeat abstineri: quia nimirùm par est ut qui per illos dies à carnibus animalium abstinemus, ab omnibus etiam quæ seminalem carnis trahunt originem, jejunemus, sicut in 4. parte Decretorum cap. 29. loquitur Ivo Carnotensis. Quamvis nunc satis communiter in aliquibus locis propter necessitatem in lactis et casei abstinentiâ dispensetur.

propter conscientiam.... 27. Si quis vocat vos infidelium, et vultis ire : omne quod vobis apponitur, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. 28. Si quis autem dixerit : Hoc immolatum est idolis ; nolite manducare, ne lædatur infirmorum conscientia. (C) Hæc nihil ad nos, ut per se patet. Ecclesia enim à nullo abhorret cibi genere, omnibus cum gratia participat, pro omnibus ciborum generibus gratias agit Deo. Quosdam cibos comedi prohibet diebus Jejunii non ut malos, sed ut meliores cæteris ; ab iis abstinet quidem, sed ad coërcendum appetitum, ad carnem affligendam : isque perpetuus Ecclesiæ mos fuit. Hunc morem Christus ipse approbavit, laudando miram Joannis-Baptistæ abstinentiam, cujus cibus erant locustæ et mel sylvestre. (D) Adeoque Neoterici, quos Protestantes dicimus, alieni sunt à perpetuo usu Ecclesiæ, et Christo ipsi contradicere non verentur, dum et sua agunt Jejunia sine ulla à carnibus abstinentia, et Ecclesiam superstitionis arguunt propter præceptam in jejuniis abstinentiam. (E)

(C) 1. Cor. x. 19. Quid ergo ? Dico quòd idolis immolatum sit aliquid ? aut quod idolum, sit aliquid ? 20. Sed quæ immolant gentes, dæmoniis immolant, et non Deo. Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum : non potestis calicem Domini bibere, et calicem dæmoniorum : 21. Non potestis mensæ Domini participes esse, et mensæ dæmoniorum. 22. An æmulamur Dominum ? Nunquid fortiores illo sumus ? Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. 23. Omnia mihi licent, sed non omnia ædificant. 24. Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius. 25. Omne quod in macello vænit manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. 26. Domini est terra, et plenitudo ejus. 27. Si quis vocat vos infidelium, et vultis ire : omne, quod vobis apponitur manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. 28. Si quis autem dixerit : Hoc immolatum est idolis ; nolite manducare, propter illum, qui indicavit, et propter conscientiam. 29. Conscientiam autem dico non tuam, sed alterius. Ut quid enim libertas mea judicatur ab aliena conscientia ? 30. Si autem cum gratia participo, quid blasphemor pro eo quòd gratias ago ?

(D) Matth. iii. 4.... Esca autem ejus erat locustæ et mel sylvestre. *Vide suprà Cap.* 2. §. 21. *hujusce Sect. litt.* (F) *Comment. in hunc locum.*

(E) R. P. Thomassin. *Tract. de Jejuniis. Vide suprà hocce* §. *litt.* (B) *Id multis probat argumentis.*

In Neotericos sacri jejunii impugnatores scripsisse videtur S. Aug. *lib. contra Adimantum Manichæi discip. c.* 14. *cùm ait :* De carne autem non manducanda et non bibendo vino, quod ait Apostolus, (*Rom.* xiv. 21.) non quia illa immunda arbitratus est, hoc præcipit, sicut isti existimant, et errantes in errorem præcipitant, quibus talia persuaserunt ; sed cùm ipse posuerit causam, cur hoc dixerit, non est nobis hæc interpretanda vel exponenda sententia. Sufficit enim ipsum de Apostoli Epistola totum locum huic sermoni contexere, ut et causa manifestè appareat, cur hoc Apostolus dixerit, et istorum fraus, qui particulas quasdam de Scripturis eligunt, quibus decipiant imperitos, non connectentes quæ suprà et infrà scripta sunt, ex quibus voluntas et intentio scriptoris possit intelligi. Sic ergo Apostolus ait : *infirmum autem in fide recipite, non in disceptationibus cogitationum, etc.* (*Rom.* xiv. 1.) Nunquid eget cujusquam interpretatione, ut intelligatur cur hoc Apostolus dixerit : et quantâ illi malitiâ de Scripturis certa quæque discerpunt, quibus circumveniant imperitos ? Nam et munda esse omnia dixit Apostolus secundùm fidem : et ei esse immundum, qui putat immunda : et tunc esse ab eis temperandum, cùm per offensionem accipiuntur, id est, cùm aliquis infirmus putat sibi ab omnibus carnibus temperandum ne incidat in carnem immolatitiam : et ideò eum qui manducat, potest

arbitrari in honorem idolorum id facere : et ex eo graviter offendi, cùm ipsa immolatitia caro, si ex fide à nesciente accipiatur, neminem maculet. Unde alio loco (1. *Cor.* x. 25.) idem Apostolus interrogari vetat, cùm quid de macello emitur, vel ab aliquo infideli quisquam vocatus, in mensa ejus exhiberi sibi carnes videt, quas isti immundas arbitrantur, non propter immolationem, sed quia carnes sunt, cùm Apostolus clamet omnia munda esse (*Rom.* xiv. 20. *Tit.* i. 15.), et omnem creaturam Dei bonam esse, et omnia sanctificari per verbum et orationem : et tamen temperandum ab eis, si quis fortè infirmus offenditur. Et quodam loco apertissimè istos significavit, cùm dicit, *In novissimis temporibus* futuros quosdam *prohibentes nubere, abstinentes à cibis quos Deus creavit.* (1. *Timoth.* iv. 2. *et* 3.) Hos enim propriè designat, qui non propterea temperant à cibis talibus, ut aut concupiscentiam suam refrenent, aut infirmitati alterius parcant : sed quia ipsas carnes immundas putant, et eorum creatorem Deum esse negant.

S. Hieron. *lib.* 2. *Comm. in Epist. ad Galat. cap.* 4. Dicat aliquis : Si dies observare non licet, et menses, et tempora, et annos, nos quoque simile crimen incurrimus quartam sabbati observantes ; et Parasceven : et diem Dominicam ; et jejunium Quadragesimæ.

S. Leo Mag. *Serm.* 86. *de Junio septimi mensis* 3. *cap.* 2. Divinarum namque revelatia Sanctionum, inter quælibet spontaneæ observantiæ studia, habet semper privilegium suum : ut sacratius sit quod publicâ lege celebratur, quàm quod privatâ institutione dependitur. Exercitatio enim continentiæ, quam sibi quisque proprio arbitrio incidit, ad utilitatem cujusdam pertinet portionis ; Jejunium verò quod universa Ecclesia suscipit, neminem à generali purificatione sejungit : et tunc fit potissimus Dei populus, quando in unitatem sanctæ obedientiæ omnium fidelium corda conveniunt, et in castris militiæ Christianæ similis ex omni parte præparatio, et eadem est ubique munitio.

Cap. 3. Ad hujus ergo invictæ unitatis potentiam, Dilectissimi, etiam hoc nos solemne jejunium septimi mensis invitat, ut à curis secularibus actibusque terrenis liberos ad Dominum animos erigamus. Et quia hanc intentionem semper necessariam non omnes possumus habere perpetuam, sæpiusque per humanam fragilitatem à supernis in terrena recidimus : istis saltem diebus, qui nobis ad saluberrima sunt remedia præstituti, mundanis nos occupationibus subtrahamus, et aliquid temporis, quod prosit ad bona æterna, foremur. *In multis enim*, sicut scriptum est, *offendimus omnes* (*Jacob.* iii. 2.) : licèt quotidiano Dei munere, à diversis contaminationibus emundemur : inhærent tamen incautis animis plerumque maculæ crassiores, quas oportet diligentiori curâ ablui, et impendio majore deleri. Plenissima autem peccatorum obtinetur abolitio, quando totius Ecclesiæ una est oratio, et una confessio. (*Matth.* xviii. 20.) Si enim duorum vel trium sanctorum pio consensui omnia quæ poposcerint Dominus præstanda promittit, quid negabitur multorum millium plebi, unam observantiam pariter exsequenti, et per unum Spiritum concorditer supplicanti ?

Cap. 4. Magnum est et in conspectu Domini, Dilectissimi, valdè pretiosum, cùm totus Christi populus, eisdem simul instat officiis, et in utroque sexu, omnes gradus, omnesque ordines eodem cooperantur affectu ; cùm in declinando à malo ac faciendo bonum, par cunctorum et una sententia est ; cùm in operibus servorum suorum glorificatur Deus, et totius pietatis auctor in mullarum gratiarum actione benedicitur. Alumtur esurientes, vestiuntur nudi, visitantur infirmi, et nemo quod suum est quærit, sed quod alterius, dum ad relevandam alienam miseriam unicuique mensura sua sufficit, et facile est invenire hilarem largitorem, ubi modum operis ratio temperat facultatis. Per hanc autem Dei gratiam, *quæ operatur omnia in omnibus* (1. *Cor.* xii. 6.), communis fidelium fructus et commune fit meritum ; Quoniam quidem potest et eorum par esse animus, quorum impar est census : et cum alter de alterius lætatur largitate, cui æquari non potuit impendio, æquantur affectu. Nihil in tali populo inordinatum, nihilque diversum est, ubi ad unum pietatis vigorem omnia sibi totius corporis membra consentiunt ; nec de sua tenuitate confunditur, qui de aliorum opulentia glo-

I. **Potestne liquidò demonstrari præceptum olim ab Ecclesia fuisse ut fieret in diebus Jejunii abstinentia à carnibus, quibus alioqui vesci liceret ?**

R. **Tam id certum est quàm quod certissimum. Neget solem esse lucidum, qui id negaverit. In omnibus Jejuniis Ecclesiasticis, et maximè in Quadragesimali Jejunio præceptam fuisse abstinentiam à carnibus et à vino testes sunt S. Basilius, S. Gregorius Nyssenus, S. Chrysostomus, S. Cyrillus Hierosolymitanus, Theophilus Alexandrinus, S. Hieronymus, S. Augustinus, Julianus Pomerius, S. Fulgentius, etc.** (F) **Erant et Jejunia sanctiora in quibus abstiriatur. Decus enim universitatis, est excellentia portionis : et cùm Dei spiritu omnes agimur, non solùm illa nostra sunt, quæ ipsi gerimus, sed etiam illa, de quibus in aliorum actione gaudemus.**

Serm. 87. *de Jejunio* 7. *mensis.* 4. *cap.* 2. Quamvis unicuique nostrum liberum sit voluntariis castigationibus proprium corpus afflicere, et nunc moderatiùs, nunc verò districtiùs repugnantes spiritui carnales concupiscentias edomare : quibusdam tamen diebus ab omnibus oportet pariter celebrari generale jejunium, et tunc est efficacior sacratiorque devotio, quando in operibus pietatis totius Ecclesiæ unus animus et unus est sensus. Publica enim præferenda sunt propriis : et ibi intelligenda est præcipua ratio utilitatis, ubi vigilat cura communis. Teneat igitur diligentiam suam observantia singulorum, et contra nequitiæ spiritalis insidias, implorato divinæ protectionis auxilio cœlestia quisque arma arripiat. Sed Ecclesiasticus miles, etiamsi specialibus prælis possit fortiter facere, tutiùs tamen et feliciùs dimicabit, si contra hostem palàm in acie steterit : ubi non suis tantùm viribus certamen incat, sed sub invicti regis imperio, fraternis consociatus agminibus, bellum universale conficiat. Minore enim discrimine plures confligunt cum hoste, quàm singuli : nec facilè patet vulneri, quem opposito scuto fidei, non sua tantùm, sed etiam aliorum fortitudo defendit : ut ibi una est omnium causa, sit una victoria.

Quid luculentius adduci potuit ad retundendas falsas cavillationes nostri temporis Hæreticorum, qui Ecclesiam accusant superstitionis quòd certos dies solemnibus jejuniis deputarit ?

(F) S. Basil. *Homil.* 1. *de Jejunio*, *pag.* 327. Nullum animal deplorat mortem, nusquam sanguis, nusquam sententia ab inexorabili ventre adversùs animantia pronuntiata. Cessat machæra coquorum, mensa contenta est sponte nascentibus.... Dato respirationem coquo tuo, da otium mensarum apparatori, quiescat manus pocillatoris, sit aliquando respiratio variorum, bellariorum ac cupediarum architecto. Conquiescat tandem ipsa domus ab infinitis tumultibus, à fumo, à nidore, ab his qui sursùm deorsùm cursitant, ac ventri velut imperiosæ dominæ ministrant.... Vide ne qui nunc aquam respuis, in posterum exemplo divitis illius, stillam aquæ concupiscas. Nemo per aquæ potum lapsus est in crapulam, nulli caput unquam doluit aquâ gravatum. Nullus eguit alienis pedibus cum aquæ potu familiaritatem habens. Nullum sui pedes destituerunt, nullæ manus factæ sunt inutiles, quæ aquâ irrigantur.... Cave tamen ne jejunii utilitatem solà escarum abstinentià metiaris. Verum jejunium est ab omnibus vitiis esse alienum. *Solve omne vinculum iniquitatis, condona proximo ;* si quid dolet animo condona illi debita. Nolite ad contentiones ac lites jejunare. Carnes non edis ? sed comedis fratrem tuum. A vino abstines ? sed ab injuriis tibi non temperas. Exspectas vesperam ut cibum capias, sed diem totum absumis apud tribunalia. Væ his qui ebrii sunt, non à vino.

S. Greg. Nyssenus *Serm. in principio jejunii.* Fastidiosè ad severam mensam accedunt, murmurant contra olera, convicia jaciunt in legumina.... Uno anhelitu aquam extrahunt, quasi esset amara à medicis præbita potio, Multi etiam vinum ingeniosè imitantur, suamque cupiditatem factitiis quibusdam potionibus consolantur. Alii etiam in oleribus delicias

quærunt, fiuntque miri cupediarum structores et artifices. Quod valdè fatuum arbitror, cùm jejunium voluntariæ mentis sit.

S. CHRYSOST. *Hom. 4. ad pop. Antioch.* Quidam sunt inter se ciborum abstinentiâ æmulantes, et hi quidem integros duos dies transigunt jejuni: hi verò non vini tantùm et olei, sed et omnis ferculi usum à suâ mensa rejicientes, pane et aquâ utentes, duntaxat Quadragesimam omnem expediunt.

Homil. 6. ad popul. Antioch. Quid difficilius non jurare, an per totum diem inediam pati, et aquæ potu et tenui victu siccari? Certum est quòd hoc illo gravius: sed tamen consuetudo res est tam facilis et expedita, quòd adveniente jejunio, et si millies quis exhortetur et infinita crucient et cogant vinum delibare, vel aliud quid lege jejunii non concessum degustare, omnia quis mallet pati, quàm prohibitum tangere nutrimentum.

Homil. 8 de pœnit. tom. 1. Cùm escâ abstinemus, peccato non abstinemus: cùm carnibus quidem non vescimur, devoramus tamen pauperum domos: cùm vino quidem haud inebriamur, inebriamur verò pravis desideriis: cùm quidem inediâ totam transigimus diem, atque eamdem impudicis in spectaculis consumimus.

S. CYRILLUS HIEROSOLYM. *Catech. 4. tit. de cibis.* Jejunamus enim et à vino, carnibusque nos abstinemus, non ea quasi piacula abhorrentes, sed mercedem exspectantes.

THEOPHILUS Archiepiscopus Alexand. 3. *Epist. Paschal.* Nequaquam diebus Quadragesimæ, sicut luxuriosi divites solent vini poculum suspiremus: neque.... carnium edulio delectemur..... Qui legum præcepta custodiunt, ignorant vinum in jejuniis, carnium esum repudiant... Nescientes quòd etiamsi hominum conscientiam fugiant, et clausis parietibus vescantur carnibus, atque aves altiles diebus Quadragesimæ et propinquante Pascha immundis manibus lacerent, tristi vultu foris jejunia promittentes, corripiat hujusmodi Dominus et dicat, Iniquitates maguas faciunt isti, ut recedant à sanctis meis.

S. HIERONYM. *Epist. 341. aliàs 2. ad Nepot.* Fortissimum jejunium est aqua et panis.

Epist. 57. aliàs 7. Ad Lætam de institut. filiæ. In Quadragesima continentiæ vela pandenda sunt... Cibus ejus oluscula sit, et simila; raroque pisciculi.

Epist. 49. aliàs 13. ad Paulinum. Sit vilis et vespertinus cibus, olera et legumina, interdumque pisciculos pro summis ducas deliciis.

S. AUG. *Serm. 205. aliàs de div. 68. in Quadrag. 1. n. 2.* Nemo sub abstinentiæ specie, mutare affectet potius, quàm resecare delicias, ut pretiosos cibos quærat, quia carne non vescitur; et inusitatos liquores, quia vinum non bibit; ne per occasionem quasi domandæ carnis, magis agat negotium voluptatis.

Serm. 207. aliàs de divers. 71. in Quadr. 3. n. 2. Jejunemus etiam humiliantes animas nostras, appropinquante die quâ magister humilitatis humiliavit semetipsum... Imitemur ejus crucem abstinentiæ clavis edomitas concupiscentias configentes. Castigemus corpus nostrum, et servituti subjiciamus: et ne per indomitam carnem ad illicita prolabamur, in ea domanda aliquantùm et licita subtrahamus. Crapula et ebrietas etiam per dies cæteros devitanda: per hos autem dies etiam concessa prandia removenda..... His autem diebus à conjugibus temperandum est. Facilè tibi obtemperabit caro, ne inhæreas alienis, quæ refrænari consueverit et à suis. Sanè cavendum est ne mutes, non minuas voluptates. Videas enim quosdam pro usitato vino, inusitatos liquores exquirere: et aliorum expressione pomorum, quod ex uva sibi denegant, multò suaviùs compensare. Cibos extra carnes multiplici varietate, ac jucunditate conquirere..... parcimonia jejuniis conjungatur. Sicut ventris castiganda saturitas, ita gulæ irritamenta cavenda sunt.. Carnalis est delectatio refrænanda. Esaû non pingui vitulo, vel volatilibus saginatis; sed immoderatè concupitâ lenticulâ reprobatus est. Sanctum David aquam plus justo desiderasse pœnituit.

JULIAN. POMER. *Lib. de vit. contempl. Vide infrà hocce 2. tit.* (BB)

S. Fulg. lib. de Fide ad Petrum cap. 3. A carnibus et vino abstinent, in quantum corporis valetudo permittit.

Vide etiam loca SS. PP. suprà allata hocce §. lit. (B)

nebatur non solùm à carnibus et lacticiniis et ovis, sed et à piscibus et ab omni coctorum ciborum genere. (G) Tale erat Jejunium majoris hebdomadis, quæ propterea dicebatur Hebdomas Xerophagiæ. (H) Est enim *Xerophagia* juxta vim nominis, crudorum et siccorum ciborum esus. Seculis sexto et septimo circa abstinentiam à vino in diebus Jejunii indulgentiùs actum est, sed non ubique. Seculo tandem octavo omnibus licitum fuit uti vino, cujus usus concedebatur antea iis solùm qui præ debilitate stomachi hoc solatio indigebant. Fuit ergo postea consilium non præceptum abstinentia à vino. (I) Sed abstinere à carnibus diebus Jejunii

(G) S. Epiphan. *in exposit. fidei*, *n.* 22. Sex illos Paschatis dies Xerophagiis, hoc est, arido victu transire populus omnis assuevit; hoc est panem duntaxat cum sale et aqua sub vesperam adhibere. Imnò nonnulli ad biduum.

Constitutiones Apostol. *lib.* 5. *c.* 17. Sex diebus Paschæ pane tantùm, sale, oleribus, et aquâ mensæ adhibitis jejunate. Abstinete his diebus vino et carne: dies quippe luctûs et non festi sunt.

Tertull. *de Jejunio.* Quòd etiam Xerophagias observemus, siccantes cibum ab omni carne, et omni jurulentia, et uvidioribus quibusque pomis, ne quid vinositatis, vel edamus, vel potemus. Lavacri quoque abstinentiam congruentem arido victui... Ecce convenio vos et interdum pane et aquâ victitantes, ut cuique visum est. Denique respondetis hæc ex arbitrio agenda, non ex imperio.

Cassianus. *Collat.* 2. *cap.* 19. Disculientes continentias diversorum, qui vel solis leguminibus, vel oleribus tantùm, vel pomis vitam jugiter exigebant, præposuere cunctis illis refectionem solius panis, cujus æquissimum in duobus paximatiis statuerunt, quos parvulos panes, vix libræ unius pondus habere certissimum est.

Theodor. Balsamon *in Canon. Apost.* 69. *hæc habet:* Nam et in iis similiter ac in Quadragesima jussi sumus aridis vesci (*Xerophagein*).

Petrus Damian. *Epist. seu Tract. de Jejun. ad Erem. tom.* 3. *Opusc.* 14. *et* 15. *in quo eadem rursùs inculcat*, *c.* 6. Jejunare autem illos diximus, qui panem cum sale et aqua percipiunt: ubi autem præter hæc aliud aliquid additur, perfectum jejunium non vocatur.

Et paulò post. In sabbato sancto necnon et vigilia Natalis Domini, ut labor Ecclesiastici relevetur officii, totum panem qui voluerint comeduat, alium verò cibum sive laïci sive Monachi non admittunt.

Opusc. 15. *cap.* 6. In Quadragesimæ principio omnes Monachi, necnon et laïci triduanum jejunium districtè conservant: ita ut qui à percipiendis alimentis omninò se compescere nequeunt, solo tamen pane simul et aquâ contenti vivant.

Cap. 15. Si aliquando tanta debilitas acciderit, hyberno etiam tempore die sabbati aut leguminibus infusis, aut herbarum radicibus, sive etiam pomis solitum licebit aliquantisper temperare jejunium.

(H) S. Epiphan. *Hæres.* 70. *n.* 12. *et Hæres.* 73. *n.* 3. Hebdomada Xerophagiæ et Paschalis, quæ vocatur sancta.

(I) R. P. Thomassin. Cong. Orat. D. J. Sacerd. *Tract. de Jejun. part* 2. *cap.* 6. *n.* 5. Il est évident qu'on s'était déja beaucoup relâché avant l'an 80[0], sur l'usage du vin, des œufs et des laitages, qu'on permettait non-seulement aux malades, mais aussi à ceux qui n'avaient pas d'autre nourriture propre à soutenir leur travail; enfin qu'on ne faisait consister l'essence du jeûne, qu'à s'abstenir de chair, et à ne prendre sa réfection qu'au soir après Vêpres.

Petrus Damian. *Epist. seu Tract. de Jejunio ad Erem. tom.* 3. *Opusc.* 14. A vino autem ut nostris aliquanto tempore continuimus; ita ut neque extrinsecùs venientes, vel etiam in Pascha Domini aliquid hic præter aquam biberent: neque vinum hic nisi pro sacrificio haberetur. Sed quoniam et hic manentes cœperunt ægrotantes deficere, et quidam ad eremum transire cupientes, hujus rigoris observantiam penitùs abhorruere:

semper fuit ad nostra usque tempora ex Apostolica traditione præceptum.

R. Quâ horâ frangere Jejunium licet ?

R. Olim Quadragesimale Jejunium ad vesperam usque continuabatur. Cætera autem minora Jejunia ad nonam usque. Si quis hodie veterem hunc Jejunii ritum servare velit, laudabile est. Sed juxta ritum hodiernum licet Jejunium frangere circa meridiem, nec priùs. (K)

fraternæ, vel ut veriùs dicam, communi imbecillitati dispensatoriè condescendentes, indulsimus, ut vinum servato sobrietatis moderamine biberetur ; ut quod cum Joanne non possumus ex toto relinquere, saltem cum Timotheo Pauli discipulo studeamus infirmo stomacho sobriè et humiliter ministrare : et qui prorsùs abstemi esse non possumus, esse saltem sobrii studeamus. *Idem etiam habet Opusc. 15. cap. 6. paucis verbis mutatis. Ex quibus verbis hæc elicit* THOMASS. *loco suprà citato* : Si Pierre Damien en a usé de la sorte après en avoir fait l'expérience ; et s'il s'est cru forcé de rendre l'usage du vin aux Religieux les plus austères de toute l'Eglise, nous ne trouverons pas étrange que l'Eglise ait usé de la même condescendance envers ses enfans, entre lesquels il y en a toujours tant d'infirmes, en n exigeant plus, comme autrefois, qu'on s'abstînt de vin aux jours de jeûne.

(K) *Vide sup. litt.* (A) *hocce* [illegible]. *SS. PP. eà de re testimonia ; quibus nunc pauca addemus.*

PETRUS BLES. *Serm. II. in Quadragesima.* Etiam usque post Nonam differtur Missale officium, ut etiam usque post Vesperas refectio differatur.

ABÆLARDUS *Op. pag.* 165. Post Sextam prandendum est, nisi jejunium fuerit. Tunc enim Nona exspectanda est ; et in Quadragesima etiam Vespera.

MICROLOG. *de Ecclesiasticis observationibus, c.* 49. *pag.* 760. BIBLIOTH. PATRUM, *Paris. ann.* 1624. *De divinis officiis.* In capite jejunii Missam dicimus ad Nonam, et omnia facimus ut in Quadragesima. Cùm enim illi quatuor dies pro complemento Quadragesimalis jejunii recipiantur, necessariò Quadragesimalem observantiam obtinebunt, videlicet ut tandem post Vesperam jejunium solvatur, sicut in Canonibus præcipitur ; quod tamen alio tempore statim post Nonam solvitur, cùm et Missa ad Sextam celebratur. In hoc enim Quadragesimale jejunium ab aliis differt diebus, quòd in aliis post Nonam, in hoc autem post Vesperam reficere debemus. Nec juxta Canones Quadragesimaliter jejunare censemur, si ante Vesperam reficimur. Ergo in quatuor diebus similiter jejunare debemus, si cum iis Quadragesimale jejunium adimplere volumus. Unde et Missa in iis diebus non ad Sextam, sed ad Nonam meritò celebratur. Est enim Ecclesiastica consuetudo, ut ad Nonam reficiamur, cùm ad Sextam Missam celebramus ; ad Vesperam autem cùm ad Nonam sacrificamus : ut ergo et in iis diebus usque ad Vesperam jejunemus, Canonicum est, ut et Missam ad Nonam differamus.

S. THOM. 2. 2. *Quæst.* 147. *art.* 7. Sed contra est quod Concilium Cabilonense dicit cap. *solent*, dist. 1. de consecrat. in Decretis. *In Quadragesima nullatenùs credendi sunt jejunare, qui antè manducaverint, quàm vespertinum celebretur officium :* Quod Quadragesimali tempore post Nonam dicitur : Ergo usque ad Nonam est jejunandum.

Conclusio. Ut jejunantes circa horam Nonam cibum sumant convenienter est constitutum.

Respondeo dicendum, quòd sicut dictum est (art. 1. 3. 5.) jejunium ordinatur ad delectionem et cohibitionem culpæ : Unde oportet quod aliquid addat supra communem consuetudinem ; ita tamen quòd per hoc non multùm natura gravetur. Est autem debita et communis consuetudo comedendi hominibus circa horam sextam : tum quia jam videtur esse completa digestio, nocturno tempore naturali calore interiùs revocato propter frigus noctis circumstans ; et diffusio humoris per membra, cooperante ad hoc calore diei usque ad summum solis ascensum : tum etiam quia tunc præcipuè natura corporis indiget juvari contra exteriorem aeris calorem, ne humores interiùs adurantur. Et ideò ut

jejunans aliquam afflictionem sentiat pro culpæ satisfactione, conveniens hora comedendi taxatur jejunantibus circa horam nonam. Convenit etiam ista hora mysterio passionis Christi, quæ completa fuit hora nonâ, quando *inclinato capite tradidit spiritum.* (*Joan.* XIX. 30.) Jejunantes enim dum suam carnem affligunt, passioni Christi conformantur; secundùm illud ad Galat. (v. 24.) *Qui autem Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.*

Ad secundum, dicendum quòd ad jejunium requiritur hora determinata, non secundùm subtilem examinationem, sed secundùm grossam æstimationem : sufficit enim quòd sit circa horam nonam : et hoc de facili quilibet cognoscere potest.

Ad tertium, dicendum quòd modicum augmentum, vel etiam modicus defectus non multùm potest nocere : non est autem magnum temporis spatium quod est ab hora sexta, in qua communiter homines comedere consueverunt, usque ad horam nonam, quæ jejunantibus determinatur. Et ideò talis taxatio temporis non multùm potest alicui nocere, cujuscunque conditionis existat : vel si forte infirmitatem, vel ætatem, aut aliquid hujusmodi, hoc eis in magnum gravamen cederet, esset cum eis in jejunio dispensandum, vel ut aliquantulùm prævenirent horam.

DOM. LANCELOT *in Tract. de Hemina* §. 60. Nous voyons par Alexandre de Halès et saint Thomas, que cette indulgence de manger à None, le Carême, fut facilement introduite, quoiqu'avec si peu de fondement. L'usage de prendre son repas à cette heure-là, dans les autres jeûnes, fit qu'on eut moins de peine à réduire ceux-ci. Et cette coutume a duré quelque temps dans l'Eglise : quoique toujours avec quelque diminution de l'exactitude. Nous le voyons assez par Richard *de Media Villa*, Cordelier Anglais, qui vivait à la fin du XIII. siècle, et qui a pu être disciple de saint Thomas. Il enseigne (*in 4. Sent. Dist.* 15. *q.* 3. *art. ult.*) *qu'il n'est pas nécessaire d'attendre précisément l'heure de None, et que si on mange quelque temps auparavant, on ne rompt pas son jeûne.* Les grands changemens ne s'établissent que peu à peu dans l'Eglise. Mais c'est une espèce de nécessité, que de descendre toujours, depuis que l'on est sur la pente du relâchement. Alors sans y penser, nous abandonnons facilement ce qui était plus parfait et plus pur, et nous ne pouvons presque nous persuader qu'on ait pu avoir d'autres sentimens que les nôtres, ni qu'il soit louable de vivre autrement que nous ne faisons.

C'est ce qui paraîtra encore, par ce que je vas rapporter de Paludanus, Dominicain, Docteur de Paris, qui vivait dans le XIV. siècle, et de saint Antonin, Religieux du même ordre, et depuis Archevêque de Florence, qui vivait vers le milieu du XV. Car il est tout-à-fait surprenant de voir que ces deux Auteurs, expliquant le Canon du Concile de Châlon sur Saone, qui ordonne expressément de jeûner jusqu'après Vêpres en Carême, disent; que cela ne s'entend pas de l'heure de Vêpres, c'est-à-dire du soir, mais de l'office de Vêpres, qu'on avançait déjà à l'heure de None de leur temps.

§. 61. Il est visible que c'est là-dessus principalement qu'a été fondé le grand relâchement que nous voyons aujourd'hui dans les heures du jeûne. Car comme Paludanus prétend qu'on satisfait au Carême, en ne mangeant qu'après l'office de Vêpres, sans attendre la véritable heure de Vêpres : il a été facile de conclure, que pourvu qu'on avançât toujours un peu Vêpres, on pouvait aussi légitimement avancer le repas. Voici les paroles de Paludanus : *Dico autem horam nonam congruam omni tempore, etiam in Quadragesima, nec oportere exspectare tunc vesperum dici, sed tantùm officium; ut scilicet antequam celebretur vespertinum officium non comedatur.* (*In 4. Dist.* 15. *Quæst.* 4. *art.* 4.)

Et comme S. Antonin ajoute seulement, qu'il semble que celui qui étant obligé à dire l'office, mange pendant le Carême avant que d'avoir dit Vêpres, et les autres jours du jeûne avant que d'avoir dit None, ne fait pas bien, *videtur quod non sit benè factum :* (*Part.* 2. *Tit.* 6. *cap.* 5. §. *ult.*) on s'est facilement porté à conclure, qu'on ne ferait pas mal d'avancer notablement l'heure du repas, pourvu qu'on avançât le service à proportion. Au lieu qu'il aurait été à souhaiter, que si l'on croyait avoir besoin d'avancer le repas, on eût au moins laissé le service à ses heures

accoutumées, qui sont ordonnées pour honorer les mystères qui s'y sont passés, et pour nous renouveler par ce moyen qui n'est pas onéreux, mais facile, dans la prière et dans l'attention que nous devons avoir à Dieu le long de la journée.

R. P. THOMASS. *Tract. de Jejuniis part.* 2. *cap.* 12. *n.* 1. Dans le langage des Pères, jeûner, c'est ne pas dîner : dîner, c'est ne pas jeûner. Le Chapitre général des Abbés et des Moines en 817. permit en quelques rencontres de boire aux jeûnes mêmes du Carême. Les jeûnes de la Règle monastique avaient reçu long-temps auparavant le même tempérament. Mais on ne laissait pas de jeûner très-véritablement, parce qu'on demeurait à jeun sans boire ni manger quoi que ce soit, jusqu'à l'heure de None, ou jusqu'au soir après vêpres. Ainsi ayant jeûné jusqu'à trois heures après midi, ou jusqu'à six heures du soir, selon que c'étaient les jeûnes de la Règle ou de l'Eglise; il importait bien moins qu'après cela on se contentât d'un juste repas, ou qu'on y ajoutât quelque temps après une petite collation. Mais ça été un changement fort surprenant, d'avancer la juste réfection du soir à midi, d'y ajouter une petite collation au soir, et prétendre néanmoins qu'on jeûne. Car enfin on n'est à jeun que jusqu'à midi, ou jusqu'à l'heure de la juste réfection. C'est ce changement dont nous tâcherons dans ce chapitre, de découvrir les commencemens, les progrès et les causes.

N. 2. Il ne faut pas se persuader que ce changement se soit fait, ou ait pu se faire tout d'un coup. L'Eglise ne précipite jamais de la sorte les changemens de sa police, surtout quand ces changemens ne tendent qu'au relâchement. Elle tolère d'ordinaire ces changemens plutôt qu'elle ne les fait; elle les désapprouve quand ils se font; elle les souffre quand ils sont déjà faits et si bien établis, qu'on ne pourrait y remédier qu'avec danger de tumulte et de schisme. Les premiers auteurs de ces relâchemens sont toujours coupables quand ils s'y portent sans nécessité, et ouvrent une voie large, où ils ne manqueront pas d'être suivis par beaucoup d'autres, qui n'eussent pas fait une chose sans exemple, mais qui croient que le mauvais exemple de l'un est une bonne excuse pour les autres.. Ces premiers imitateurs ne laissent pas d'être coupables, quoiqu'ils le soient moins que les premiers auteurs, parce qu'ils sont transgresseurs d'une loi ou d'une coutume, dont l'autorité et la vigueur n'était pas encore éteinte. Mais après qu'une coutume contraire a généralement prévalu, et que les traces mêmes de la loi ou de la coutume ancienne sont presque effacées, ceux qui cèdent au torrent qui les entraîne, ne sont plus coupables, quoiqu'ils soient toujours obligés de se ressouvenir que la voie du salut est étroite, que la voie aisée est périlleuse, et qu'il faut compenser les adoucissemens auxquels on s'abandonne, par d'autres contrepoids de sévérité et de rigueur.

N. 3. Le premier degré de ce relâchement me semble avoir été celui d'avancer la réfection des jeûnes du Carême à l'heure de None. D'abord ce ne fut qu'un libertinage de quelques particuliers, auquel Théodulfe, Evêque d'Orleans, remédia dans son capitulaire en 797. L'occasion qui donnait lieu à cet abus, était qu'à l'heure de None on sonnait l'Office; on se rendait à l'Eglise; après None on célébrait la Messe : après la Messe suivaient les Vêpres; ensuite desquelles on se retirait, et on allait manger. Ceux qui n'avaient pas ou le loisir ou la dévotion de se trouver à tous ces Offices, prirent le signe des Offices qui étaient suivis du repas, pour le signe de l'heure de leur repas. Théodulfe condamna cet abus, et avertit ces lâches observateurs du Carême, qu'ils devaient assister aux Offices ou à la Messe; ou si quelque nécessité insurmontable les en empêchait, ils devaient faire en particulier quelque prière environ l'heure de Vêpres, et aller ensuite prendre leur repas.

N. 5. Ce que le Moine de S. Gal rapporte de l'Empereur Charlemagne, mérite un peu plus d'attention. Ce grand prince faisait célébrer la Messe de son palais aux jeûnes du Carême, à l'heure huitième, c'est-à-dire, une heure avant None; la Messe était suivie de Vêpres, après quoi il se mettait à table. Comme il mettait toujours le même intervalle de vingt-quatre heures entre deux réfections, il ne jugeait pas que ce fût blesser les lois du jeûne d'en user de la sorte dans la nécessité que nous allons

exposer. *Carolus hanc consuetudinem habebat ut in Quadragesimæ diebus octavâ horâ diei Missarum celebritate pariter cum vespertinis laudibus peractâ cibum sumeret, nec tamen idcircò jejunium violaret, cùm secundum Domini præceptum ab hora ad horam comederet.* (*De Eccles. cura Car. M. apud Duchesne Tom. 2. pag.* III.) Un Evêque, dont le zèle avait plus de chaleur que de lumière, et plus de hardiesse que de discernement, blâma cet usage du Palais. Ce grand Roi le remercia de sa correction, et lui enjoignit d'attendre à manger jusqu'à ce que les officiers de sa cour mangeassent. *Nihil degustes antequam externi officiales, qui sunt in curte mea, reficiantur.* Charlemagne était servi à table par les ducs et les rois des nations qu'il avait domptées : *Comedente Carolo ministrabant Duces et Tyranni, vel Reges diversarum gentium.* Ces rois et ces ducs se mettaient ensuite à table, et étaient servis par les comtes ; et les comtes mangeaient après eux, et étaient suivis des autres officiers par ordre, en sorte que les derniers officiers ne se mettaient à table qu'environ à la minuit. *Ita ut ultimi ante noctis medium non manducarent.* L'Evêque ayant jeûné de la sorte presque tout le Carême, se trouva plus disposé à croire ce que Charlemagne lui dit, que ce n'était point par intempérance qu'il n'attendait pas à manger jusqu'à l'heure de Vêpres, mais que c'était par une nécessité inévitable, pour ne pas retarder encore davantage la réfection de ses officiers. *Et puto probasti, Episcope, quia non intemperantiæ, sed providentiæ gratiâ ante vespertinam horam convivor in Quadragesima.*

N. 6. De ce récit il paraît 1. Que cet empereur ne se mettait à table en Carême qu'après Vêpres, c'est-à-dire, après l'office de Vêpres célébré, quoique ce fût avant l'heure de Vêpres. On ne doit pas être fâché de remarquer dans une conjoncture si illustre un vestige de notre usage moderne, de jeûner en Carême jusqu'après l'office de Vêpres, mais d'en avancer l'heure. 2. Charlemagne n'en croyait pas moins jeûner, parce qu'il en usait de la sorte par nécessité, et parce qu'il mettait toujours le juste intervalle d'un jour entier entre deux réfections. 3. Ce prince faisant commencer la Messe une heure avant None, et commençant à se mettre à table après l'office, il rompait son jeûne environ l'heure de None, ou peu après. 4. Et on peut bien croire que cet exemple pouvait avoir pour imitateurs beaucoup de gens, qui se flattaient d'imiter la mode d'une cour aussi bien disciplinée et aussi chrétienne que celle de Charlemagne, quoiqu'ils n'eussent pas la même raison d'en user de la sorte.

N. 7. Ratherius, Evêque de Vérone, nous apprendra, qu'au moins dans l'Italie, environ le milieu du dixième siècle, la coutume avait déjà prévalu, et on ne la contestait plus, de se mettre à table à l'heure de None aux jeûnes du Carême. Ce prélat sembla toucher une troisième raison, qui avait fait agréer ce nouvel usage aux amateurs mêmes de la morale et de la discipline la plus exacte. Car il condamne lui-même dans un sermon du Carême, la fausse abstinence de ceux qui ne voulaient manger en Carême qu'à l'entrée de la nuit, afin de manger ensuite avec plus de plaisir, et moins de retenue : au lieu de manger plus tôt, mais plus sobrement à l'heure de None, selon l'usage libre de ce temps-là.... Au reste, quand Ratherius, non-seulement permettait, mais ordonnait aux fidèles de manger à l'heure de None, il supposait indubitablement que l'office de None, la Messe et les Vêpres étaient finies, et qu'on les avait par conséquent commencées peu après midi, pour les finir à l'heure de None.

N. 8. Le Concile de Rouen en 1072. défendit de manger en Carême avant l'heure de None achevée, parce que c'est le commencement de celle de Vêpres. *Statutumest ut nullus in Quadragesima prandeat, antequam horâ nonâ peractâ, vespertina incipiat. Non enim jejunat, qui ante manducat.* (*Orderic. Vital. lib. 4. pag.* 529.) Voilà une autre défaite, ou un autre tour, pour adoucir la rigueur du jeûne ; on ne devait se mettre à table en Carême qu'à l'heure de Vêpres : au lieu d'attendre la fin de cette heure, que l'office de Vêpres était achevé, on mangea dès le commencement, qui était la fin de l'heure de None. Si l'heure de rompre le jeûne était plus avancée dans l'Italie, c'est que le climat y est plus chaud, et le jeûne plus pénible pendant les chaleurs... Hugues de saint Victor expliquant la Règle de saint Augustin, dit que l'heure de manger pour ceux qui ne

jeûnent point et ne sont point infirmes, est depuis Tierce jusqu'à Sexte ; et pour ceux qui jeûnent, depuis None jusqu'à Vêpres. *Non jejunantibus nec tamen infirmantibus rectum horam reficiendi intelligimus ab hora tertia, usque ad sextam : jejunantibus verò, ab hora Nona usque ad Vesperam.* Comme l'heure du dîner hors des jeûnes, avait toujours été à midi ou à l'heure de Sexte, et que cet auteur l'avance entre Tierce et Sexte, on peut croire aussi qu'il avance l'heure de rompre le jeûne entre None et Vêpres, c'est-à-dire qu'il témoigne que la coutume l'avait déjà avancée.

N. 11. Alexandre de Halès va nous apprendre que la Messe en Carême et aux autres jeûnes se célébrait à l'heure de None, excepté le samedi des Quatre-Temps, où on la retardait jusqu'au soir, à cause des ordinations qui s'y faisaient, et qui appartenaient en quelque façon au Dimanche. *Tertiâ horâ cantatur Missa in diebus festivis, Sextâ in profestis, Nonâ in Quadragesima et in diebus jejuniorum ; non tamen omnium, quia in sabbatis jejuniorum Quatuor-Temporum, valdè serò debet celebrari Missa, propter sacros Ordines qui ad Dominicam pertinent.* (*Part.* 4. *Quæst.* 28. *n.* 7. *art.* 2.) C'est ce que ce Théologien dit des Messes conventuelles, dont la fin était l'heure du repas. Il dit ailleurs que l'heure la plus propre pour prendre son repas aux jours de jeûne, est celle de None, et qu'elle est même plus propre que celle de Vêpres. *Hora refectionis magis congrua refectioni tempore jejunii est hora nona, quàm usque ad Vesperam.* La meilleure raison qu'il en donne, est que les Chrétiens latins dînant en autre temps à l'heure de Tierce, et soupant à l'heure de Vêpres, il est raisonnable que le repas des jours de jeûne, qui tient lieu du dîner et du souper, soit placé comme au milieu de ces deux heures. Les autres raisons qu'il apporte, seraient encore bien moins goûtées. Mais nous avons déjà dit que dans les choses de cette nature, les raisons qu'on allègue de part et d'autre, ne sont que des convenances qu'on peut réfuter par d'autres convenances contraires de même poids : le seul fondement solide de ces observances, n'étant autre que la coutume générale, approuvée ou tolérée par l'Eglise.

N. 12. Cette Messe du jeûne était jointe à l'office de Vêpres ; ainsi cet office était avancé jusqu'à l'heure de None : et comme on était alors peu curieux de l'histoire, on avait si bien oublié les anciens usages de différer la Messe, les Vêpres et le repas des jours de jeûne jusqu'au soir, qu'on ne croyait pas que la Messe se pût jamais dire plus tard que l'heure de None : et quand on rencontrait des Canons ou des Statuts anciens, qui ordonnaient que la Messe ne se dît et le jeûne ne se rompît qu'au temps de Vêpres, on les expliquait sans hésiter et de bonne foi, selon l'usage présent, de l'office de Vêpres, quoique avancé à l'heure de None, et non du temps et de l'heure de Vêpres. On dit que Paludan a été des premiers qui aient avancé cette maxime, que l'obligation des jours de jeûne à ne manger qu'après Vêpres, regardait l'office de Vêpres, et non le temps de Vêpres ou du soir. (*In lib.* 4. *Sent. Dist.* 15. *Quæst.* 4. *art.* 4.) Il peut l'avoir fait de bonne foi, tant parce qu'effectivement l'office de Vêpres ne s'étant célébré qu'au soir durant plusieurs siècles, on a pu prendre la fin du jeûne de l'un et de l'autre ; que parce que dans cent autres rencontres plusieurs célèbres Théologiens de l'Ecole paraissent avoir et négligé et ignoré l'histoire de l'ancienne police de l'Eglise, surtout dans ces sortes de choses, qui ne sont nullement de la foi, ou de la morale de l'Eglise, et qui peuvent toujours changer. Ce peu de connaissance de l'histoire et de la police de tant de siècles de l'ancienne Eglise, est un mal inévitable dans quelques siècles, où l'on s'applique à d'autres études, alors peut-être plus utiles et plus nécessaires, mais peu compatibles avec d'autres qui demandent l'esprit tout entier. C'est le malheur du genre humain ; ce sont les limites de notre esprit ; ce sont les révolutions des temps, et c'est la vicissitude nécessaire des polices humaines, soit ecclésiastiques, soit civiles. Dans les unes et les autres ces changemens se font presque toujours, et innocemment, et de bonne foi, par les mêmes raisons. Il ne faut pas s'en prendre aux Théologiens de l'Ecole. L'Eglise de ces temps-là n'avait pas de plus grands hommes qu'eux, ni de plus savans. Presque tous les prélats étaient tirés de leurs Corps. Les Evêques mêmes étaient persuadés de ceci ; témoin Etienne Poncher, Evêque de Paris, un peu

I. Dixisti superius in eo positum esse Jejunium, ut semel in die refectio fiat : non licet ergo sumere cœnulam quæ collatio dicitur ?

R. Dum viguit antiquus Jejuniorum ritus, semel solùm in die cibum sumere fas fuit. (L) Nunc ex quo circa meridiem

après l'an 1500. dans ses Ordonnances synodales : il y exhorte le peuples à jeûner exactement le Carême, et à ne manger qu'une fois le jour vers le midi, selon la Doctrine de saint Thomas et des autres Scholastiques. *Sic semel in die refectionem corporis capiatis . et si tempus congruum habueritis, ut sanctus Thomas et alii Doctores nos instruunt, circa meridiem capiatis.* (*Synod. Paris. pag.* 243.) Il s'autorise du sentiment de S. Thomas et des autres Scholastiques, bien loin de les blâmer. Saint Thomas s'était déclaré pour l'unité du repas, et quant au temps, il l'avait déterminé environ l'heure de None ; mais comme il avait permis d'avancer cette heure par dispense, Etienne Poncher semble insinuer que cette dispense était passée en droit commun, et c'est de cette manière qu'il l'approuve. Si depuis, ou Cajetan dans sa somme, ou Viguier dans ses constitutions, ont rapporté, et n'ont pas blâmé l'usage des particuliers, ou des communautés religieuses mêmes, qui prennent leur repas avant midi aux jeûnes mêmes du Carême ; c'est ce que nous ne devons pas approuver, parce qu'on ne peut pas dire qu'une coutume générale de l'Église ait dérogé à cet usage, que les Ordonnances synodales de Paris viennent de marquer.

(L) *Vide suprà hocce* §. *litt.* (A) *plurima in hanc rem testimonia.*

DOM. LANCELOT *in Dissert. de Hemina* §. 47. L'on ne trouvera pas qu'il soit fait mention de la collation des jours de jeûne parmi les anciens, parce que l'on n'y mangeait qu'une fois, et seulement vers le soir.

§. 48. Le mot de collation, qui signifie aujourd'hui par toute l'Europe, ce que l'on mange le soir les jours de jeûne, semble venir des lectures que saint Benoît ordonne de faire le soir, et qu'il appelle, *Collationes Patrum*, les *Collations* ou *Conférences des Pères :* parce que c'était ce qu'on y lisait le plus souvent. Et si nous voulons remonter plus haut, nous pourrons rapporter l'origine de ces collations, à la permission de boire l'après dînée, qui avait été accordée autrefois aux Religieux, à cause de leurs grands travaux : quoique cette liberté d'abord fût seulement pour les jours qui n'étaient pas jeûnes de l'Eglise. Saint Benoît néanmoins n'avait point parlé de cela dans sa Règle. Il permet bien d'augmenter l'hémine *durant les travaux et les grandes chaleurs de l'Eté*, (*Cap.* 40.) mais non pas de boire ou de rien prendre hors les repas. Au contraire il le défend expressément en un autre endroit : *Que personne ne présume*, dit-il, *de boire ni de manger quoi que ce soit, avant ou après l'heure ordonnée pour le repas.* (*Cap.* 43.) Ce qui a toujours été si fort observé parmi les anciens, que Saint Augustin en fait aussi un article exprès dans sa Règle, quoiqu'il ne l'ait faite que pour les filles, n'en exceptant pas mêmes celles qui ne peuvent jeûner. (*N.* 10.) « Domptez et assu- » jettissez, dit-il, votre chair par les jeûnes et par l'abstinence du manger » et du boire, autant que votre santé le peut souffrir. Que si quelqu'une » ne peut jeûner, il ne lui est pas toutefois permis de rien prendre hors » l'heure du dîner sinon quand elle est malade. » Sur quoi Hugues de saint Victor sur la Règle c. 3. dit que c'est une des branches de la gourmandise de prendre quelque chose hors les repas. Cassien remarque que les Moines d'Egypte étaient si religieux en ce point, qu'ils n'eussent pas voulu boire ni manger la moindre chose devant ou après l'heure du repas : et au liv. 5. chap. 20. il parle ainsi : « Que le Religieux qui se veut » rendre digne de soutenir des combats intérieurs commence premièrement à user d'une telle vigilance sur lui-même, qu'il ne se laisse jamais » vaincre au désir de boire ou de manger aucune chose avant que l'heure » ordinaire de prendre ensemble son repas soit venue, et qu'après il ne » se donne pas plus de liberté que devant. » Si la soif pressait (les anciens Religieux de saint Benoît) ils aimaient mieux l'offrir à Dieu, comme fit David, que de la soulager en buvant ; sachant, comme saint Augustin

l'a fort bien remarqué, « Que l'abstinence du boire, et non-seulement » celle du manger, est nécessaire pour dompter notre corps (*Reg. n.* 11.); » *et que même selon les maximes des anciens*, il n'y a rien qui éteigne plus » les ardeurs de la sensualité, que la souffrance de la soif, lorsqu'elle est » jointe à l'humilité, ni qui assoupisse plus promptement les révoltes de » l'impureté qui s'élèvent en nous. (*S. Jean Clim. degré* 15. *n.* 12.) »

§. 49. Le premier que je sache qui ait introduit cette coutume de boire, a été celui qui a donné sa règle sous le nom du Maître, parce qu'il y fait toujours parler Jésus-Christ, fondé sur cette parole : *Unus est enim Magister vester ; Vous n'avez qu'un seul Maître.* (*Matth.* XXIII. 8.) Cet auteur semble avoir vécu depuis saint Grégoire, vers la fin du septième siècle; et cette Règle est extrêmement sainte. Car elle ordonne de jeûner toute l'année excepté les Dimanches, l'Octave de Pâque, et les jeudis depuis cet Octave jusqu'à la Pentecôte. Les autres jours, quoiqu'on dînât à l'heure de Sexte, c'est-à-dire, à midi, durant tout le temps de Pâque, les Religieux ne mangeaient néanmoins rien le soir; mais ils buvaient à deux fois ce qu'ils avaient à boire. *Aliis diebus*, dit-il, *nihil aliud ad seram, nisi bini calati accipiantur.* (*Reg. Mag. cap.* 27.) Ce qu'ils faisaient pour ne se pas trop satisfaire en buvant un grand coup, comme il paraît par ce qui est dit un peu plus haut : « Si quelque Frère veut boire de » l'eau, qu'il ne boive pas à même le pot, ni tout à la fois ; mais qu'il » boive dans sa tasse et par mesure. Car il arrive souvent que ce qui ne » se fait pas avec mesure, passe les bornes d'une juste médiocrité. Cette » parole d'un ancien : *Qu'il ne faut jamais rien de trop*, nous avertit assez » que le trop d'eau même peut assoupir et comme enivrer nos sens, » pour les faire tomber dans les illusions des songes, et assujettir nos » corps à beaucoup de nécessités et d'incommodités. »

Le reste de l'année on mangeait toujours à l'heure de Sexte, c'est-à-dire, à midi, les jeudis et les Dimanches : mais les autres jours on ne mangeait jamais qu'à l'heure de None, c'est-à-dire, vers les trois heures après midi. Ce que ces Religieux croyaient néanmoins n'être qu'un relâchement à l'égard des anciens solitaires, qui ne mangeaient jamais qu'à soleil couché, comme il est expressément marqué au Chapitre 28. Or quand on mangeait à Sexte en été, on buvait à None un peu de vin mêlé d'eau. On s'en retournait ensuite au travail, après avoir rendu grâces à Dieu, et le soir on avait encore trois coups à boire : au lieu que quand on mangeait à None, on n'en avait que deux. Mais l'hiver, soit que l'on mangeât à l'heure de Sexte, ou à l'heure de None, on ne prenait rien jusqu'au soir; parce qu'on n'en avait pas tant de besoin : le soir on avait seulement un coup à boire.... Cette règle était plus austère en un sens que celle de saint Benoît, puisqu'on y jeûnait presque toute l'année, et en un autre sens, elle était plus condescendante, puisqu'on y donnait à boire le soir, les jours mêmes qu'on appelle jeûnes de l'Ordre; et qu'elle permettait encore de boire après None en été. Quoiqu'elle ne donnât cette permission, (et c'est ce qu'il faut bien remarquer,) que parce que les Religieux ne soupaient point : cependant, il semble que c'est de là qu'a pris son origine cette coutume de boire, qui s'est répandue dans beaucoup d'autres monastères ; et que le relâchement de la collation des jours de jeûne est venu de la même source.

Nous voyons qu'elle s'était même introduite au Mont Cassin dès le VIII siècle, et que Théodmar en fait mention dans sa lettre à Charlemagne. » En été, *dit-il*, après None, si nous avons quelques fruits nous en pré- » sentons, et nous donnons une fois à boire à tous nos frères : et quand » on fait les foins, nous ajoutons encore une portion de miel. *Le 2. Con-* » *cile d'Aix-la-Chapelle en parle encore dans le* IX *siècle, et le permet même* » *le Carême.* Que si la nécessité le requiert à cause du travail, *dit-il*, que » les Religieux boivent après le repas, pourvu que ce soit avant la lecture » de Complies ; même en Carême, et quand on chante l'office des Morts.» Saint Dunstan, Archevêque de Cantorbery, qui vivait vers le milieu du X siècle, en fait même mention dans sa Concorde Régulière, qui n'est pas proprement une règle nouvelle, mais une addition à celle de saint Benoît.

§. 50. Quand ces Religieux ne soupaient pas, ils étaient pourtant assez

soigneux d'aller boire leur hémine. *Quòd si aliquando denuò non reficitur*, dit Udalric, *tamen denuò bibere nunquam omittitur.* (*Consuet. Cluniac. Lib.* 2. *cap.* 21.) Ils buvaient aussi après None en été, et ils n'eussent pas voulu permettre qu'un Novice qui n'eût point eu soif s'en fût excusé : *Post Nonam sive sitim habeat, sive non : tamen non omittit cum aliis ire bibere.* (*Ibid. cap.* 24.) Udalric décrit ailleurs (*Lib.* 1. *c.* 41.) plus particulièrement la manière dont ils allaient boire. Il dit qu'après Vêpres on demeurait dans le cloître, où l'on faisait quelque lecture : qu'ensuite on sonnait une cloche pour avertir de laver les mains (parce sans doute qu'elles pouvaient s'être salies par le travail) afin d'aller boire au refectoire : qu'après on lisait encore ; et puis, qu'on donnait le signal sur un ais pour la collation. « Sedemus in Claustro ad lectionem, tangitur cym» balum ut manus lavemus et in refectorio bibere veniamus : sedemus » iterùm ad lectionem ; sonatur scilla ad collationem. »

Nous pouvons remarquer ici combien le mot de collation approche déjà de l'application que nous en faisons aujourd'hui, puisqu'on le joint presque à cette boisson qu'on allait prendre au réfectoire. Ce n'est pas néanmoins encore ce qu'il signifie. Il marque seulement la lecture des conférences, que l'on sonnait immédiatement avant Complies. C'est pourquoi dans le livre des anciens usages de Cîteaux, où il y a aussi des chapitres exprès, qui ordonnent le boire après None et après Vêpres, on en trouve un intitulé, *De Collatione ;* c'est-à-dire, de la lecture du soir, qui porte qu'il sera permis à ceux qui n'auront pu aller boire avec les autres, d'y aller durant cette lecture. *Interim*, dit-il, *qui bibere defuerit, in Refectorio potest bibere.* (*Usus Cisterc. cap.* 81.)

Nous pouvons donc déjà remarquer ici divers degrés dans ce petit relâchement de l'exactitude du jeûne de la vie toute mortifiée et pénitente dont les Religieux faisaient profession. Saint Benoît ne permet point de boire ni de manger hors les repas, non plus que saint Augustin, ni les anciens dont parle Cassien. La Règle du Maître dans le VII siècle, permet de boire, mais non pas dans les jeûnes de l'Eglise. Théodmar dans le VIII y ajoute quelques fruits, et même une potion de miel dans les grands travaux et en été seulement. Le Concile d'Aix dans le IX, accorde de boire après le repas, même en Carême, pourvu qu'on le fît avant la lecture de Complies. Les anciens usages de Cluny dans le IX le marquent aussi immédiatement avant cette lecture ; et ceux de Clairvaux dans le XII, le permettent même durant cette lecture, qu'ils appellent *Collatio*, si l'on n'a pas pu le faire auparavant : où l'on voit encore une nouvelle condescendance, dont les autres ne s'étaient pas avisés, et qui ouvre toujours de plus en plus le chemin aux collations.

§. 64. Or ce n'a pas été seulement dans le changement du souper au dîner qu'a paru le relâchement des jeûnes : on y a encore ajouté la collation du soir, qui n'était rien d'abord, et qui aujourd'hui est presque un souper dans le monde. Car comme ceux qui n'ont pû jeûner jusques au soir, ont cru aussi ne pouvoir pas aller d'un midi à l'autre sans rien prendre, on a commencé à boire le soir à cause de l'altération que cause le jeûne : et les Religieux se sont eux-mêmes d'autant plus facilement portés à le faire, qu'ils avaient déjà cette permission de boire, avant même qu'on eût déréglé les heures du jeûne, comme nous l'avons fait voir ci-dessus. (§ 48.) Les gens du monde passèrent bientôt jusqu'à faire comme un petit repas, quoiqu'ils n'eussent point encore de mot propre pour le signifier. Et les Religieux ajoutèrent un petit morceau de pain à leur boisson, *frustulum panis, ne potus noceat*, comme portent encore les Constitutions de quelques Ordres. Mais parce qu'ils ne voulaient pas que cela leur fît perdre du temps, ils s'avisèrent de faire ces jours-là, la lecture du soir dans le Réfectoire, au lieu que les autres jours elle se faisait dans le Cloître, ou dans le chapitre ; et ils appelèrent toujours cela, *ire ad Collationem*, ou, selon le terme de saint Benoît, *accedere ad lectionem collationum ;* ne voulant point donner de nom à une action qui dans la rigueur n'aurait pas dû se faire : et d'ailleurs ce qu'ils y prenaient étant si peu de chose, que ce n'était pas la peine d'en parler. Ainsi le mot de collation passa insensiblement de la lecture à ce petit repas du soir, et commença à se répandre en ce même sens dans le monde. Au moins est-ce la pensée d'Ha-

frangere Jejunium licet, fas est et sumere cœnulam, modò parcissimè cibus sumatur, nec manducentur carnes, pisces, ova, lac, butyrum. (M)

esten, et de Francolin qui paraîtra sans doute encore plus probable, après les démarches que je viens de faire pour l'examiner. (*Haësten l. 9. Tr. 5. Disq. 2. Francol. cap. 38. n. 9.*) Nous trouvons déjà ce mot en ce sens dans la Règle des Chevaliers du Temple de Jerusalem, quoiqu'il n'y soit fait mention que du boire. Voici comme elle parle au chap. 16. « Lorsque le jour est » sur son déclin, et que l'on a donné le signal suivant la coutume du pays, il » faut que vous alliez tous à Complies : mais nous désirons qu'auparavant » vous fassiez collation ensemble. Nous laissons à la prudence du Maître à » régler cette collation, en sorte que quand il voudra, on n'y donne que de » l'eau ; et que quand il l'ordonnera, on y puisse aussi recevoir, comme par » indulgence, un peu de vin trempé, selon qu'il le jugera à propos. Mais de » telle sorte que l'on n'en prenne pas jusqu'à se satisfaire entièrement, » mais toujours moins, parce que le vin fait tomber les sages mêmes » dans le désordre et l'apostasie. » L'on peut donc remarquer encore ici, que ces collations ont commencé par boire seulement. Et l'on y peut aussi voir que la boisson ordinaire de ces Chevaliers n'était que de l'eau, et quelquefois seulement dans le besoin et par indulgence, du vin trempé ; de quoi même on leur recommande d'user avec beaucoup de retenue. Voilà quel était l'esprit des anciens, on ne voit presque autre chose partout.

(M) R. THOMASS. Cong. Orat. Presb. *Tract. de Jejuniis part. 2. cap. 11. n. 1.* Les Latins ne faisaient qu'un juste repas aux jours de jeûne, au lieu que les Grecs mangeaient plusieurs fois chaque jour, et mettaient la gloire de leur abstinence à manger très-peu chaque fois. Ce relâchement était ancien dans l'Eglise Grecque, et dès le milieu du siecle onzième le Cardinal Humbert en fit un reproche aux Grecs dans les fameuses conférences qu'il eut avec eux.

N. 2. Theodore Balsamon Patriarche Grec d'Antioche répondant aux consultations de Marc Patriarche d'Alexandrie, confirme cette vérité, et autorise cet usage, en disant que le jeûne est institué pour mortifier les passions, non pas pour faire mourir les hommes. *Jejunium affectic da, non homicida vocatur.* Qu'ainsi ceux qui observent régulièrement les jeûnes de l'Eglise, ne pourront être blâmés, s'ils ont besoin de faire collation. *Si ergo qui continenter vivunt, ad corporis sui tentationem secundariâ mensâ indigeant, præjudicium non patientur.* (*Juris Orig. pag.* 389.) Qu'au reste on entend que cette collation du soir sera accompagnée de la même temperance qu'ils ont fait paraître pendant toute la journée. *Omninò tamen nec ipsi totâ die continuatam temperantiam per vespertinam intemperantiam deformabunt. Id enim si fecerint, coërcebuntur.*

N. 3. Le Cardinal Robertus Pullus avait avant (Alex. de Halès) assuré que ce n'était point jeûner, de manger deux fois en un jour. *Et ego jejunaturum bis in die edere rationem non puto.* (*2. 2. Quæst. 147 art. 6.*) Saint Thomas assure la même pratique de son temps, et dit que c'est la coutume commune de tous les Chrétiens, *Est communis consuetudo populi Christiani* : parce qu'il n'est besoin que d'un repas par jour, pour conserver la vie et la santé : *Sufficere videtur unica comestio, per quam potest homo naturæ satisfacere.* De là vient que l'Eglise a fait une loi, afin qu'on ne mange qu'une fois le jour en Carême. *Et ideò Ecclesiæ moderatione statutum est, ut semel in die à jejunantibus comedatur.*

N. 4. Saint Bonaventure donnant des Instructions aux Novices, leur permet de boire deux ou trois fois à la collation des jours de jeûne. *Ad collationem tempore jejunii faciendam, duabus tantum vel tribus, si indiges, bibere vicibus, temperantiæ congruit et honestati.* (*Specul. discipl. ad Novit. part. 1. cap. 21.*)

Saint Bonaventure ne parle point de manger à la collation. (*Tom. 2. p. 25.*) Gerson en parle dans ces Regles Morales, et il permet de se tenir à la coutume, et il nous insinue que ce n'était que quelques fruits confits qu'on mangeait à la collation. *De comestionibus specierum et similibus consuetudo teneatur, et delectationis nimia libido vetetur.* Avant la découverte

I. Lac negas in cœnula comedi licere : sunt tamen multi etiam viri pii qui lac in cœnula diebus Jejunii comedere non dubitant.

R. Nulla Lex Ecclesiastica definivit quibus cibis vesci liceat in cœnula diebus Jejunii, quia cœnula isthæc non latâ lege, sed solo usu tandem obtinuit. Hanc autem cœnulam tacitè indulget seu tolerat Ecclesia, habitâ ratione necessitatis, ex quo jam à meridie frangere Jejunium non vetat. Fatentur omnes, cœnulam istam non propriè refectionem dici, et parcissimam esse oportere, quod pertinet ad qualitatem ciborum, quibus in ea vesci licet, alii molliùs, alii strictiùs se gerunt. In his rebus in quibus non agitur de jure naturali vel divino, standum est iis quæ usu publico et ab Episcopis locorum approbato recepta sunt. Nobis verò idcircò videtur abstinendum à lacte in cœnula, quia cùm lactis usus Quadragesimali tempore prohibeatur omninò, nec nisi per indulgentiam concedatur ad cœnam Quadragesimalem, idque non ubique, sed in quibusdam solùm diœ-

des Canaries et des autres parties du nouveau Monde, d'où nous est venue cette abondance de sucre, les épices dominaient dans les confitures ; de là vient ce nom Latin du dernier âge. Les Théologiens qui traitaient la question, s'il était permis de boire aux jours de jeûne hors du temps du repas, y joignaient cette autre question, s'il était permis d'y prendre un peu de ces conserves ou de ces confitures, dont on use, non pour se nourrir, ni même pour la satisfaction du goût, mais pour fortifier l'estomac, et l'aider à faire la digestion. Aussi saint Thomas même après avoir prouvé qu'on ne peut manger qu'une fois aux jours de jeûne, par la loi de l'Eglise, et par la coutume générale des fidèles, déclare néanmoins que ce n'est pas violer le jeûne que d'user de ces conserves, non plus que de prendre des médicamens : parce qu'encore qu'elles contribuent aussi un peu à nourrir le corps, l'usage n'en est néanmoins principalement destiné qu'à faciliter la digestion. Ce serait néanmoins rompre le jeûne, d'en prendre en si grande quantité, que ce fût une nourriture plutôt qu'un médicament. *Electuaria etiamsi aliquo modo nutriant, non tamen principaliter assumuntur ad nutrimentum, sed ad digestionem ciborum. Undè non solvunt jejunium, sicut nec aliarum medicinarum assumptio, nisi fortè aliquis in fraudem electuaria in magna quantitate assumat per modum cibi.* (2. 2. *quæst.* 147. *art.* 6. *ad* 3.)

N. 5. Si l'on en avait toujours usé conformément à la règle de saint Thomas, comme on use encore de poudres digestives ou d'autres aromates qui ont le même effet, on n'en serait jamais venu aux collations, telles qu'elles sont depuis ces deux derniers siècles. Gerson s'en rapportant à la coutume, c'est-à-dire à la tolérance de l'Eglise, nous fait assez connaître que ces collations étaient déjà assez fortes.

N. 6. Après tout, Fagnan a fort bien fait voir que la coutume universelle de l'Eglise est l'Interprète des lois Canoniques, et que ces collations, pourvu qu'elles soient modérées, ne peuvent être un légitime sujet de scrupule. (*In lib.* 3. *Decr. part.* 2. *p.* 346. 347.) Bellarmin en dit autant. Et le grand saint Charles, dans les règles qu'il fit pour ses domestiques, leur permit en Carême une collation d'une once et demie de pain et d'un verre de vin, s'ils en avaient besoin. *Semel tantum in die post meridiem cibum capiant. Quòd si aliquid alicui amplius opus erit, vesperi panis unciam cum dimidia et vini poculum tantùm capere liceat.* (*Act. Eccles. Mediol. pag.* 812.) Cet admirable réformateur de la discipline et de la morale de l'Eglise, ne trouva rien à redire à ces collations, quand elles sont nécessaires et modérées. En effet, si les Religieux mêmes avaient adouci les jeûnes du Carême depuis plus de 800. ans, en buvant même du vin le soir, lors qu'ils en avaient besoin ; il n'est pas étonnant que les Laïques aient pris quelque part à cet adoucissement.

cesibus ; multò magis æquum et necessarium est lacte abstinere in cœnula, in qua alioqui, fatentibus omnibus, non licet uti piscibus, quibus ubique et sine indulgentia vesci licet in cœna etiam Quadragesimali.

I. Tenemurne à potu non secùs atque à cibo abstinere diebus jejunii ?

R. Tenemur sitim non secùs ac famem tolerare diebus Jejunii : ad hoc enim Jejunium institutum est, ut affligatur caro fame et siti. Utrum autem, hausto extra cœnam aquæ calice, frangatur Jejunium Ecclesiasticum, non definivit Ecclesia, et variæ sunt eâ de re Theologorum sententiæ. (N)

(N) R. P. Thom. Cong. Orat. Sacerd. *Tract. de Jejuniis part.* 1. *cap.* 13. *n.* 3. Quand saint Grégoire de Nysse a déclaré qu'il fallait souffrir la faim et la soif : *Amarum est jejunium, sed dulcis paradisus. Molesta est sitis, sed propè est fons, ex quo qui biberit, non sitiet in æternum* (*Orat. in princip. jejun.*) ; n'a-t'il pas témoigné que le jeûne consiste à souffrir la faim et la soif ?

N. 5. Quand les Solitaires à qui saint Chrysostôme a donné tant de louanges, (*Homil.* 4. *t.* 1.) prenaient tant de soin pour empêcher que dans le juste repas qu'on prenait aux jours de jeûne, on ne se rassasiât ou de pain ou d'eau : quand ils ordonnaient qu'on sortît de table avec quelques restes de faim et de soif ; quand ces préceptes étaient donnés à des gens qui jeûnaient toute l'année, peut-on s'imaginer que la liberté de boire de l'eau à toutes les heures du jour, n'eût rien de contraire aux lois du jeûne ?

N. 8. Ruffin dit que l'Abbé Silvain étant allé visiter un monastère avec son disciple, et ayant été contraint d'y manger un peu avant son départ ; comme il s'en retournait, son disciple trouva de l'eau, et en voulut boire ; Silvain l'arrêta, et lui dit qu'il était jour de jeûne. *Discipulus invenit aquam et volebat bibere. Cui abbas Silvanus : Zacharia jejunium est hodie.* (*Lib.* 3. *c.* 46.) Le disciple le fit ressouvenir qu'ils avaient déjà mangé ; mais ce sage et savant maître lui apprit que c'était la charité qui les avait forcés de manger, mais qu'après cela il fallait reprendre le jeûne. *Illa esca charitatis erat, fili ; nos autem nostrum jejunium teneamus.* Voilà certainement une preuve invincible, que l'abstinence même de l'eau hors du repas réglé, était nécessaire pour l'observance du jeûne.

Que faut-il donc penser du vin, et des autres liqueurs, ou plus délicates, ou plus nourrissantes que l'eau ? C'est donc une mauvaise défaite de dire que c'est peut-être bien contre les règles de la sobriété, mais non contre celles du jeûne, de boire de l'eau avant ou après le repas. Car cet abbé Silvain réitéra la même réponse, que c'était rompre le jeûne que de boire de l'eau. Son disciple lui fit une objection qui paraissait fort raisonnable, mais il lui eût bien plutôt opposé la maxime ou la pratique des solitaires, si elle eût été telle, qu'on ne violait pas le jeûne en buvant de l'eau hors de l'heure du repas. Ajoutez à cela que ces deux Religieux étaient alors voyageurs, et le jeune disciple était apparemment fort altéré. Mais ni lui, ni son maître n'estimaient pas que le jeûne fût une autre chose qu'un combat avec la faim et la soif, ou qu'il fût plus libre de boire quand on a soif, que de manger quand on a faim aux jours de jeûne. Car enfin ce sont deux ennemis qu'il faut vaincre, et il importe peu d'être vaincu par l'un ou par l'autre. Enfin pour prévenir toutes les défaites, disons encore une fois que les jeûnes de la règle des Religieux, étaient d'une observance bien moins étroite que les jeûnes de l'Eglise. De là vient que ces deux Religieux mangèrent avant de partir pour s'accommoder aux usages de l'hospitalité, ce qu'ils n'auraient pas fait en un jeûne de l'Eglise. On ne peut donc pas éluder la force de cette preuve, en répondant que ce sont des Religieux, et non pas des Laïques. Puisqu'au contraire le jeûne des fidèles en Carême est il d'une observance plus rigoureuse, que les jeûnes propres et particuliers aux Religieux.

N. 11. Prudence faisant l'éloge du saint Martyr Fructueux Evêque de Tarracone, nous apprend admirablement quel était le sentiment des

Evêques des premiers siècles sur ce sujet. Comme on le menait au martyre, quelqu'un lui présenta à boire : le saint Evêque refusa, parce que c'était un jour de jeûne, et que l'heure de None n'était pas encore venue; ce qui le portait à honorer plutôt par sa soif, celle que le Fils de Dieu avait voulu souffrir avant sa mort.

Jejunamus, ait, recuso potum.
Nondum nona diem resignat hora,
Nunquam conviolabo jus dicatum;
Nec mors ipsa meum sacrum resolvet.
Sic Christus sitiens crucis sub hora
Oblatum sibi poculum recusans,
Nec libare volens sitim peregit. (*Peri Steph. Hymn.* 6.)

On ne pouvait pas exprimer plus nettement ou plus fortement l'obligation de souffrir plutôt la soif aux jours de jeûne, que de prévenir l'heure en buvant. Tertullien ne peut souffrir qu'avec indignation ceux qui hors les jours de jeûne prenaient du vin le matin en sortant du logis avant dîner. C'est comme il faut entendre ces paroles, *jejunii matutini tempore.* (*Epist. de cibis Judaic.*) Comment eût-il donc pu souffrir ceux qui lui eussent dit que la liberté de boire du vin à quelque heure que ce soit n'a rien d'incompatible avec le jeûne?

N. 12. Nous dirons dans un des chapitres suivans, qu'au moins dans l'Occident on communiait ordinairement tous les jours de jeûne, tant ceux des Stations, où la Messe commençait après midi, que ceux du Carême, où elle se disait au soir. Saint Ambroise nous y apprendra que c'était une des raisons qu'on proposait aux fidèles pour ne pas rompre le jeûne. Le jeûne du Carême était donc lié avec celui de la Communion, et donnait aussi l'exclusion à toute sorte de boisson avant la fin du jeûne.

N. 13. Saint Ambroise réfutant les excuses ridicules de ceux qui prétendaient ne pouvoir jeûner ni pendant les froidures de l'hiver, où ils ne pouvaient se passer de manger, afin de se réchauffer un peu : ni pendant les chaleurs de l'été, où ils ne peuvent se passer de boire, pour tempérer l'ardeur de la soif : *Dicunt enim : Æstivis mensibus dies longa est, torrentior sol est, sitim ferre non possumus, poculis nos refrigeramus* (*Serm.* 39.) : ce Père se contente de leur dire, qu'il faut sacrifier toutes ces légères incommodités à l'intérêt de leur salut, et que ces ardeurs de la faim et de la soif doivent servir à les affranchir des ardeurs éternelles de l'enfer : mais ce Père, qui ne manquait pas de complaisance dans les justes besoins, ne s'avisa pas de leur dire qu'ils pouvaient boire aux jours de jeûne sans rompre le jeûne et sans risquer leur salut : il ne s'avisa pas pas même de les prier de se contenter aux jours de jeûne de se désaltérer avec l'eau. Il leur dit, sans rien ménager, que l'ardeur de leur soif était moins brûlante et plus tolérable que la flamme du feu éternel. *Nunquid æstus quem sustentaturus es, torrentior est gehennâ?* Ni l'humeur ni la plume de saint Ambroise n'eurent jamais rien d'outré et d'emporté. Il aurait usé de ce ménagement, s'il n'avait pas lu dans l'Ecriture, que dans le jeûne fameux des Ninivites, il fut même défendu de boire de l'eau : *Non gustent quidquam, nec pascantur, et aquam non bibant* (*Jon.* III. 7.) : et qu'Esdras fait lui-même la description de son jeûne, en disant qu'il ne mangea point, et ne but pas même de l'eau : *Panem non comedit, et aquam non bibit : lugebat enim transgressionem eorum.* (1. *Esdr.* X. 6.) Enfin lorsque saint Ambroise fait la peinture du jeûne, il y comprend l'obligation d'y souffrir aussi-bien la soif que la faim. *Cum abstinentia marcecit caro, siti pallor obducitur.* (*Serm.* 3.)

S. THOM. (2. 2. *quæst.* 147. *art.* 6.) Ad secundum, dicendum quòd duplex est jejunium : Unum quidem naturæ, quod requiritur ad Eucharistiæ sumptionem : et hoc solvitur per quemlibet potum, etiam aquæ, post quem non licet Eucharistiam sumere. Est autem aliud jejunium Ecclesiæ, quod dicitur jejunium jejunantis. Et istud non solvitur nisi per ea quæ Ecclesia interdicere intendit instituendo jejunium : Non autem intendit Ecclesia interdicere abstinentiam potûs; quia magis sumitur ad alterationem corporis, et digestionem ciborum assumptorum, quàm ad nutritionem, licèt aliquo modo nutriat. Et ideò licet pluriès jejunantibus bibere : Si autem quis immoderatè potu utitur, potest peccare, et

I. Quinam tenentur Jejunii lege ?

R. Qui annum vigesimum primum ætatis expleverunt, nisi legitimam habeant excusationem. (O)

meritum jejunii perdere ; sicut etiam si immoderatè cibum in una comestione assumat.

In Epist. 1. *ad Corinth. c.* 11. *l.* 4. Quia verò aqua non solvit jejunium, æstimaverunt quidam, quòd post potum aquæ posset aliquis sumere hoc sacramentum Eucharistiæ ; præsertim quia, ut dicunt, aqua non nutrit, sicut nec aliquod aliud non nutriat, et ob hoc non solvat jejunium Ecclesiæ, secundùm quod dicuntur aliqui jejunantes : nutrit tamen aliis admixta.

In 4. *sent. dist.* 15. *q.* 3. *art.* 4. Quamvis aliquis potus aliquo modo nutriat, tamen de se non ordinatur ad nutriendum.... Undè sumptio potûs manducatio non dicitur, et ideò ille qui potat extra horam unicæ comestionis, non dicitur bis manducare, et propter hoc nec statutum Ecclesiæ frangit.... Aqua aliquo modo nutrit, non tamen solvit jejunium Ecclesiæ, quia Ecclesia non attendit in statuendo jejunio, id quod quocunque modo nutrire potest, sed id quod principaliter ad nutriendum ordinatum est.

Contrà hæc S. Thomæ *verba sic argumentatur* R. P. THOMASS. *Tract. de Jejuniis, Part.* 2. *Cap.* 7. *n.* 4. Ex his sequeretur vinum largiùs haustum cæterosque liquores nutritioni maximè aptos jejunium haud frangere, si quis tantùm biberet, non verò ederet extra prandium aut cœnam ; quod maximè morali Christianæ adversum videtur. *At paulò post hæc addit :*

N. 8. On peut penser de même qu'il y a eu de justes causes de condescendre un peu plus à la nécessité du breuvage, qu'à celle du manger, témoin la plupart des Règles Monastiques, soit anciennes, soit du temps moyen. Elles permettaient quelquefois aux Religieux de boire, et non de manger hors du repas aux jours de jeûne de la Règle. Nous en parlerons dans la suite, lorsqu'il faudra rechercher l'origine de nos Collations aux jours de jeûne. Je n'examine pas encore si cet adoucissement avait lieu aux jeûnes de l'Eglise. Mais je remarque seulement ici, que les Règles les plus austères et les Congrégations les plus réformées ont jugé qu'il y avait des raisons et même des nécessités plus pressantes de permettre de boire hors du repas légitime du jour de jeûne, que de permettre de manger. Mais il est constant, que cette concession, soit de boire du vin en Carême, soit de boire après le repas, a été considérée comme une dispense, et non comme une suite de cette maxime de quelques Philosophes, que la boisson ne nourrit pas. Or ce n'est pas sans raison que j'ai cru devoir insister sur cette différente manière de permettre la boisson. Car si on la permet sur le fondement de cette proposition Philosophique, que le boire ne nourrit point et ne rompt pas le jeûne, on se donne ensuite une liberté très-dangereuse de boire souvent, et de boire des liqueurs délicates et véritablement nourrissantes aux jours de jeûne. Au lieu que si l'on est une fois bien persuadé, que ce n'est qu'une dispense accordée à la nécessité et à l'infirmité, on n'en usera qu'avec une extrême retenue dans la nécessité, et non autrement, parce que telle est la nature des dispenses.

(O) R. P. THOMASS. *Tract. de Jejun. Part.* 1. *c.* 17. *ex* S. BASIL. *Hom.* 2. *de Jejunio.* Nec ulla est insula, nec ulla terra continens, non civitas, non gens ulla, non extremus mundi angulus, ubi non sit auditum jejunii edictum. Quin et exercitus, et viatores, et nautæ et negotiatores omnes pariter audiunt edictum, et summo gaudio excipiunt. Nemo igitur semel excludat à numero jejunantium, in quo omne hominum genus, omnis ætas, omnes dignitatum formæ censentur..... Dives es, ne jejunium afferceris contumelia, ne ex condemnatione ad longè majorem medium adigaris.... Qui pauper est, ne simulatione utatur erga jejunium, cùm illud jam olim habeat et domûs et vitæ socium. Porrò mulieribus quàm est naturale respirare, tam est conveniens jejunium. Pueri velut plantæ lætiores, aquâ jejunii irrigantur. Senibus levem reddit laborem jam olim contracta cum jejunio familiaritas : siquidem labores quibus diutino usu assueveris, minùs offendunt.... Jam viato-

ribus expeditus itineris comes est jejunium. Quemadmodum enim luxus cogit illos onustos incedere, nimirùm ea, quibus se ingurgitarunt circumferentes; sic jejunium eos et leves reddit, et expeditos.... Jejunium servat parvulos, sobrium reddit juvenem, venerabilem facit senem, venerabilior enim est canities jejunio decorata. Jejunium fœminis ornatus est congruentissimus; ætate ac robore vigentibus pro freno est. Jejunium matrimonii custodia est, virginitatis nutritius.

Ex S. JOAN. CHRYSOST. *in cap.* 1. *Genes. Hom.* 1. *pag.* 10. Jejunium enim est animarum nostrarum tranquillitas, sensum decor, adolescentium pædagogus, continentium magister, quod omnem ætatem et sexum quasi diademate quodam ornat.... Non magistratuum tantùm, sed et privatorum: non liberorum tantùm, sed et servorum: non virorum tantùm, sed et mulierum: non divitum tantùm, sed et pauperum: non eorum tantùm qui Græcam linguam edocti sunt, sed et barbarorum. Sed quid dico Magistratuum et privatorum? Etiam ejus qui diadema gestat, similiter ut aliorum, conscientiam ad hanc obedientiam inflexit. Et hodie nullum discrimen inter mensam divitis et pauperis: sed ubique frugalis victus est.

Ex CONCIL. GANGRENSI *Can.* 19. Si quis eorum qui exercentur absque corporali necessitate, se insolenter gerat, et tradita jejunia, quæ communiter servantur ab Ecclesia, dissolvat; perfectâ in eo residente ratione, anathema sit.

Ex S. JOAN. CHRYSOST. *Tom.* 5. *Serm.* 52. Nos quidem si toto anno clamare ac jejunium prædicare non cessemus, nemo verbis nostris animum attendit. Quòd si tantùm Quadragesimæ tempus advenerit, licèt cohortetur nemo, licèt consilium det nemo, etiam is qui negligentissimus fuerit, excitatur, et oblatum ab ipso tempore consilium et cohortationem admittit. *Deinde, ex ipso* Chrysostomo *addit:*

Les Catéchumènes mêmes jeûnaient le Carême, bien que n'étant pas encore baptisés, ils eussent pu chicaner avec l'Eglise, et se flatter de ce prétexte, qu'ils n'étaient pas encore sujets à ses lois. *Sane Catechumenus nunquam Pascha celebrat, quamvis jejunet singulis annis, quoniam oblationi non communicat.*

V. 5. Les Latins n'ont pas été moins difficiles à dispenser du jeûne du Carême, que les Grecs. Saint Ambroise s'éleva contre les jeunes gens de l'un et de l'autre sexe, qui ne jeûnaient pas et ne profitaient pas de l'exemple des vieillards et des vieilles femmes qui jeûnaient fort exactement. *Pudet dicere, senes et aniculæ Quadragesimam faciunt, juvenes et juvenculæ non faciunt.* (*Serm.* 34.)

N. 6. Saint Léon le Grand semble ne dispenser personne du jeûne, parce que personne n'est exempt de crime.... *Appropinquante festivitate paschali adest maximum sacratissimumque jejunium, quod observantiam sui universis fidelibus sine exceptione denuntiat; quia nemo tam sanctus est, ut non sanctior: nemo tam devotus, ut non debeat esse devotior. Quis enim in hujus vitæ constitutus incerto, aut immunis à tentatione, aut liber inveniatur à culpâ? etc. Insidiæ sunt in divitiarum amplitudine, insidiæ in paupertatis angustiis. Tentat sanitas, tentat infirmitas.* (*Serm.* 11. *de Quadrag.*)

Mox tamen addit infirmos et pueros à jejunii lege solutos fuisse, *quod probat ex* S. GREGOR. *qui ipse refert quòd, Cùm sacratissimo sabbato, in quo omnes et parvuli pueri jejunant, ego jejunare non possem, cæpi plus mœrore, quàm infirmitate deficere.* (*Dialog. Lib.* 3. *cap.* 13.) Un saint homme lui en obtint la force par ses prières, et il jeûna jusqu'au soir. Ainsi ce grand Pape autorise la dispense des malades par son exemple, et celle des enfans par son récit. Car c'est tout ce qu'on exigeait de ces petits enfans de jeûner le Samedi Saint. Le même saint Grégoire défendit à Marinien Archevêque de Ravenne de jeûner plus de cinq fois l'année, savoir aux veilles des cinq grandes Fêtes, jusqu'à ce qu'il fût guéri d'un vomissement de sang très-dangereux, parce que les Médecins assuraient que le jeûne était fort contraire à ce mal. (*Lib.* 9. *Epist.* 28.) *Districtè præcipio ut jejunare minimè præsumas, quia dicunt medici huic molestiæ valdè esse contrarium; nisi fortè si grandis solemnitas exegit, quinque in anno vicibus concedo.* (*Lib.* 11. *Epist.* 34.) Il lui permit quelque temps après de jeûner deux fois la semaine, parce qu'il avait appris que sa santé s'était un peu rétablie.

Part. 2. *Chap.* 13. *n.* 1. La police des Grecs, qui a fini le Chapitre précédent, commencera celui-ci. Le Canon Apostolique a ci-dessus prescrit le jeûne du Carême, et des Vendredis et des Mercredis ordinaires de l'année, sur de grandes peines à tous les Ecclésiastiques et à tous les Laïques, sans en excepter d'autres que les infirmes. (*Jur. Orient. pag.* 387. 388.) Et quant aux infirmes, Balsamon leur a ci-dessus limité leur exemption, en ne leur permettant de rompre le jeûne que par l'usage libre de l'huile et du poisson, sans pouvoir user ni de chair, ni d'œufs, ni de laitages, quand ils devraient courir risque de la vie.

N. 2. Cette sévérité était ancienne dans l'Orient, puisque Timothée Archevêque d'Alexandrie, qui fut un des cent cinquante Evêques du second Concile œcuménique en 380. répondant à des cas qu'on lui avait proposés, donna cette résolution, qu'une femme accouchée est assez affaiblie et assez mortifiée par les douleurs de ses couches, sans qu'il soit besoin de lui faire jeûner le Carême, ou de lui défendre le vin, ou de l'empêcher de manger. *Debet, quæ peperit, in jejunio Paschæ uti vino et cibo*, dit Balsamon en expliquant cette réponse de Timothée, sans que ni l'un ni l'autre ait permis l'usage de la chair. (*Balsamon. p.* 1062. 1063.) Quant aux malades en général, le même Timothée répond, qu'étant atténués et épuisés par leur maladie, il faut leur permettre de manger et de boire autant qu'il leur sera nécessaire, et d'user d'huile : *Absolvi debet ægrotus, ut cibum et potum capiat, quantum potest. Cum enim qui semel colliquefactus est, esse olei participem æquum est.* Balsamon conclut de là, qu'on permet à ces malades le vin et l'huile. Il est clair après cela que les Grecs dispensaient entièrement les malades du jeûne, mais en partie seulement de l'abstinence, c'est-à-dire, qu'ils leur permettaient de manger et de boire aussi souvent que leur maladie le demandait, d'user de vin et d'huile, mais en continuant de leur défendre l'usage de la chair, des œufs et des laitages.

N. 3. Si les Grecs traitaient avec cette sévérité les malades mêmes, on peut juger de là quelle pouvait être leur exactitude envers ceux qui ont de la santé, de quelque condition qu'ils pussent être. Procope nous a appris ci-devant de quelle manière jeûnaient l'Empereur Justinien. Il ne mangeait quelquefois en Carême, qu'une fois en deux jours, il n'usait ni de pain ni de vin, il ne prenait que des herbes et de l'eau. Zonare dit que l'Empereur Léon le Philosophe, tombant malade au commencement du Carême, ne put faire au Sénat l'exhortation au jeûne que les Empereurs avaient accoutumé d'y faire tous les ans. Cette harangue était nommée Silence, qui était un nom qu'on donnait quelquefois au Conseil secret des Princes. *Imperator cœliaco morbo laborans, viribus ita exhaustus fuit, ut de jejunio apud senatum de more Orationem habere non possit : quæ oratio Silentium appellatur.* (*Tom.* 3. *pag.* 146.) Nicéphore Grégoras nous a fait voir ci-dessus le vieil Andronic, Empereur de Constantinople, dans un âge fort avancé et infirme, jeûner exactement le Carême, et en contracter une maladie, qui termina peu après ses jours.

N. 4. L'observance de l'abstinence et des jeûnes du Carême n'a pas été moins religieuse, et moins exacte parmi nos Rois et nos Empereurs Français, etc.

N. 8. (*Suprà litt.* (B) *hocce* 8.) Saint Bernard n'exempte du jeûne ni les Rois, ni les Princes, ni le Clergé, ni le peuple, ni la Noblesse, ni le commun des hommes, ni les pauvres, ni les riches. (*Infrà litt.* (R) *hocce* 5.) Le Concile VIII. de Tolède soumet aussi généralement à l'abstinence du Carême tous les fidèles, excepté ceux à qui il est impossible de l'observer, à cause de quelque périlleuse maladie, ou d'un âge décrépit, ou d'une nécessité inévitable.... Cette troisième raison, tirée de la nécessité, différente de la vieillesse et de la maladie, ne me paraît être autre, que celle où l'on tombe dans quelques rencontres extraordinaires, de siége de ville, de guerre, de famine, et autres semblables, où l'impossibilité de trouver d'autres alimens, donne quelquefois une légitime dispense d'user de viande en Carême. Et néanmoins, afin que les hommes ne se flattent pas eux-mêmes dans leurs prétendues nécessités, ce Concile veut que la permission de manger de la chair soit demandée aux Evêques. Ces deux conditions sont donc absolument nécessaires pour une dispense

canonique et sûre en conscience, qu'il y ait une nécessité inévitable de relâcher la rigueur de la Loi, et qu'on interpose une autorité légitime pour juger de cette nécessité. Au reste ce Concile ne veut pas que la seule vieillesse suffise pour cette dispense; il demande que ce soit la caducité de l'âge, *ætatis impossibilitate, etc. quos ætas incurvat.* Les maladies ne suffisent pas aussi, si elles sont légères : *Fragilitatis evidenti languore, etc. quos languor extenuat.* (*Biblioth. PP. Tom. 4. part. 2. pag.* 245.) Le Cardinal Humbert, dans sa fameuse Conférence avec les Grecs, leur déclara que dans l'Eglise Latine on n'appréhendait nullement les peines décernées dans un Canon, que les Grecs disent être des Apôtres, *Caput quod dicitis Apostolorum*, contre ceux qui ne jeûnent pas le Carême; parce qu'on l'y jeûnait si exactement, qu'on n'en dispensait personne à moins d'une grande maladie, *excepta gravissimâ infirmitate*, et qu'on y faisait même quelquefois jeûner les enfans de dix ans, c'est-à-dire qu'on les faisait jeûner quelques jours dans chaque semaine : *Adeò ut interdum decennes pueros nobiscum faciamus jejunare.* C'était néanmoins principalement le Samedi saint qu'on faisait jeûner les plus jeunes enfans. D'où vient que Lanfranc, parlant des cérémonies du Samedi saint dans les Monastères de saint Benoît, dit qu'après la Messe on doit sonner Vêpres, et envoyer les enfans manger, s'il y en a de si jeunes qu'ils ne puissent pas jeûner jusqu'après Vêpres : *Vadant infantes ad refectorium, si qui adeò parvi sunt, ut usque post Vesperas exspectare non possint.* (*Decreta pro Ord. S. Benet. p.* 267.)

N. 9. Les Docteurs scholastiques ont apporté à ces règles générales des résolutions plus précises. Alexandre de Halès assure que ceux qui voyagent par nécessité et avec beaucoup d'incommodité, ne sont pas obligés à jeûner, parce que l'Eglise ne prétend pas par le jeûne ruiner tellement les forces d'un homme, qu'il ne puisse travailler. *Non intendit Ecclesia uno die ita affligere hominem, ut non possit postea laborare.* (*Part. 4. quæst.* 28. *m.* 6. *art.* 2.) Mais ceux qui ne peuvent allier le jeûne et le voyage, doivent différer, s'ils peuvent, leur voyage en un autre temps : *Debet exspectare usque post tempus jejunii.* Il dit que pour une dispense légitime du jeûne deux conditions sont nécessaires; la nécessité, et l'autorité des Chefs de l'Eglise : *Dispensante necessitate, et auctoritate clavium.* Quant à l'âge il dit que les sentimens sont partagés : les uns voulant qu'on commence à être obligé à toute la rigueur de la loi des jeûnes, à l'âge de vingt et un ans accomplis, parce qu'on croit jusqu'à cet âge; d'autres déterminent l'âge de vingt ans, parce que c'est celui de la milice; d'autres avancent cet âge à quinze ans, parce que la flamme de l'impureté commence alors à s'allumer, à laquelle il faut opposer le jeûne : ce sage Théologien estime que c'est l'âge de dix-huit ans, parce que c'est proprement l'âge de faire pénitence, puisque l'Eglise l'a déterminé pour entrer en Religion.

N. 10. Quant aux pauvres, il dispense du jeûne ceux qui mendient de porte en porte, et qui n'ont rien d'assuré : mais s'ils demeurent dans leurs maisons, et s'ils ont de quoi se nourrir, il ne les dispense nullement. Enfin quant à ceux qui gagnent leur vie du travail de leurs corps, il les dispense aussi du jeûne; s'ils ne peuvent ni vivre, eux et leur famille, sans travailler, et s'ils ne peuvent travailler sans affaiblir extraordinairement leur corps; non autrement : *Si enim non posset laborando acquirere sibi victum sine labore immoderato, et corporis proprii enervatione : credo quòd non teneatur, et excusat eum necessitas debilitatis.* Il demande si l'on peut louer des ouvriers, dont on présume probablement qu'ils ne pourront pas travailler et jeûner tout ensemble. Et il répond à cette demande, qu'on le peut, si l'on est en nécessité de faire travailler, et qu'on ne trouve point d'autres ouvriers qui veuillent jeûner et travailler : on doit même les en croire, quand ils disent qu'il leur est impossible de joindre le jeûne au travail : *Ad illud quod quæritur, si licet conducere operarios, de quibus est præsumptio probabilis, quòd non jejunabunt. Potest dici, quòd si incumbit ei necessitas, pro qua necesse habet operarios conducere, nec invenire potest, qui laborare velint, si eos jejunare oportet; præsumere debet, quòd necessitatem habent laborandi, et impotentes sunt ad jejunandum. Undè benè potest quis eos conducere. Dubia enim interpretanda sunt in par-*

I. **Quinam solvuntur lege Jejunii ?**

R. **Nutrices ; prægnantes ; ægroti ; senes debiliores ; qui tenentur ad opera vel exercitationes cum quibus stare Jeju-**

tem meliorem. Il ajoute qu'on pas obligé de faire des perquisitions exactes, si ces ouvriers peuvent ou vivre sans travailler, ou travailler sans rompre le jeûne ; parce que ces enquêtes ne pourroient se faire sans trouble et sans scandales : *Si autem quæratur, utrum debeat inquirere sive investigare eorum necessitatem vel impotentiam ; credo quòd non, cùm hujusmodi inquisitio multis posset fieri occasio scandali.* Enfin il assure que ceux qui ne veulent point louer d'ouvriers qu'en les obligeant de ne point jeûner, sont certainement très-coupables. *Illi peccant graviter qui tali conditione adducunt operarios, quòd solvant jejunium, et aliter non conducerent.*

N. 12. Saint Thomas ne s'est guères éloigné des résolutions d'Alexandre de Halès, si ce n'est pour les jeunes gens, qu'il n'oblige absolument au jeûne, qu'après vingt et un an, quoiqu'il juge convenable qu'il s'exercent cependant à jeûner quelquefois, selon leur âge et selon leurs forces : *Usque ad finem tertii septennii non tenentur ad Ecclesiastica jejunia observanda. Conveniens tamen est, ut etiam hoc tempore se ad jejunandum exerceant, plus, vel minùs, secundùm modum suæ ætatis.* (2. 2. *quæst.* 147. *art.* IV.) Quant aux voyageurs, et aux gens de travail, il est d'avis qu'ils peuvent se dispenser du jeûne, si les voyages sont nécessaires et les journées longues, ou si le travail est absolument nécessaire, et incompatible avec le jeûne ; à moins de cela il faut différer les voyages, et surseoir le travail : *Si autem necessitas statim peregrinandi, et magnas diætas faciendi, vel etiam multùm laborandi, vel propter conservationem vitæ corporalis, vel propter aliquid necessarium ad vitam spiritualem ; et simul cum eo non possint Ecclesiæ jejunia observari, non obligatur homo ad jejunandum.* Il juge dans ces rencontres la dispense du Pasteur nécessaire, si ce n'est dans les lieux où la coutume est déjà établie, et le silence des Pasteurs est un tacite consentement : *videtur tamen in talibus ad superioris dispensationem recurrendum esse, nisi fortè ubi est ita consuetum. Quia ex hoc ipso quòd Prælati dissimulant, videntur annuere.* Quant aux pauvres, saint Thomas s'en tient à la même décision d'Alexandre de Halès.

N. 13. Ce n'est pas sans raison, que Navarre et quelques autres Docteurs modernes on fait réflexion sur ce que saint Thomas ne parle point des vieilles gens, et qu'ils en ont conclu, qu'il avait jugé que la vieillesse n'était point une cause légitime de se dispenser du jeûne, en aucun âge déterminé ; la seule faiblesse ou impuissance de jeûner pouvant donner un légitime fondement de dispenser du jeûne les vieillards et les malades : C'est-à-dire, lorsque la vieillesse est elle-même devenue une espèce de maladie et de langueur. C'est le sentiment de Fagnan et des Auteurs qu'il rapporte. (*In lib.* 3. *Decret. p.* 2. *pag.* 145.)

Cap. 26. *n.* 9. *ad calcem, ex* INNOC. III. PP. « Epist. hæc exscribit : Res- » pondemus quòd cùm non subjaceat legi necessitas, desiderium infir- » morum, cùm urgens necessitas exigit, supportare potes, et debes, ut » majus periculum in eis evitetur. » C'est cette pressante nécessité, qui est la seule juste cause des dispenses : *urgens necessitas.*

Ex S. JOAN. CHRYSOST. *Homil.* 22. *ad pop. Antioch.* Fas est, eum qui non jejunaverit, veniam consequi, excusatâ nimirum corporis imbecillitate.

S. BASILII *tempore nondum jejuniis infirmi solvebantur : id patet ex ipsius Homil.* 1. *de jejunio, pag.* 323. Noli imitari Evæ inobedientiam, noli rursùs serpentem adhibere in consilium, qui tuendæ carnis prætextu, ut cibum capias, suadet. Ne causeris corporis infirmam valetudinem, ne dixeris te jejunium ferre non posse. Neque enim mihi istas excusationes profers, sed juxta Proverbium scienti loqueris, nimirùm Deo quem nihil fugit. Age, dic mihi, jejunare non potes, et potes expleri eduliis, potes conficere corpus escarum pondere ? Atqui infirmis, non variam ciborum copiam, sed inediam et abstinentiam à medicis solere præscribi scio. Qui fit igitur, ut cùm ista possis, illa te non posse causeris ?

nium nequit. Uno verbo quicunque sine gravi sanitatis dispendio Jejunare nequeunt. (P)

I. Quâ ætate senes solvuntur lege Jejunii ?

R. Ætatem non definivit Ecclesia. Nec tam habenda ratio ætatis quàm debilitatis, quæ cum senectute ut plurimùm conjuncta est. (Q)

I. Quid facto opus iis qui præ infirmitate vel alia quàvis necessitate jejunare nequeunt ?

R. 1. Non temerè existimandum versari se in ejusmodi necessitate, sed res maturè et cum gravi consilio ponderanda.

2. Ubi de necessitate constiterit, postulanda si fieri potest à Superiore Ecclesiastico dispensatio. (R)

3. Si nequit omninò servari Jejunium, servandum saltem aliquatenùs : servanda saltem abstinentia à carnibus. Si fortè non Jejunium, sed abstinentia à carnibus servari nequeat, jejunandum sine abstinentia à carnibus. Si neutrum fieri potest, servanda saltem maxima in cibo sobrietas, et abstinendum à condimentis superfluis et à cibis lautioribus.

4. In locum jejunii substinenda alia opera pœnitentiæ, verbi gratia, eleemosynæ largiores, orationes frequentio-

(P) *Vide* R. P. Thomass. *suprà hocce* §. *litt.* (O) *Lege insuper quæ de ea habentur in doctissimo pioque libro celeberrimi Medici Facultatis Parisiensis* D. Hecquet. de Disp. in Quadrag. *qui prostat Paris. apud Fournier.*

(Q) *Eosdem Auctores consule ibidem ut suprà hocce* §. *litt.* (O)

(R) Concil. Toletan. VIII. *Can.* 9. *ann.* 653. *sub* Martino I. Cùm Quadragesimæ dies anni totius decimæ deputentur, quæ in oblatione jejunii Domini consecrantur, quibus etiam saluberrimè conditio humani generis expiatur, dum à quatuor mundi partibus ad hanc homo religionem crediturus adducitur : quatuor elementis formatus propter transgressionem decalogi quatuor decies convenienter affligitur : illi ausu temerario hæc omnia contemnentes, voracitatis ingluviem non frenant, et quod pejus est paschalia festa illicitorum esuum præceptione profanant. Quibus ex hoc adeò acerrimè interdicitur, ut quisquis absque inevitabili necessitate, atque fragilitatis evidenti languore, seu etiam ætatis impossibilitate, diebus Quadragesimæ usum carnium præsumpserit attentare, non solum reus erit resurrectionis Dominicæ, verùm etiam alienus ab ejusdem diei sancta communione. Et hoc illi cumuletur ad pœnam, ut ipsius anni tempore ab omni esu carnium abstineat gulam : quia sacris diebus abstinentiæ oblitus est disciplinam. Illi verò quos aut ætas incurvat, aut languor extenuat, aut necessitas arctat, non antè prohibita violare præsumant, quàm à Sacerdote permissum accipiant.

Conc. Narbonense *ann.* 1609. *cap.* 10. *de observatione jejuniorum sub* Paulo V. Cùm Quadragesimale jejunium à traditione Apostolorum habeat Ecclesia, illud sanctè à fidelibus observandum est. Nam jejuniis siccatur vitiorum sentina, marcet petulantia, languet concupiscentia et fugitivæ obeunt voluptates. Ideò præfatum Quadragesimale jejunium, vigiliæ, et quatuor tempora per abstinentiam et ciborum delectum observantur. Dictis temporibus cibi venales vetiti non exponantur, sed pro necessitate ægrotantium, clam et sine scandalo ministrentur, habentibus expressam ab ordinario in scriptis licentiam : quam non nisi notâ necessitate, et si fieri possit Medicorum attestatione inspectâ conferent. Medicorum verò omnes quibusdam diebus ante Quadragesimam Episcopi ad se venire mandent, et moneant ne propriæ salutis immemores facilitate nimiâ, cujuspiam malè affectam testentur sanitatem, ne sibi parent gehennam alios nimiâ adulatione perdentes.

tiores, major solitudo, et cætera id genus : nemo quippe lege pœnitentiæ solvitur. (S)

(S) Le P. Thomassin *Traité des jeûnes. 2. Part. chap. dern...* Mais comme ç'a été une maxime constante et inaltérable dans l'Eglise depuis les premiers siècles jusqu'au temps présent, que les dispenses, pour n'être pas de cruelles dissipations, doivent être compensées par d'autres exercices de pénitence, ou de piété, substitués en la place de ceux dont on se relâche : c'est cette juste compensation qui est un devoir et une obligation indispensable et commune à tous les fidèles, qui ne peuvent refuser ce dédommagement à la justice divine.

Les Pères de l'Eglise ont toujours protesté que le jeûne du Carême ne consistait pas seulement à s'abstenir de chair et de vin, et à ne manger qu'une fois le jour vers l'heure du couchant : mais à donner aux pauvres le prix de la juste réfection dont on se prive en jeûnant, à beaucoup prier, à fréquenter les Eglises, à y assister aux Offices et aux prédications, à s'éloigner de toute sorte de compagnie profane et de divertissemens, à se confesser et à communier souvent, à surseoir ou terminer tous les procès et tous les différends, enfin à garder la continence, afin de pouvoir jeûner, et jeûner afin de pouvoir être chaste.

Dès les premiers siècles de l'Eglise tous ne pouvaient pas jeûner en la manière rigoureuse qu'on le faisait alors : mais les saints Pères ont toujours exigé de ces infirmes un contrepoids d'aumônes, de prières, et d'autres pratiques de piété, qui balançât la charitable condescendance dont on usait en leur endroit. Le nombre des infirmes s'est augmenté dans ces derniers temps, je n'examine pas si c'est infirmité ou lâcheté. La lâcheté est elle-même une grande infirmité, surtout quand elle est invétérée. Mais je dis que l'indulgence de l'Eglise, qui ne nous presse pas de jeûner plus rigoureusement, doit trouver une juste compensation dans ces autres exercices de charité, de piété, de mortification, et de religion, qui doivent accompagner le jeûne, et qui en font tout le prix et tout l'éclat. Tous ne peuvent pas jeûner jusqu'au soir comme autrefois, mais tous peuvent, et tous doivent aussi-bien qu'autrefois contrepeser ce relâchement par d'autres pratiques de piété : tous peuvent aux jours de jeûne faire de plus abondantes aumônes ; tous peuvent avoir plus d'assiduité à l'Eglise, à la prière, aux offices et aux sermons ; tous peuvent donner un peu moins au sommeil, et donner un peu plus à la retraite, au silence et à la lecture ; tous peuvent se mieux disposer aux sacremens, et les fréquenter aussi davantage ; tous peuvent ajouter la continence au jeûne, afin que ces deux exercices de piété se facilitent et se fortifient réciproquement l'un l'autre ; tous peuvent ou accommoder tout à fait leurs différends et leurs procès, ou s'en désister au moins pendant le Carême ; tous peuvent épargner un peu davantage leurs domestiques et leurs serviteurs, pour leur donner plus de facilité à jeûner, et plus de loisir pour s'occuper à la prière... Enfin tous peuvent pratiquer ce jeûne, qui est le plus essentiel de tous, et qui consiste à mortifier ses passions, à reprimer ses convoitises et à se corriger de ses vices... Etant tous pécheurs nous y sommes indispensablement obligés (à la pénitence :) nos infirmités nous peuvent rendre incapables de quelques pratiques de pénitence en particulier ; mais elles nous engagent alors d'autant plus étroitement aux autres, qui ne sont pas au-dessus de nos forces.

Avis donnés par ordre de S. E. Monseig. le Cardinal de Noailles, Archev. de Paris, *touchant ce que doivent faire ceux qui ont permission de manger de la viande en Carême.* Nous permettons à N. notre paroissien, dont le besoin nous est connu, de manger de la viande pendant le Carême de la présente année ; et cela seulement sous les conditions suivantes que nous apposons à cette permission, par ordre de Monseigneur l'Archevêque.

1. Chaque jour qu'il usera de cette permission, nous lui recommandons de recompenser par quelque action de piété, et principalement par l'aumône, ce qui manque en cela à sa personne ; sur quoi il consultera son confesseur.

2. Il n'usera de cette permission qu'autant qu'il lui sera nécessaire et seulement les jours qu'il ne pourra s'en passer.

5. Dolendum maximè quòd præ necessitate non possit cum universa Ecclesia servari jejunium, cujus ut Scripturis patet, tanta vis est et efficacia, maximè ad impetrandam remissionem peccatorum. (T)

I. Cur institutum est jejunium?

R. Ut affligatur caro : et fiat Deo satisfactio pro peccatis. (V)

3. Si son infirmité finit avant la fin du Carême, il reprendra aussitôt l'abstinence et le jeûne.

4. Il gardera l'abstinence le Vendredi et le Samedi de chaque semaine, s'il avait accoutumé de la garder pendant le reste de l'année, et il la gardera encore le Mercredi, et quelques autres jours de la semaine, s'il le peut sans une incommodité notable; ce qu'il observera plus exactement, la semaine de la Passion, et surtout la semaine Sainte.

5. Il ne mangera point en compagnie lorsqu'il usera de viande, mais seul en particulier, et avec regret de se trouver hors d'état de prendre part à l'abstinence et à la pénitence de toute l'Eglise. S'il se trouve cependant quelque autre personne de sa famille, qui demeure avec lui et qui ait la même permission, il pourra manger avec elle.

6. Il s'abstiendra de ragoûts et de tous mets trop délicats ou superflus, et il n'usera que des viandes convenables à un malade ou à un infirme.

7. Il observera dans tout le reste ce qu'il pourra observer de l'abstinence et du jeûne du Carême, et s'il peut sans une incommodité trop considérable ne manger de la viande qu'à un seul repas, il n'ajoutera à ce repas que la simple collation que l'Eglise tolère en ceux mêmes qui gardent l'abstinence et le jeûne.

8. Il s'abstiendra pendant tout le Carême non-seulement des spectacles et des jeux qui sont défendus en tout temps, mais même autant qu'il pourra, des divertissemens qui pourraient être permis en un autre temps.

9. Il aura soin d'envoyer aux hôpitaux des malades, et à la charité de la Paroisse, ce qui pourra rester chez lui de viande ou de bouillon, ou de le destribuer aux pauvres qui auront une permission expresse de manger de la viande, et non à ceux qui n'auront pas cette permission.

(T) S. GREG. *Dialog. lib.* 3. *cap.* 23. Cùm quodam tempore in Monasterio positus incisionem vitalium paterer, crebrisque angustiis per horarum momenta ad exitum appropinquarem (quam Græci molestiam Græco eloquio syncopem vocant;) et nisi me frequenter fratres cibo reficerent, vitalis mihi spiritus funditùs intercidi videretur : Paschalis supervenit dies, et cùm sacratissimo sabbato in quo omnes et parvuli pueri jejunant, ego jejunare non possem, cœpi plus mœrore quàm infirmitate deficere. Sed tristis animus consilium citiùs invenit ut Eleutherium virum Dei secretò in oratorium ducerem, eumque peterem, quatenus mihi ut die illo virtus ad jejunandum daretur, suis apud omnipotentem Dominum precibus obtineret : quod et factum est, nam mox ut oratorium ingressi sumus humiliter sese cum lacrymis in orationem dedit, et post paululùm completâ oratione exiit, et ad vocem benedictionis illius, virtutem tantam meus stomachus accepit, ut mihi funditùs à memoria tolleretur cibus et ægritudo. Cœpi mirari quis essem, quis fuerim : quia et cùm ad animum redibat infirmitas, nihil in me ex his quæ memineram recognoscebam. Cumque in dispositione monasterii mens occupata fuisset, obliviscebar funditùs ægritudinis meæ : si verò, ut prædixi, rediret ægritudo ad memoriam, cùm tam fortem me esse sentirem, mirabar si non comedissem. Qui ad Vesperam veniens, tantæ me fortitudinis inveni, ut si voluissem, jejunium usque ad diem alterum transferre potuissem.

(V) S. BASIL. *Homil.* 1. *de Jejunio*, *tom.* 1. *pag.* 321. Ex Isaïa didicimus jejuniorum gratiam, qui ut Judaïcum jejunandi modum detestatus est, ita verum jejunium nobis demonstravit : "*Nolite ad contentiones et lites jejunare, sed dissolve omne vinculum iniquitatis* (*Isaï.* LVIII. 4. *et* 6.); et Dominus : *Nolite fieri tristes, sed lava faciem tuam, et unge caput tuum.* (*Matth.* VI. 16. *et* 17.) Sic igitur animis affecti simus, quemadmodum sumus edocti, ac dies instantes haudquaquam tristi animo, sed alacri

affectu excipiamus, sicuti decet sanctos. Nemo dejectæ mentis coronatur, nemo mœrens trophæum statuit. Noli tristis esse dum curaris : absurdum fuerit si ob cibos subtractos contristemur, ac non potiùs super animæ sanitate lætemur : sicque videamur plus tribuere voluptati ventris, quàm curæ mentis. Satietas enim in ventrem defert delectationem, sed jejunium in animam subvehit lucrum. Sis hilari animo, quòd tibi à medico datum est pharmacum efficax abolendo peccato. Quemadmodum enim vermes puerorum intestinis germinantes pharmacis quibusdam vehementer acribus et amaris excutiuntur ; ita peccatum in intimis secessibus habitans exstinguit, enecatque simul atque in animam supervenerit jejunium, ob hoc ipsum suo dignum nomine, quòd inedia purget animæ viscera.... Si à ligno jejunasset Eva, nequaquam hoc nunc jejunio opus haberemus. *Neque enim qui valent egent medico, sed qui malè habent.* (*Luc.* v. 31.) In morbum incidimus per peccatum, sanemur per pœnitentiam. Sed pœnitentia sine jejunio otiosa et infrugifera est. Maledicta terra spinas et tribulos progignet tibi. In tristitia vivere jussus es, non indulgere deliciis. Per jejunium satisfacito Deo.... Quoniam non jejunavimus, exulamus è paradiso. Jejunemus igitur, ut ad illum postliminio revertamur. An non vides quomodo Lazarus per jejunium ingressus est paradisum ?.... Ne causeris corporis infirmam valetudinem, ne dixeris te jejunium ferre non posse ; neque enim mihi istas excusationes profers, sed juxta proverbium scienti loqueris, nimirum Deo, quem nihil fugit. Age dic mihi jejunare non potes, et potes expleri edulîis, potes conficere corpus escarum pondere ? Atqui infirmis, non variam ciborum copiam, sed inediam et abstinentiam, à medicis solere præscribi scio. Qui fit igitur, ut cùm ista possis, illa te non posse causeris ? Utrum ventri facilius est, tenui victu transmittere noctem, ac copiâ ciborum gravatum jacere.... Hæc utraque inter se componito : Hinc quomodo jejunium adjungat Deo, illinc quomodo luxus salutem verterit in exitium.... Quæ res Esaü alienavit à Deo, fratrique in servitutem tradidit, nisi unicum edulium cujus gratiâ vendidit jus primogeniti ? (*Gen.* xxv. 33.) Jam Samuelem nonne deprecatio cum jejunio conjuncta donavit matri ? (1. *Reg.* I.) Quæ res fortissimum Samsonem inexpugnabilem reddidit ? An non jejunium ? Cum jejunio in utero matris conceptus est ; cum jejunio educatus est ; jejunio in virum adolevit, quod jejunium Angelus matri indixerat : *Quidquid proficiscetur è vinea ne edat, vinumque et siceram ne bibat.* (*Judic.* XIII. 14.) Jejunium Prophetas generat, parentibus addit robur. Jejunium legum laloribus subministrat sapientiam, bona animæ custodia, corpori tutus convictor, armatura fortiter belligerantibus, athletis exercitium. Hoc tentationes depellit, hoc ungit ad pietatem, vigiliæ familiaris comes, sobrietatis architectus. In bellis addit fortitudinem, in pace docet quietem. Nazaræum sanctificat Sacerdotem numeris omnibus absolvit, neque enim fieri potest, ut his absque jejunio sanctum ministerium cum fiducia peragat.... Jejunium Heliam magni illius miraculi spectatorem fecit, qui cùm Quadraginta dierum jejunio repurgasset animam, ita demum in speluncæ quæ est in Choreb promeruit videre Dominum, quatenus quidem homini videre datum est. (3. *Reg.* XIX.) Jejunans viduæ filium suum restituit, (*Ib.* XVII. 22.) adversùs ipsam etiam mortem robustus factus per jejunium vox ab ore jejunio proficiscens populo transgressori clausit cœlum annos tres, ac menses sex.... et adegit omnem populum ad jejunium ingravescente fame, videlicet ut malitiam, quam à deliciis vitaque dissoluta contraxerant, abstinentiâ corrigerent.... Elisæus autem cujusmodi victu est usus ? Quomodo apud Sunamitidem hospitio refocillatus est ? Quomodo ipse Prophetas excepit ? nonne agrestia olera ac farinæ pauxillum hospitalitatis munus expleverunt ? (4. *Reg.* IV.).... Atque ut semel omnia dicam, reperies quotquot fuere sancti, omnes per jejunium ad vitam Deo dignam fuisse institutos.... Porrò qui caput est omnium.... Dominus noster non priùs in carne, quam pro nobis assumpserat, diaboli insultus excepit, quàm eam jejunio communisset (*Matth.* IV.), simul et nos erudiens, ut nosmet adversùs tentatoris conflictus exemplo Palæstritarum ungamus et exerceamus.... Proinde si cupis mentem reddere validam, fac carnem domes jejunio.... Moses dum alteram accepit

legem altero jejunio opus habuit. (*Exod.* XXXIV.) Nisi apud Ninivitas simul cùm hominibus jejunassent et bruta animantia, haudquaquam effugissent subversionem quam Deus per Jonam fuerat comminatus. (*Jonas.* III.)

Homil. 2. *de Jejunio.* Ebrietas inimica est Deo, jejunium pœnitentiæ initium est. Itaque si cupis per confessionem reverti ad Deum, fugito temulentiam, ne magis etiam abs te Deum alienet. Attamen ad hoc, ut laudem promereatur jejunium, non est per se satis temperare à cibis, sed jejunemus jejunium acceptabile, Deo gratum. Verum jejunium est à vitiis immunem esse, continentia linguæ, iræ cohibitio, concupiscentiarum amputatio, obtrectationis, mendacii, perjurii. Ab his abstinere verum est jejunium. In his igitur honestum ac bonum est jejunium. Cæterùm deliciemur erga Dominum in meditatione spiritualium eloquiorum, inque suscipiendis salutaribus præceptis, denique in cunctis dogmatibus quibus emendantur animi nostri.... Ne veniat in nos jejunium quod Deus comminatur Judæis : *Ecce enim dies venient, dicit Dominus, et inducam in terram famem, non famem panis, neque sitim aquæ, sed famem audiendi verbum Domini.* (*Amos.* VIII. 11.)

S. CHRYSOST. *hom. de Jejunio et Eleemosyna, quæ est* 71. *tom.* 6. *pag.* 34. *edit. Paris.* 1624. Bonum est jejunium.... Ostende mihi, an cùm iracundus esses lenis factus sis, et cùm esses crudelis, benignus evaseris; quoniam si ebrius iracundiâ sis, quid carnem affligis ? Si intùs sit invidia et avaritia, quid prodest aquæ potus ? Non quæro nunc qualis sit mensa, sed an malæ mentis facta sit mutatio. Si domina nimirùm anima fornicatur, cur ancillam ventrem flagellas ? Si anima seducitur, cur corpus maceras ? Hæc autem dico, non ut vos accusem, sed propter negligentes.... Si ergo velis excipi apud Deum, jejuna quemadmodum Ninivitæ, mi frater.... Noli igitur otiosum jejunium exhibere, non enim solum jejunium in cœlum ascendit, nisi sororem habeat suam eleemosynam.

Homil. 1. *in Genes. initio.* Communis nostri omnium Dominus, veluti pater filios indulgenter amans, cupiens ea quæ unquam peccavimus nos abluere, hanc nobis, quæ per jejunium fit, curationem adinvenit.

Homil. 8. *post med.* Abstinentia à cibis propter hoc recepta est, ut vigorem carnis refrenet, et equum moderanti facilè parere faciat.

Homil. 3. *ad popul. Antioch.* Aggredere iter in cœlum ferens, asperam et angustam viam attinge et ambula. Quomodo autem poteris et attingere et ambulare ? Castigans corpus tuum, et in servitutem redigens : ubi enim via angusta, magnum impedimentum est carnis ex crapula obesitas. Absurdarum undas concupiscentiarum reprime, repelle improbarum hyemem cogitationum... Horum autem omnium nobis materia jejunium et magister est.

Homil. 53. *paulò post initium.* Si in paradiso jejunium necessarium fuit, extra paradisum multò magis. Si ante plagam utilis medicina fuerat, multò magis post plagam. Si necdum bello cupiditatum insurgente nobis arma fuerant opportuna, multò magis tantum post cupiditatum vitiorumque prælium à dæmonibus nobis illatum. Igitur necessaria nobis à jejunio sunt auxilia.

S. AUG. *Serm.* 205. *aliàs de div.* 68. *in Quadrag.* 1. *n.* 1. Vobis solemniter etiam exhortatio nostra debetur : ut Dei sermo per nostrum officium ministratus, jejunaturos corpore pascat in corde : ac sic interior homo cibo suo refectus, exterioris castigationem possit agere, et robustiùs sustinere. Congruit enim nostræ devotioni, ut qui Domini crucifixi passionem jam propinquantem celebraturi sumus, reprimendarum carnalium voluptatum crucem nobis ipsi etiam faciamus, sicut dicit Apostolus. * *Qui autem Jesu Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum passionibus et concupiscentiis.* (*Galat.* V. 24.)

Serm. 207. *aliàs de divers.* 31. *in Quadrages.* 3. *n.* 2. Jejunemus etiam humiliantes animas nostras, appropinquante die quo Magister humilitatis * *humiliavit semetipsum, factus subditus usque ad mortem crucis.* (*Philipp.* II. 8.) Imitemur ejus crucem, abstinentiæ clavis edomitas concupiscentias configentes. Castigemus corpus nostrum, et serviluti subjiciamus : et ne per indomitam carnem ad illicita prolabamur, in ea domanda aliquantùm et licita subtrahamus. Crapula et ebrietas etiam per dies

I. Quâ maximè ratione valere plurimùm in conspectu Dei jejunium potest ?

R. Si jejunium adjunctam habeat orationem et cætera bona opera, maximè verò eleemosynam. (X)

cæteros devitanda : per hos autem dies etiam concessa prandia removenda. Adulteria et fornicationes semper exsecranda atque fugienda : his autem diebus et à conjugibus temperandum est. Facilè tibi obtemperabit caro, ne inhæreat alienis, quæ refrænari consueverit et à suis.

Serm. 208. *aliàs de divers.* 72. *in Quadrag.* 4. *n.* 1. Aliquo genere ciborum etiam concessorum atque licitorum, causâ castigandi corporis abstinetis.... Cùm corpus castigatur, et servituti subjicitur, restringendæ sunt deliciæ, non mutandæ.

Serm. 209. *aliàs de divers.* 73. *in Quadrag.* 5. *n.* 3. Quod enim fit in hujusmodi observationibus (Quadragesimalibus *scilicet*) sanâ doctrinâ, non fit causâ immunditiæ devitandæ, sed concupiscentiæ refrenandæ.

Serm. 210. *aliàs de diversis* 74. *in Quadrag.* 6. *cap.* 1. *n.* 1. Solemne tempus advenit, quod ampliùs quàm per anni cætera spatia, nos orationibus atque jejuniis animam humiliare, et corpus castigare commoneat.

N. 4. Omnis qui rectè jejunat, aut animam suam in gemitu orationis et castigatione corporis humiliat ex fide non ficta, aut ab illecebra carnali inopiâ aliquâ spiritali veritatis et sapientiæ, delectatione suspensâ ad famem sitimque sentiendam descendit ejus intentio.

Serm. de utilitate jejun. cap. 3. *n.* 3. Ne quisquam fortè hoc faciens (*hoc est* jejunans) Ecclesiæ consuetudine, cogitet apud se, et dicat sibi, aut suggerentem intrinsecus audiat tentatorem : Quid facis, quia jejunas ? Defraudas animam tuam, non ei das quod eam delectat, tibi ipsi ingeris pœnam, tuus ipse tortor et cruciator existis. Deo ergo placet, quia te crucias ? Ergo crudelis est, qui delectatur pœnis tuis. Responde hujusmodi tentatori : Excrucio me planè, ut ille parcat : do de me pœnas, ut ille subveniat, ut placeam oculis ejus, ut delectem suavitatem ejus. Nam et victima excruciatur, ut in aram imponatur. Minùs premet mentem meam caro mea. Et tali dissuasori malo, servo ventris responde per hanc similitudinem, et dic : Si jumento fortè insideres, si equo uteris, qui te gestiendo posset præcipitare, nonne ut securus iter ageres, cibaria ferocienti subtraheres, et famè domares quem freno non posses ? Caro mea jumentum meum est : iter ago in Jerusalem, plerumque me rapit, et de via conatur excludere : via autem mea Christus est : ita exsultantem non cohibebo jejunio ? Si quis hoc sapit, etiam ipso experimento probat, quàm utiliter jejunetur.

S. Leo Mag. *Serm.* 11. *de jejun.* 10. *mens.* 2. Quid enim potest efficacius esse jejunio, cujus observantiâ appropinquamus Deo, et resistentes diabolo, vitia blanda superamus ? Semper virtuti cibus jejunium fuit. De abstinentia prodeunt castæ cogitationes, rationabiles voluntates, salubriora consilia. Et per voluntarias afflictiones caro concupiscentiis moritur, virtutibus spiritus innovatur.

(X) Isai. lviii. 1. Clama ne cesses, quasi turba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum, et domui Jacob peccata eorum. 2. Me etenim de die in diem quærunt, et scire vias meas volunt : quasi gens quæ justitiam fecerit, et judicium Dei sui non dereliquerit, rogant me judicia justitiæ : appropinquare Deo volunt. 3. Quare jejunavimus, et non aspexisti : humiliavimus animas nostras, et nescisti ? Ecce in die jejunii invenitur voluntas vestra, et omnes debitores vestros repetitis. 4. Ecce ad lites, et contentiones jejunatis, et percutitis pugno impiè. Nolite jejunare usque ad hanc diem, ut audiatur in excelso clamor vester. 5. Nunquid tale est jejunium, quod elegi per diem affligere hominem animam suam ? Nunquid conlorquere quasi circulum caput suum, et saccum, et cinerem sternere ? Nunquid istud vocabis jejunium, et diem acceptabilem Domino ? 6. Nonne hoc est magis jejunium, quod elegi ? Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes, dimitte eos, qui confracti sunt, liberos, et omne onus dirumpe, 7. Frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam : cùm videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne dexpexeris. 8. Tunc erumpet

quasi manè lumen tuum, et sanitas tua citiùs orietur, et anteibit faciem tuam justitia tua, et gloria Domini colliget te. 9. Tunc invocabis, et Dominus exaudiet: clamabis, et dicet: Ecce adsum.

Tob. XII. 8. Bona est oratio cum jejunio, et eleemosyna magis quàm thesauros auri recondere: 9. quoniam eleemosyna à morte liberat, et ipsa est, quæ purgat peccata, et facit invenire misericordiam et vitam æternam.

S. Joan. Chrysost. *tom.* 5. *Serm.* 52. In his diebus omnes per preces, per eleemosynam, per jejunium, per vigilias, per lacrymas, per confessionem, ac per cætera omnia diligenter expurgati pro captu nostro cum conscientia pura accedemus.

S. Aug. *Serm.* 205. *aliàs de divers.* 68. *in Quadrages.* 2. *n.* 1. Quod vobis demitis jejunando, eleemosynis addite prærogando. Corpus quod carnalibus affectibus solvebatur, puris precibus prosternatur. Manus quæ amplexibus implicabantur, orationibus extendantur. Vos autem qui etiam per alios dies jejunatis, per hos augete quod facitis. Qui per alios dies perpetuâ continentiâ crucifigitis corpus, per hos Deo vestro crebrioribus et intentioribus inhærete orationibus. Omnes unanimes, omnes fideles fideliter, omnes hac peregrinatione unius patriæ desiderio suspirantes, et amore ferventes.

Serm. 206. *aliàs de divers.* 70. *in Quadrages.* 2. *n.* 2. Sed orationibus nostris, quibus ad Deum faciliùs volando perveniant, eleemosynis et jejuniis pennas pietatis addamus. Hinc autem intelligit animus Christianus, quantùm remotus esse debet à fraude alienæ rei; quando sentit simile esse fraudi, si superflua sua non tribuerit indigenti.

N. 3. Ita oratio nostra humilitate et charitate jejunando et dando, temperando et ignoscendo, bona tribuendo et mala non retribuendo, à malo declinando et bona faciendo, quærit pacem, et consequitur eam. Volat enim talibus oratio pennis adminiculata virtutum: et quò Christus pax nostra præcessit, faciliùs perfertur in cœlum.

Serm. 207. *aliàs de divers.* 71. *in Quadrag.* 3. *n.* 1. Exerceamus itaque eleemosynas nostras tantò impensiùs, tantòque frequentiùs, quantò propinquior fit dies, quà nobis prærogata eleemosyna celebratur. Quia jejunium sine misericordia ei nihil est qui jejunat.

N. 3. His diebus adminiculis piarum eleemosynarum et frugalium jejuniorum oratio nostra in superna sustollitur.

Serm. 208. *aliàs de divers.* 72. *in Quadrag.* 4. *n.* 1. Ipsum tempus, etiam tacentibus nobis, satis vos admoneat et horietur; ut jejuniis et orationibus et eleemosynis solito instantiùs et alacriùs ferveatis.

N. 2. Jam verò eleemosynas his diebus augere, quodam modo ex debito est. Ubi enim justiùs, quàm miserendo impenditis, quod vobis abstinendo demitis? Et quid iniquius, quàm ut quod minus erogat abstinentia, servet permanens avaritia, aut consumat dilata luxuria? Intendite itaque quibus debeatis quod vobis denegatis: ut quod detrahit temperentia voluptati, addat misericordia charitati.

Serm. 209. *aliàs de divers.* 73. *in Quadrages.* 5. *n.* 2. Ut autem nostræ orationes congruis adminiculis adjuventur, quoniam in his diebus ferventiores eas habere debemus; etiam eleemosynas ferventiùs erogemus. Ipsis adjiciatur, quod nobis jejunando et à cibis solitis abstinendo detrahitur. Quamvis eas debeat largiores habere, qui propter aliquam necessitatem corporis sui et consuetudinem alimentorum non potest abstinere, ut hoc addat pauperi quod sibi detrahit; sed ideò plus det pauperi, quia sibi non detrahit; ut quoniam minùs potest orationes suas castigatione corporis adjuvare, abundantiorem in corde pauperis includat eleemosynam, quæ pro illo possit orare. De Scripturis sanctis hoc est saluberrimum amplectendumque consilium; *Include*, inquit, *eleemosynam in corde pauperis, et hæc pro te exorabit.* (*Eccli.* XXIX. 15.)

N. 3. Estote ergo his diebus et crebriùs jejunantes, et vobis parciùs impendentes et egenis largiùs tribuentes.

Serm. 210. *aliàs de divers.* 74. *in Quadrages.* 6. *cap.* 6. *n.* 9. Nunc itaque in persona Christi, ut non circumveniamini à satana exhortor vos, Dilectissimi, ut quotidianis jejuniis, largioribus eleemosynis, ferventioribus orationibus Deum propitietis.

Cip. 10. *n.* 12. Præcipuè sanè pauperum mementote, ut quod vobis parciùs vivendo subtrahitis, in cœlesti thesauro reponatis. Accipiat esuriens Christus, quod jejunans minus accipit Christianus. Castigatio volentis, fiat sustentatio non habentis : voluntaria copiosi inopia, fiat necessaria inopis copia.

S. LEO. MAG. *Serm.* 11. *de jejun.* 10. *mensis cap.* 4. Tria verò sunt, quæ maximè ad religiosas pertinent actiones, oratio scilicet, jejunium, et eleemosyna, quibus exercendis, omne quidem tempus acceptum, sed illud est studiosiùs observandum, quod Apostolicis accepimus traditionibus consecratum.... Oratione enim propitiatio Dei quæritur, jejunio concupiscentia carnis exstinguitur, eleemosynis peccata redimuntur: simulque per omnia Dei in nobis imago renovatur, si et in laudem ejus semper parati, et ad purificationem nostram sine cessatione solliciti, et ad sustentationem proximi indesinenter sumus intenti. Hæc triplex observantia omnium virtutum comprehendit effectus. Hæc ad imaginem et similitudinem Dei pervenit, et à Spiritu sancto inseparabiles facit. Quia in orationibus permanet fides recta, in jejunio innocens vita, in eleemosynis mens benigna.

Serm. 12. *de jejun.* 10. *mens.* 2. Sed quia non solo jejunio animarum nostrarum salus acquiritur, jejunium nostrum misericordiis pauperum suppleamus. Impendamus virtuti, quod subtrahimus voluptati. Fiat refectio pauperis abstinentia jejunantis, studeamus viduarum defensioni, pupillarum utilitati, lugentium consolationi, diffidentium paci. Suscipiatur peregrinus, adjuvetur oppressus, vestiatur nudus, foveatur ægrotus, ut quicunque nostrùm de justis laboribus auctori bonorum omnium Deo sacrificium hujus pietatis obtulerit, ab eodem regni cœlestis præmium percipere mereatur.

Serm. 14. *de jejun.* 10. *mens.* 4. *cap.* 1. Curandis igitur læsionibus quas sæpè incidunt, qui cùm invisibili hoste confligunt, trium maximè remediorum est adhibenda medicina. In orationis instantia, in castigatione jejunii, in eleemosynæ largitate : quæ cùm pariter exercèntur, Deus propitiatur, culpa deletur, tentator eliditur.

Serm. 15. *de jejun.* 10. *mensis* 5. *cap.* 2. Efficacissima pro peccatis deprecatio est in eleemosynis atque jejuniis, et velociter ad divinas conscendit aures talibus oratio elevata suffragiis.

Serm. 78. *de jejun. Pentecostes* 3. Sanctas continentiæ delicias appetentes, aliquantulum nobis de terrenorum ciborum abundantia subtrahamus : ita ut proficiat eleemosynis, quod non impenditur mensis. Tunc enim demum ad animæ curationem proficit medicina jejunii, cùm abstinentia jejunantis esuriem reficit indigentis.

S. GREG. *Reg. Pastor. part.* 3. *cap.* 19. *aliàs cap.* 43. *admon.* 20. Admonendi sunt abstinentes, ut noverint quia tunc placentem Deo abstinentiam offerunt, cùm ea quæ sibi de alimentis subtrahunt, indigentibus largiuntur.... Non enim Deo, sed sibi quisque jejunat, si ea quæ ventri ad tempus subtrahit, non egenis tribuit, sed ventri postmodum offerenda custodit.

CONCIL. TIBUR. *ann.* 895. *cap.* 35. Diebus Quadragesimæ et jejuniorum summâ devotione jejunandum; et omni intentione est orandum, atque unicuique pro facultatibus suis eleemosynæ tribuendæ.

S. BERN. *Serm.* 4. *in Quadrag.* Oratio virtutem impetrat jejunandi, et jejunium gratiam promeretur orandi. Jejunium orationem roborat, oratio sanctificat jejunium, et Domino repræsentat. Quid enim jejunium nobis proderit, si relinquatur in terra? quod absit. Sublevetur ergo jejunium pennâ quâdam orationis.

THEODULPH. Episc. Aurelian. *in instruct. Past. capitul.* 38. Diebus vero jejunii eleemosyna facienda est, et cibum, vel potum, quo quisque uti debuit, si non jejunaret, pauperibus eroget. Quia jejunare et cibos prandii ad cœnam reservare, non mercedis, sed ciborum est incrementum.

Cap. 39. (*Quadragesimali tempore*) concurrendum est ad Missas, et auditis Missarum solemnibus, sive vespertinis officiis, eleemosynis ad cibum accedendum est.

Cap. 43. Abstinendum est in his sacratissimis diebus à conjugibus, et castè et pie vivendum, ut sanctificato corde et corpore isti sancti dies

transigantur, et sic perveniatur ad diem sanctum Paschæ. Quia penè nihil valet jejunium, quod conjugali opere polluitur, et quod orationes, vigiliæ et eleemosynæ non commendant.

AUCTOR *Vitæ Ludovici Pii Imperat. apud* QUERCET. *tom.* 2. *pag.* 318. 319. Quadragesimale jejunium inchoavit, etc. Solitus erat hoc tempus psalmorum decantatione, orationum instantiâ, Missarum celebratione, eleemosynarum liberalitate, cum summa devotione totum solemne reddere, ita ut vix uno, aut duobus diebus propter exercitationem equitationi indulgeret.

S. RATHERIUS *in Serm.* 1. *de Quadr.* SPICILEG. *tom.* 2. *pag.* 283. Fac eleemosynam, jejuna, et ora. His enim nisi duabus alis jejunia nostra vehantur, cœlum non valent conscendere : orationum videlicet et eleemosynarum juvamine.

CONVENT. MELODUN. *ann.* 1579. *cap. de jejunio :* Ornentur Christianorum jejunia precum assiduitate, victûs honestâ tenuitate, et eleemosynarum piâ largitione, juxta illud Augustini, *Sic jejuna, ut in alio te prandisse gaudeas.*

Quàm necessaria sit Eleemosyna ut jejunia nostra Deo grata sint probat R. P. THOMASS. *Tract. de jejun. part.* 2. *cap.* 26 *n.* 3. C'est une condition déplorable des riches, et qu'il est juste d'expier par de plus grandes aumônes, de ne pouvoir pas même jeûner, sans faire plus de dépense qu'en ne jeûnant pas ; et de ne pouvoir faire pénitence, qu'en usant d'alimens de plus grands prix qu'en un autre temps. Ce n'est pas leur climat et la nature des lieux où ils vivent, c'est leur délicatesse qui les met dans cette nécessité. Dans ce même climat et dans ces mêmes lieux, les anciens Chrétiens, qui n'avaient pas plus de santé qu'eux, ni moins de biens, mais qui avaient plus de piété, ont jeûné d'une manière toute autre, et ont trouvé dans les épargnes des jours de jeûne, un trésor de charités et de liberalités pour les pauvres. Si dans la suite des siècles, les riches sont devenus plus lâches et plus délicats, c'est cette lâcheté et cette délicatesse même qui doit être rachetée par de plus grandes aumônes. Nous avons fait voir qu'on a jeûné autrefois sans user ni de viande, ni de vin, ni de poisson ; et cette épargne était acquise aux pauvres. Si l'Eglise s'est relâchée de ces rigueurs en faveur des riches, elle ne s'est pas relâchée au préjudice des pauvres. Les riches doivent prendre la dépense des choses qu'on leur permet par indulgence, non sur la part des pauvres, mais sur leurs autres biens ; et ils doivent même compenser cette indulgence par une plus grande effusion de charités. Tous les Grecs et les Orientaux jeûnent encore sans user de poisson ; et sont toujours en état d'assister les pauvres de ce qu'ils retranchent de leur dépense. C'est une injuste prétention de vouloir nous dispenser d'imiter leurs aumônes, parce que nous nous sommes dispensés d'imiter la rigueur de leurs jeûnes. De quelque qualité que soit le climat où nous habitons, et à quelque dépense qu'il oblige les riches, il est toujours vrai de dire, selon les maximes Evangéliques, que le jeûne, l'aumône et l'oraison doivent être inséparables : que le jeûne ne peut s'élever à Dieu que sur les ailes de l'oraison et de l'aumône : que les temps de jeûne sont des temps destinés à toute sorte de bonnes œuvres, surtout à l'aumône ; qu'un temps de pénitence est un temps de liberalités pour les pauvres : que les riches doivent racheter leurs péchés par aumônes, et que cette obligation n'est jamais plus pressante qu'au temps de pénitence ; enfin que le jeûne n'est de nul prix, et que la pénitence n'est pas sincère, quand on n'a pas soin de s'abstenir des vices, surtout de ceux auxquels on est exposé par sa condition, tel qu'est l'amour des biens périssables, et l'avarice à l'égard des riches. Car quelle avarice plus évidente et plus inexcusable, que de ne rien donner aux pauvres aux temps mêmes consacrés à l'expiation de nos crimes! Nous avons vu ci-dessus, que quand nos Rois indiquaient des jeûnes, ils ordonnaient en même temps une certaine quantité proportionnée d'aumônes. Tant il est vrai que les maximes de l'Evangile, et les lois Canoniques éclataient alors dans les Ordonnances mêmes des Souverains, et on a peine présentement d'en remarquer les traces dans les mœurs de la plupart des fidèles.

N. A. Il y a une autre raison particulière d'augmenter ses aumônes en Carême. C'est celle des dispenses qu'on donne ou du jeûne ou de l'absti-

nence aux malades, ou aux infirmes.... Car les dispenses légitimes ne se donnant point sans quelque compensation, la compensation juste et canonique des abstinences est celle des aumônes..... Car il faut confesser de bonne foi, que notre manière de jeûner est en quelque façon une dispense du jeûne, reduit presque à la seule abstinence. Et nous pourrions peut-être dire aussi, sans trop outrer la chose, que notre abstinence même aux jours de jeûne tient encore beaucoup de la dispensation et de l'indulgence. N'est-ce pas en quelque façon réduire le jeûne en abstinence simple, de faire deux repas au lieu d'un, et de manger à midi, au lieu de jeûner jusqu'au soir? N'est-ce pas avoir beaucoup relâché l'abstinence même, d'y avoir permis communément le vin, le poisson, et une bonne partie des laitages? Je ne combats pas ces adoucissemens, mais je dis que pour être des indulgences et des dispenses générales, ce n'en sont pas moins des dispenses, et que par conséquent l'obligation de leur donner un juste contrepoids par les aumônes plus abondantes, n'en est pas moindre.

N. 5. Quant aux dispenses totales qu'on demande, et qu'on obtient, ou du jeûne seulement, ou de l'abstinence même, soit des Evêques, soit des Médecins, soit des Curés, elles doivent toutes être compensées, pour être légitimes, par une juste proportion d'autres bonnes œuvres, et surtout d'aumônes. A moins de cette compensation, selon les règles de l'Eglise et de l'équité, cette indulgence sera une cruelle dissipation, couverte du voile trompeur d'une dispensation charitable. Tous les hommes sont obligés de faire pénitence, et de racheter leurs péchés par de bonnes œuvres. Cette obligation ne souffre ni exception ni dispense. Entre les bonnes œuvres, par lesquelles on expi ses péchés, le premier rang est dû au jeûne, aux aumônes et à la priere. L'Eglise a déterminé certains jeûnes et certaines prières, parce que communément tous peuvent jeûner et prier. Elle n'a rien déterminé pour les aumônes, parce que tous ne la peuvent pas faire, et si tous le pouvaient, il n'y aurait point de pauvre, et on ne pourrait la faire. Ceux qui ont des raisons légitimes de se faire dispenser du jeûne, n'en ont point pour se faire dispenser de faire pénitence: ils n'oseraient demander cette dispense, personne n'a le pouvoir de la leur donner. Etant légitimement dispensés de jeûner, ils sont d'autant plus nécessités de faire l'aumône, puisque l'obligation de faire pénitence est indispensable. C'est ce me semble le sens de ces paroles de saint Césaire, Archevêque d'Arles, qui sont trop belles pour n'être pas encore une fois répétées. « Pro eo quod non potest quis jejunare, ampliùs debet » erogare pauperibus, ut peccata, quæ non potest jejunando curare, possit » elemosynas dando redimere. (*Homil.* 2.) L'aumône suffit pour le salut, quand on ne peut jeûner, mais le jeûne sans l'aumône ne suffit point. « Si possibilitas non fuerit jejunandi, elemosyna sufficit sine jejuniis: » jejunium sine elemosyna omninò non sufficit » Ce discours de saint Césaire est inseré mot-à-mot dans les Ordonnances synodales d'Etienne Poncher, Evêque de Paris. (*Synod. Paris. pag.* 244.)

N. 6. Mais afin que l'aumône suffise sans le jeûne, il faut qu'on ne se flatte point, il faut qu'on soit dans une entière impossibilité de jeûner. *Si possibilitas non fuerit jejunandi, etc.*

Hanc doctrinam hauserat THOMASS. noster *ex* S. LEON MAGN. *Serm.* 85. *cap.* 3. In hac sanè observantia, Dilectissimi, quamvis omnes nos unanimiter oporteat esse devotos, si qui tamen sunt quorum voluntati aliqua obsistat infirmitas, laborem qui supra vires est corporum, redimant impendiis facultatum. Multa enim sunt opera pietatis, quæ ipsam edendi necessitatem, merito ampliore commendent (*fortè* compensent,) si jejunantium purificationem studio benignitatis acquirunt. Nam cùm ii, qui nihil omittunt de humiliatione jejunii, sub sterili fatigatione desudent, nisi se elecmosynarum, qua possunt erogatione sanctificent; dignum est, ut in alimoniam pauperum abundantior sit eorum largitio, quorum ad abstinendum minor est fortitudo. Quod ergo in sua sibi infirmitate non denegat, alienæ inopiæ libenter impendat: et propriam necessitatem faciat sibi cum indigente communem. Non culpatur infirmus jejunium solvens, à quo cibum accipit pauper esuriens: nec escam sumendo polluitur, qui elecmosynam impertiendo mundatur, dicente Domino: *Date elecmosynam, et ecce omnia munda sunt vobis.* (*Luc.* XI. 41.)

I. Quinam peccant contra jejunii legem ?

R. 1. Qui his diebus prohibitos cibos comedunt. (Y)

2. Qui extra refectionis tempus comedunt, imò et qui bibunt liquores in quibus est aliquid alimenti. (Z)

3. Sunt Theologi qui contendant ipso aquæ potu, si sine necessitate extra tempus refectionis sumatur, frangi jejunium. (AA)

4. Qui in ipsa refectione legitima vel nimis vel lautiùs comedunt. (BB)

(Y) *Vide auctoritates* SS. PATRUM *infrà hocce §. litt.* (BB) *quibus patet curam maximam adhibuisse fideles ne carnibus jejuniorum tempore vescerentur : ex quo liquet esum carnium semper æstimatum fuisse piaculum maximum.*

(Z) *Id patet ex* S. THOM. 2. 2. *Quæst.* 147. *art.* 6. *cujus verba laudavimus suprà hocce §. litt.* (M) *et* (N)*; etenim S. Doctor* eos tantùm liquores permittit, qui ad nutritionem minùs conferunt, et electuaria quæ non alimenti instar sed medicinæ tantùm sumuntur.

(AA) *Id probavimus ex* R. P. THOMASS. *Imò ex SS. PP. placitis ab eo in medium allatis suprà hocce §. litt.* (N)

(BB) S. HIERON. *Epist. ad Nepot.* Audio quosdam contra rerum hominumque naturam, aquam non bibere, nec vesci pane : sed sorbitiunculas delicatas, et contrita olera, betarumque succum, non calice sorbere, sed concha. Proh dolor ! Non erubescimus istiusmodi ineptiis, nec tædet superstitionis ! Insuper etiam famam abstinentiæ in deliciis quærimus.

Epist. ad Furiam de viduitate servandâ. Inde est quod nonnulli vitam pudicam appetentium in medio itinere corruunt ; dum solam abstinentiam carnium putant, et leguminibus onerant stomachum, quæ moderatè parcèque sumpta innoxia sunt.

JULIAN. POMER. *de vita contemplat. lib.* 2. *cap.* 23. Illi autem qui... gloriam sibi velut de abstinentia districtiore conquirunt, sic ab omnibus animalibus judicant temperandum, ut peregrinis pomis, cæterisque sorbitiunculis delicatis immanem sui corporis impleant appetitum... Illi quoque qui negatâ sibi vini perceptione, diversorum poculorum potionibus inundantur, nequaquam mihi abstinentiam videntur implere.... In vini enim usu, non à vino tantùm sed ab omnibus quæ accipientes inebriant ; vel ab aliis quæ etsi non ebrietatem, suavitatem certè percepta conciliant, abstinebit : ut sit veritate abstinentiæ perfectè consummatus, non ejus imagine foris splendidus, intùs canus.

S. ISIDOR. HISPAL. *Sentent. lib.* 2. *cap.* 44. Spernitur jejunium, quod in vesperum repletione ciborum reficitur. Neque enim reputanda est abstinentia, ubi fuerit saturitas ventris subsecuta. Spernitur jejunium, quod in vesperum deliciis compensatur : dicente Isaïa propheta, Ecce in die jejunii vestri invenitur voluptas vestra. (*Isaï.* LVIII. 3.) Voluptas enim deliciæ intelliguntur. Sicut enim repetitio debiti, et lites, et contentio, et percutio, ita et deliciæ improbantur à Propheta in jejunio.

S. AUG. *Serm.* 205. *aliàs de divers.* 68. *in Quadrag.* 1. *n.* 2. Nemo sub abstinentiæ specie, mutare affectet potiùs, quam resecare delicias, ut pretiosos cibos quærat, quia carne non vescitur, et inusitatos liquores, quia vinum non bibit : ne per occasionem quasi domandæ carnis, magis agat negotium voluptatis.

Serm. 207. *aliàs de diversis* 71. *in Quadrag.* 3. *n.* 2. Sanè cavendum est ne mutes, non minuas voluptates. Videas enim quosdam pro usitato vino, inusitatos liquores exquirere, et aliorum expressione pomorum, quod ex uva sibi denegant, multò suaviùs compensare ; cibos extra carnes multiplici varietate ac jucunditate conquirere ; et suavitates quas alio tempore consectari pudet, huic tempori quasi opportunè colligere : ut videlicet observatio Quadragesimæ non sit veterum concupiscentiarum repressio, sed novarum deliciarum occasio. Hæc, fratres, ne vobis persuasa subrepant, quantâ potestis vigilantiâ providete. Parcimonia jejuniis conjungatur. Sicut ventris castiganda saturitas, ita gulæ irritamenta

5. Quì plus æquo comedunt in cœnula, quæ quidem, ut diximus, non censetur esse refectio. Nam jejunare idem est quàm semel in die refici, nec ante meridiem. (CC)

6. Contra jejunii legem peccant et domini sive heri, qui diebus jejunii famulos suos sine necessitate adigunt ad opera cum quibus stare jejunium nequit. (DD)

cavenda sunt. Non humanorum alimentorum genera detestanda, sed carnalis est delectatio refrenanda. Esaü non pingui vitulo vel volatilibus saginatis, sed immoderatè concupitâ lenticulâ reprobatus est. Sanctum David aquam plus justo desiderasse pœnituit. Non operiosis ergo neque pretiosis, sed in promptu positis et quibusque vilioribus alimentis est corpus à jejunio reficiendum, vel potiùs fulciendum.

Serm. 208. *aliàs de diversis* 72. *in Quadrages.* 4. *n.* 1. Fidelium corpora cùm servituti subjiciuntur, proficit spiritali saluti, quidquid corporali minuitur voluptati. Ideoque cavendum est, ne pretiosas escas, vel pro aliis alias, vel etiam pretiosiores sine carnibus animalium requiratis. Cùm enim corpus castigatur, et servituti subjicitur, restrigendæ sunt deliciæ, non mutandæ. Quid enim interest in quali cibo concupiscentia immoderata culpetur? Non utique de solis carnibus, sed etiam de quibusdam pomis et agriculturæ alimentis Israëlitarum concupiscentia divinâ voce damnata est. Et Esaü non propter oïam suillam, sed propter lenticulam defricatam, sua primogenita perdidit.

Serm. 209. *alias de diversis* 73. *in Quadrages.* 5. *n.* 3. Quì sic se à carnibus temperant, ut alias escas et difficilioris præparationis et pretii majoris inquirant, multùm errant. Non enim est hoc suscipere abstinentiam, sed mutare luxuriam.

Serm. 210. *aliàs de divers.* 74. *in Quadrag.* 6. *cap.* 8. *n.* 10. Sunt quidam observatores Quadragesimæ deliciosi potius quàm religiosi, exquirentes novas suavitates magis quàm veteres concupiscentias castigantes; qui copiosis pretiosisque apparatibus fructuum diversorum, quorumlibet obsoniorum varietates et sapores superare contendunt: vasa in quibus coctæ sunt carnes tanquam immunda formidant, et in sua carne ventris et gutturis luxuriam non formidant; jejunant, non ut solitam temperando minuant edacitatem; sed ut immoderatam differendo augeant aviditatem. Nam ubi tempus reficiendi advenerit, opimis mensis tanquam pecora præsepibus irruunt; numerosioribus ferculis corda obruunt ventresque distendunt; artificiosis et peregrinis condimentorum diversitatibus gulam, ne vel copiâ compescatur, irritant. Denique tantum capiunt manducando, quantum digerere non sufficiant jejunando.

Cap. 9. *n.* 11. Sunt etiam qui vinum ita non bibunt, ut aliorum expressione pomorum alios sibi liquores, non salutis causâ, sed jucunditatis, exquirant: tanquam non sit Quadragesima piæ humilitatis observatio, sed novæ voluptatis occasio. Quantò enim honestius, si stomachi infirmitas aquam potare non tolerat, vino usitato et modico sustententur, quàm quærantur vina quæ vindemiam nesciunt, quæ torcularia non noverunt; non ut potus mundior eligatur, sed ut frugalior improbetur? Quid autem absurdius, quàm tempore quo caro arctiùs castiganda est, tantas carni suavitates procurare, ut ipsa faucium concupiscentia nolit Quadragesimam prælerire? Quid inconvenientius, quàm in diebus humilitatis, quando pauperum victus omnibus imitandus est, ita vivere, ut si toto tempore sic vivatur, vix possint divitum patrimonia sustinere? Cavete ista, Dilectissimi: cogitate quod scriptum est, *Post concupiscentias tuas non eas.* Quod saluberrimum præceptum si omni tempore observandum est, quantò ampliùs his diebus, quando ita turpe est si cupiditas nostra ad inusitatas laxetur illecebras, ut meritò culpetur qui non restrinxérit usitatas.

(CC) *Vide suprà litt.* (N) *hocce* §.

(DD) S. BASIL. *Homil. de jejun.* Sit jejunium famulis requies à perpetuis laboribus, qui tibi per totum annum inserviunt.

Homil. 2. Excipite (*jejunium*) servi, ut respirationem à perpetuis servilii laboribus.

§. 2. De Quadragesimali Jejunio.

I. Quis Quadragesimale jejunium instituit ?

R. Jejunium hoc ab Apostolicâ traditione manavit, et ab Apostolis ad nostra usque tempora per omnes Ecclesias continuâ serie observatum est. (A)

CONCIL. AURELIAN. I. *ann.* 511. *can.* 27. Rogationes, id est, Litanias ante Ascensionem Domini, ab omnibus Ecclesiis placuit celebrari : ita ut præmissum triduanum jejunium in Dominicæ Ascensionis festivitate solvatur : per quod triduum servi et ancillæ ab omni opere relaxentur, quò magis plebs universa conveniat. Quo triduo omnes abstineant, et quadragesimalibus cibis utantur.

(A) S. AUG. *Epist.* 36. *alias* 86. *ad Casulan. cap.* 11. *n.* 25. In Evangelicis et Apostolicis litteris, totoque instrumento quod appellatur Testamentum novum,... video præceptum esse jejunium. Quibus autem diebus non oporteat jejunare, et quibus oporteat, præcepto Domini vel Apostolorum non invenio definitum.

Vide infrà hacce litt. CASSIAN. *collat.* 21. *cap.* 30.

R. P. THOMASS. Congreg. orat. D. J. Sacerdos *Tract. de jejuniis*, *part.* I. *cap.* 4. n. 1. On peut dire avec vérité, que le jeûne du Carême est aussi ancien que l'Evangile, puisque le Fils de Dieu ne commença à prêcher son Evangile, qu'après avoir jeûné quarante jours et quarante nuits, au rapport de S. Matthieu. Mais quoique l'on puisse dire que ce fût là la première institution du Carême ; puisque S. Jérôme dit que Jésus-Christ sanctifia alors le jeûne des Chrétiens, *Iste est Dominus, qui quadraginta diebus jejunium Christianorum sanctificavit :* (*Lib.* 2. *contra Jovin.*) on ne peut pas dire néanmoins que l'exemple de Jésus-Christ ait été dès lors une loi inviolable, à laquelle tous ses disciples aient été dès lors assujettis. Moïse avait aussi jeûné quarante jours, avant que de publier la loi ancienne, sans que les Israelites aient jamais été obligés à un jeûne semblable. Le Fils de Dieu même ne réitera pas le même jeûne les années suivantes, qu'il employa à publier sa nouvelle loi. Il n'en fit jamais de commandement exprès ; il est même certain que les Apôtres ne jeûnèrent point pendant qu'ils eurent le bonheur de converser avec ce divin époux. Les Pharisiens leur en firent un crime, et leur proposèrent non-seulement leur exemple, mais aussi celui des disciples de saint Jean-Baptiste, qui suivaient de près l'exemple de leur maître. Jésus-Christ prit la défense de ses Apôtres ; mais l'Apologie qu'il fit de leur conduite et de sa doctrine, fut un aveu sincère, que ses disciples ne jeûnaient point encore, et une preuve convaincante qu'il n'avait pas encore dû les y obliger, pour ne pas les décourager dans les premiers commencemens de leur conversion.

N. 2. Mais puisque Jésus-Christ promit que ses disciples jeûneraient après son retour au Ciel, *Nunquid possunt filii sponsi lugere, quandiu cum illis est sponsus ? Venient autem dies, cùm auferetur ab eis sponsus, et tunc jejunabunt* (*Matth.* IX. 15.) : on ne peut douter que les jeûnes n'aient été très-fréquens dans les premières ferveurs de l'Eglise naissante, et que les Apôtres n'aient tâché d'imiter et de faire imiter à tous les fidèles les jeûnes du Fils de Dieu. Le même saint Luc qui rapporte dans son Evangile les assurances que Jésus-Christ avait données des jeûnes de ses disciples après son enlèvement au Ciel (*Luc.* V. 35.) raconte aussi dans les Actes des Apôtres (*Act.* XIII. 2. 3.), les jeûnes qui se pratiquaient dans l'Eglise, comme pour dégager, ou plutôt pour accomplir la parole que la vérité éternelle en avait donnée. On jeûnait quand le S. Esprit fit connaître sa volonté sur la mission de Saul et de Barnabé, pour prêcher aux Gentils : *Ministrantibus illis Domino et jejunantibus, dixit Spiritus sanctus, etc.* (*Ibid.* 2.) On redoubla les jeûnes et les prières, avant que d'imposer les mains à ces deux divins Missionnaires : *Tunc jejunantes et orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos.* (*Ibid.* 3.) Paul et Barnabé jeûnèrent aussi, et firent jeûner les fidèles dans les Eglises de leur fondation : *Cùm constituissent illis per singulas civitates Presbyteros, et orassent cum jejunationibus.* (*Act.* XIV. 22.) Saint Paul n'a pas été moins soigneux de nous apprendre ses jeûnes, *in jejuniis multis*, (2. *Cor* XI. 27.) et ceux de l'Eglise, *ut vacetis jejunio et orationi.* (1. *Cor.* VII. 5.)

N. 3. Il faut néanmoins avouer qu'il ne nous paraît point encore que ces jeûnes de l'Eglise fussent les jeûnes du Carême. Le même saint Luc faisant l'histoire du naufrage de saint Paul, quand il passa en Italie, dit que la navigation était alors fort dangereuse, parce que le temps du jeûne était passé. *Cùm jam non esset tuta navigatio, eò quòd et jejunium jam præteriisset.* (*Act.* XXVII. 9.) On pourrait penser que ce jeûne était celui du Carême, qui était le plus long et le plus solennel, et qui par conséquent pouvait être appelé le jeûne par excellence: outre que le jeûne que le Fils de Dieu avait marqué, était celui qui est consacré à la mémoire de sa mort. *Nunquid possunt filii sponsi lugere, quandiu cum illis est sponsus? Venient autem dies, cùm auferetur ab eis sponsus, et tunc jejunabunt.* (*Matth.* IX. 15.) Enfin on ne peut douter que les Apôtres n'aient fait tous leurs efforts pour imiter le Fils de Dieu, afin de pouvoir dire aux fidèles: Soyez nos imitateurs, comme nous le sommes de Jesus-Christ. *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi.* (1. *Cor.* XI. 1.)

N. 4. Quelque apparence qu'aient ces preuves, elles ne sont nullement convaincantes par elles mêmes. Il faut donc recourir à la Tradition des Pères de l'Eglise, afin qu'ils nous apprennent que l'observance du jeûne du Carême est de tradition apostolique; et que si elle n'est d'institution divine, ni de droit divin, elle est dans le dégré d'autorité qui en approche le plus.

TERTULL. *Lib. De jejuniis, paulò post initium.* Certè (Psychici, id est, Catholici) in Evangelio dies illos jejuniis determinatos putant, in quibus ablatus est sponsus, et hos esse jam solos legitimos jejuniorum Christianorum, abolitis legalibus, et Prophetiis vetustatibus... Itaque de cætero indifferenter jejunandum ex arbitrio, non ex imperio novæ disciplinæ, pro temporibus et causis uniuscujusque: sic et Apostolos observasse, nullum aliud imponentes jugum certorum et in commune omnibus obeundorum jejuniorum.

S. HIERON. *Epist.* 54. *ad Marcellin.* Nos unam Quadragesimam secundùm traditionem Apostolorum toto anno tempore nobis congruo jejunamus.

Epist. 18. *aliàs* 22. *ad Eustochium*, *pag.* 46. *edit. PP. BB.* Jejunium totius anni æquale est, exceptâ Quadragesimâ, in qua sola conceditur districtiùs vivere.

Epist. 57. *aliàs* 7. *ad Lætam de instit. filiæ.* In Quadragesima continentiæ vela pandenda sunt.

S. ATHANAS. *in Encycl. ad Episc. Epist. n.* 4. Hæc autem in ipsa sancta Quadragesima circa festum Paschæ gesta sunt, quo tempore fratres quidem jejunabant: præclarus autem ille Gregorius Caïphæ mores imitatus, cum Pilato duce adversùs pios Christi cultores debacchabatur.

CONCIL. LAODICENUM *can.* 50. Quod non oportet in Quadragesimæ postrema septimana jejunium solvere feriæ quintæ, sed oportet totam Quadragesimam jejunare aridis vescentes.

S. GREG. NYSS. *Serm. in princip. Jejunii, tom.* 2. *pag.* 253. Habeat igitur corpus decem menses, et paulò plus. Concedat mihi Quadragesimam, et quidem solidam, ut paulisper ex cœno liberer.

S. LEO MAG. *Serm.* 38. *de Quadrag.* 1. *cap.* 4. Nos itaque, divinis institutionibus eruditi, ad agonem præsentis certaminis scienter accedimus.

Serm. 43. *de Quadrag.* 6. *cap.* 2. Apostolica institutio Quadraginta dierum jejuniis impleatur, non ciborum tantummodò parcitate, sed privatione maximè vitiorum.

Serm. 46. *de Quadrag.* 9. *cap.* 1. Devotionem nostram præsentes vel maximè dies exigunt, quos illi sublimissimo divinæ misericordiæ sacramento scimus esse contiguos. In quibus meritò à sanctis Apostolis per doctrinam Spiritûs sancti majora sunt ordinata jejunia: ut per commune consortium Crucis Christi etiam nos aliquid in eo quod propter nos gessit, ageremus.

S. JOAN. CHRYSOST. *Homil.* 22. *in Genes.* Ob hoc jejunium et Quadragesima, et tot dierum synaxes, auditiones, preces, et doctrinæ susceptæ sunt, ut abstersis sceleribus per istius modi studium, quæ nobis hoc anno quocunque modo illita inhæserunt, cum spirituali securitate, illius incruenti sacrificii participes efficeremur.

Hom. 11. Ita et nunc qui in hac quadragesima jejunii cursum susceperе, quasi stationes et diverticula et littora et portus, per duos hebdomadæ dies Dominus quietem largitus est : ut et corpori aliquantulùm jejunii labores remittantur, et animam refocillent jejunantes, et exactis illis duobus diebus in pulchrè cœpto itinere alacriter pergant.

S. AMBROS. *Lib.* 3. *de virginitate.* Debet esse aliquid, quod Quadragesimæ diebus addatur, sed ita ut nihil ostentationis causâ fiat, sed religionis.

Lib. de Elia et jejun. cap. 10. Quadragesima totis præter sabbatum et Dominicam jejunatur diebus.

S. AUG. *Lib.* 2. *ad inquisit. Januarii seu Epist.* 55. *aliàs* 119. *cap.* 14. *n.* 27. Hæc et ex auctoritate divinarum Scripturarum, et universæ Ecclesiæ, quæ toto orbe diffunditur, consensione, per anniversarium Pascha celebrantur, in magno utique sicut jam intelligis sacramento. *Quæ verba tam ad ea quæ dixerat suprà, quàm ad sequentia referri debere existimo. Si quidem moæ addit.*

Cap. 15. *n.* 28. Quadragesima sanè jejuniorum habet auctoritatem, et in veteribus libris ex jejunio Moïsi et Eliæ, et ex Evangelio, quia totidem diebus Dominus jejunavit, demonstrans Evangelium non dissentire à lege et Prophetis. In persona quippè Moïsi, lex ; in persona Eliæ, Prophetæ accipiuntur.

Serm. 125. *de verbis Evangelii Joan.* 5. *aliàs* 15. *ex Sirmondianis*, *n.* 9. Ante Pascha quadraginta diebus jejunamus. Signum enim est ante Pascha vitæ hujus nostræ laboriosæ, ubi in laboribus et ærumnis et continentia implemus legem.

Serm. 209. *aliàs de diversis* 73. *in Quadrages.* 5. *n.* 1. Hi sunt enim quadraginta dies sacratissimi toto orbe terrarum, quos propinquante Paschâ universus mundus, quem Deus in Christo reconciliat sibi, prædicandâ devotione concelebrat.

Serm. 210. *aliàs de diversis* 74. *in Quadrages.* 6. *cap.* 6. *n.* 8. Hoc totum corpus Christi per totum orbem diffusum, id est, tota hoc agit Ecclesia, et illa unitas quæ dicit in Psalmo, *à finibus terræ ad te clamavi, dum angeretur cor meum.* (*Psal.* LX. 3.) Undè jam nobis elucet cur Quadragesima instituta sit hujus humiliationis solemnitas. Quæ enim à finibus terræ, clamat, quas frequenter etiam Scriptura commemorat Oriente et Occidente, Aquilone et Meridie. Per hoc totum ille Decalogus legis, jam non per litteram tantummodò metuendus, sed per gratiam charitatis implendus, indictus est.

AUCTOR *Serm.* 23. S. AMBROS. *adscrip.* Si quisquam unam diem abstinendo prætermiserit, totam Quadragesimam violaverit.

Serm. 25. Non enim, Fratres, leve peccatum est fidelibus indictam Quadragesimam à Domino jejunare, et jejunia consecrata ventris vcracitate dissolvere..... Christo pro te esuriente tu prandes ? Salvatore jejunante tu reficeris ? Non igitur, ut dixi, leve peccatum est indictum violare jejunium.

Serm. 34... Sicut reliquo anno jejunare præmium est, ita in Quadragesima non jejunare peccatum est. Illa enim voluntaria sunt jejunia, ista necessaria ; illa de arbitrio veniunt, ista de lege ; ad illa invitamur, ad ista compellimur.

Serm. 36... Qui constitutum numerum una die manducando prælerit, non ut unius dici violator accusatur, sed ut totius Quadragesimæ transgressor... Hæc non tam Sacerdotum præcepta quàm Dei sunt.

S. CÆSARIUS Archiepiscopus Arelat. *Serm.* 2. *aliàs* 62. *de tempore apud* S. AUG. Aliis diebus jejunare, aut remedium, aut præmium est : Quadragesima non jejunare peccatum est ; alio tempore qui jejunat accipiet indulgentiam ; in his diebus qui potest et non jejunat sentiet pœnam.

Fatendum est tamen variis veterum testimoniis adductos fuisse quosdam ut crederent prioris Ecclesiæ temporibus, jejunium ante Pascha variè celebratum fuisse, ac 1. EUSEBIUS *Hist. Eccles. lib.* 5. *cap.* 24. *ex* S. IREN. *ad Victor. Epist.* Quidam existimant, unico die sibi esse jejunandum, alii duobus, alii pluribus, nonnulli etiam quadraginta horis, diurnis ac nocturnis computatis diem suum metiuntur. Atque hæc in observando jejunio varietas non nostrâ primùm ætate nata est, sed longè antè apud majores nostros cœpit.

SOCRATES *Hist. Eccles. lib.* 5. *cap.* 22. *pag.* 286. Hoc loco de variis Ecclesiarum ritibus pauca subjicere, nequaquam erit intempestivum. Primùm igitur jejunia illa quæ ante Pascha fiunt, aliter apud alios observari reperias. Nam qui Romæ sunt tres continuas hebdomadas ante Pascha exceptis sabbato et Dominico die jejunant. Qui verò in Illyrico et per universam Achaïam, et qui Alexandriæ degunt, sex ante Pascha septimanas jejunant; idque jejunium Quadragesimam vocant. Alii rursùs diversum ab aliis morem secuti, septimâ hebdomade ante Pascha jejunium ordiuntur; ac tres duntaxat septimanas, quinque dierum singulas per intervalla jejunantes, nihilominùs hoc tempus ipsi quoque Quadragesimam appellant. Ac mihi quidem mirari subit, quâ ratione isti licèt de numero dierum inter se dissentiant, eodem tamen nomine Quadragesimam vocent. Hujus autem appellationis pro suo quisque ingenio alius aliam rationem affert.

S. CHRYSOST. *Homil.* 16. *ad pop. Antioch.* Consuetudinem omnes habent per Quadragesimam interrogare, quot quisque septimanas Quadragesimæ jejunavit; et dicentes audire licet, hos quidem quòd duas, hos verò quòd tres, illos verò quod omnes jejunaverunt septimanas. Si alius dicat, totam jejunavi Quadragesimam; dic tu, Inimicum habebam et conciliatus sum.... Si ciborum jejunium jejunamus, præteritis quadraginta diebus præterit et jejunium; si verò peccatis abstinemus, jejunium continuum erit.

At R. P. THOMASS. *Tract. de jejun. part.* 1. *cap.* 8. *n*, 2. *suprà laudata S. Irenæi verba explicat.* Saint Irenée n'a voulu dire autre chose dans l'endroit qu'Eusèbe rapporte de lui, *Neque enim de die solùm controversia est, sed etiam de forma ipsa jejunii.* C'est-à-dire, que la différence de police entre les Eglises, n'était pas seulement sur le jour de Pâques, mais aussi sur le jeûne de Pâques, et sur la forme de ce jeûne. *Quidam enim existimant unico die sibi esse jejunandum.* C'est-à-dire, qu'il y en avait qui jeûnaient la semaine sainte, qui est le jeûne de Pâques, en prenant leur refection une fois tous les jours au soir; ainsi chaque jeûne n'était que d'un jour. *Alii duobus, alii pluribus*; d'autres ne mangeaient qu'une fois en deux jours; d'autres se passaient plus de deux jours de toute nourriture. *Nonnulli etiam quadraginta horis diurnis ac nocturnis computatis diem suum metiuntur.* D'autres affectaient ce raffinement de piété, de ne manger qu'une fois apres quarante heures de jeûne; afin de signaler leur abstinence, non-seulement par les quarante jours de Carême, mais aussi par les quarante heures, dont chaque jeûne de la semaine de Pâques était composé. Il est ce me semble fort évident, que saint Epiphane n'a fait qu'éclaircir les paroles de saint Irenée.

Sententiam sancti Irenæi assecutum esse auctorem doctum, et falli Socratem abundè probant Sozomenus et S. Epiphanius quorum hæc sunt verba.

SOZOMENUS *lib.* 7. *c.* 19. Quadragesimam in qua populus jejunare solet, alii quidem sex dierum septimanis computant, ut Illyrii, et Occidentales, totaque Africa et Ægyptus et Palæstina. Alii verò septem hebdomadas computant, ut Constantinopoli et per cunctas in circuitu provincias, usque ad Phœnicem... Nonnulli è sex aut septem illis hebdomadis, tres per intervalla jejunant: alii tres simul hebdomadas Paschale festum proximè antecedentes continuant: quidam duas tantùm ut Montanistæ.

S. EPIPHAN. *in Exposit. fidei*, *n.* 22. Cæterùm ante septem Paschatis dies Quadragesimam observare, atque in jejuniis perseverare eadem consuevit Ecclesia: Dominicis verò nullis omninò, adeoque nec ipsius quidem Quadragesimæ jejunare solet, prætercea sex illos Paschatis dies Xerophagiis, hoc est, arido victu, transire populus omnis assuevit: hoc est, panem duntaxat cum aqua sub vesperam adhibere. Imò verò nonnulli ad biduum, vel triduum, vel quatriduum usque jejunia prorogant. Alii totam hebdomadem adusque sequentis Dominicæ gallicinium sine cibo transmittunt. Pervigilia verò sex obeunt, ac totidem synaxes; quæ totâ Quadragesimâ post horam nonam ad vesperam usque celebrantur.

Porrò sacram Quadr. velut totius anni decimas jejunio consecr. fuisse docet CASSIAN. *Collat.* 21. *cap.* 24. *Germ. interroganti*: Quid causæ est ut sex hebdomadibus Quadragesima celebretur, licèt in quibusdam Provinciis religionis forsitan propensior cura, adjecisse hebdomadam etiam

septimam videatur, cùm neuter numerus die Dominico sabbatoque subtracto, quadraginta dierum impleat summam ? Sex enim et triginta dies in ipsis hebdomadibus tantummodò concluduntur.

Cap. 25. *Respondet Theonas :* Evidentissimam hujus etiam rei percipite rationem, ut manifestiùs approbetis nihil irrationabile nostros tradidisse majores. Lege Mosaïcà universo populo generalis est promulgata præceptio : *Decimas tuas et primitias offerres Domino Deo tuo.* Itaque qui substantiarum nostrarum, omniumque fructuum decimas offerre præcipimur, multò magis necesse est, ut ipsius quoque conversationis nostræ, et humani usûs operumque nostrorum decimas offeramus, quæ profectò in supputatione Quadragesimæ evidenter implentur. Omnis enim dierum numerus, quibus revolutus in orbem annus includitur, triginta sex senis dierum numero decimatur : in septem verò hebdomadibus, si dies Dominici, et sabbata subtrahantur, quinque et triginta supersunt dies jejuniis deputati : sed adjectâ illâ vigiliarum die, quâ usque in gallorum cantum illucescente Dominicâ jejunium sabbati protelatur, non solùm sex et triginta dierum numerus adimpletur, verùm etiam pro decimis quinque dierum, qui residui videbantur, si illud quod superest adjectum noctis spatium computetur, plenitudini totius summæ omninò nihil deerit.

Cap. 20. *Int.* Hac igitur Quadragesimæ lege qui justus atque perfectus est non tenetur : nec exigui hujus canonis subjectione contentus est, quem profectò illis qui per totum anni spatium deliciis, vel negotiis secularibus implicantur Ecclesiarum principes statuerunt : ut vel hac legali quodammodo necessitate constricti, his saltem diebus vacare Domino cogerentur, ac dierum vitæ suæ, quos totos quasi fructus quosdam fuerant voraturi, vel decimas Domino dedicarent.

Cap. 30. *Resp.* Sciendum sanè hanc Quadragesimæ observantiam, quandiù Ecclesiæ illius primitivæ perfectio inviolata permansit, penitùs non fuisse. Non enim præcepti hujus necessitate, nec quasi legali sanctione constricti arctissimis jejuniorum terminis claudebantur, qui totum anni spatium æquali jejunio concludebant. Verùm cùm ab illa Apostolica devotione descendens quotidie credentium multitudo suis opibus incubaret.... Id tunc universis Sacerdotibus placuit, ut homines curis secularibus illigatos.... ad opus sanctum canonicâ jejuniorum indictione revocarent, et velut legalium decimarum necessitate compellerent.

S. Greg. *Homil.* 16. *in Evang....* Quasi anni nostri decimas Deo damus.

S. Chrysologus *Serm.* 166. Si ergo quadraginta dierum simplex, purum, æquale, tantis testimoniis, sui tanti numero sacramenti traditum nobis à Domino jejunium perdocetur, undè ista varietas, unde novitas ista, undè hebdomadæ nunc resolutæ, nunc rigidæ, nunc indulgentes nimiùm, nunc severæ ?.... Certè qui jejunare non potest, non præsumat inducere novitatem, sed fateatur esse fragilitatis propriæ, quod relaxat ; et redimat eleemosynis, quod non potest supplere jejuniis.

Capitular. Caroli Magni, *tom.* 1. *pag.* 251. Si quis sanctum Quadragesimale jejunium pro despectu Christianitatis contempserit, et carnem comederit, morte moriatur. Sed tamen consideretur à Sacerdote, ne causâ necessitatis, hoc cuilibet proveniat, ut carnem comedat.

Ditmar. *lib.* 8. Quicunque post septuagesimam carnem manducasse invenitur abcissis dentibus graviter punitur. Lex namque divina in his regionibus noviter exorta, potestate tali meliùs, quàm jejunio ab Episcopis instituto corroboratur.

Theodulphus Episcopus Aurel. *cap.* 37. Ipsa autem Quadragesima cum summa observatione custodiri debet, ut jejunium in ea præter dies Dominicos, qui abstinentiæ subtracti sunt, nullatenùs resolvatur ; quia ipsi dies decimæ sunt anni nostri, quos cum omni religione et sanctitate transigere debemus. Nulla in his occasio sit resolvendi jejunii ; quia alio tempore solet jejunium charitatis causâ dissolvi, isto verò nullatenùs debet. Quia in alio jejunare in voluntate et arbitrio cujuslibet positum est, in hoc verò non jejunare præceptum Dei transcendere est : et in alio tempore jejunare præmium abstinenti acquirere est, in hoc verò præter infirmos et parvulos, quisquis non jejunaverit, pœnam sibi acquiret : quia eosdem dies Dominus et per Moysen et per Eliam et per semetipsum sacro jejunio consecravit.

I. Cur institutum est hoc jejunium ?

R. 1. Ad imitationem jejunii quod Christus in deserto post Baptismum per dies Quadraginta servavit.

2. Ut Quadraginta dierum pœnitentiâ et jejunio disponamur ad Paschalem solemnitatem. (B)

(B) S. GREGOR. NYSS. *orat. in princip. in append. ejus oper. pag.* 257. Ego quidem Christianus et crucifixi servus graviter in jejuniis me exerceo, sive ut ad spem resurrectionis me ipsum expurgem, sive ut Domini amans servus cruciatibus Domini mei compatiar.

S. AUG. *Serm.* 205. *aliàs de diversis* 68. *in Quadr.* 1. *n.* 1. Congruit enim nostræ devotioni, ut qui Domini crucifixi passionem jam propinquantem celebraturi sumus, reprimendarum carnalium voluptatum crucem nobis ipsi etiam faciamus, sicut dicit Apostolus, * (*Qui autem Jesu-Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum passionibus et concupiscentiis* (*Galat.* v. 24.) : In hac quidem cruce, per totam istam vitam quæ in mediis tentationibus ducitur, perpetuò debet pendere Christianus.... Undè et Moïses et Elias et ipse Dominus quadraginta diebus jejunaverunt : ut insinuaretur nobis et in Moïse et in Elia et in ipso Christo, hoc est, in lege et Prophetis et in ipso Evangelio, id nobiscum agi, ne conformemur et hæreamus huic sæculo, sed crucifigamus hominem veterem, * *non in commessationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitiis, non in contentione et æmulatione* agentes ; *sed induamur Dominum Jesum : et carnis curam ne fecerimus in concupiscentiis.* (*Rom.* XIII. 13. *et* 14.) Sic semper hîc vive, Christiane ; si terreno limo gressus non vis immergere, noli de ista cruce descendere. Si autem hoc faciendum est per hanc totam vitam, quantò magis per istos Quadragesimæ dies, quibus non solùm agitur, verùm etiam significatur hæc vita ?

N. 2. Per alios ergo dies *non græventur corda vestra in crapula et ebrietate* (*Luc.* XXI. 34.), per hos autem etiam jejunate.

Serm. 206. *aliàs de diversis* 70. *in Quadrag.* 2. *n.* 2. Orationibus, jejuniis, eleemosynis et aliis quidem tempora debent Christiano fervere : verumtamen et illos qui diebus aliis in his pigri sunt, debet ista solemnitas excitare ; et ii qui per alios dies ad ista sunt alacres, nunc ea debent ferventiùs exercere. Tempus quippe humilitatis nostræ vita in hoc sæculo est, quam dies significant isti, Domino pro nobis Christo, qui semel moriendo passus est, velut annis omnibus revolutâ solemnitate passuro. Quod enim semel in toto tempore factum est, ut vita nostra novaretur, celebratur annis omnibus, ut in memoriam revocetur. Si ergo veracissimæ pietatis affectu, toto peregrinationis hujus tempore, quo in mediis tentationibus vivimus, humiles corde esse debemus : quantò magis his diebus, quibus ipsum tempus humilitatis nostræ non solùm vivendo agimus, sed etiam celebrando significamus.

Serm. 207. *aliàs de diversis* 71. *in Quadrag.* 3. *n.* 1. In adjutorio misericordiæ Domini Dei nostri, tentationes sæculi, insidiæ diaboli, mundi labor, carnis illecebra, turbulentorum temporum fluctus, et corporalis omnis atque spiritalis adversitas, eleemosynis, et jejuniis, atque orationibus superandæ sunt. Hæc cùm per totam vitam fervere debeant Christiano : tum maximè propinquante solemnitate Paschali, quæ suo reditu anniversario nostras excitat mentes, innovans in eis memoriâ salutari, quòd Dominus noster unicus Dei Filius misericordiam præstitit nobis, jejunavit oravitque pro nobis.... Exerceamus itaque eleemosynas nostras tantoque frequentiùs, quantò propinquior fit dies quâ nobis prærogata eleemosyna celebratur. Quia jejunium sine misericordia ei nihil est qui jejunat.

N. 2. Jejunemus etiam humiliantes animas nostras, appropinquante die quo magister humilitatis humiliavit semetipsum, * *factus subditus usque ad mortem crucis.* (*Philipp.* II. 8.) Imitemur ejus crucem, abstinentiæ clavis edomitas concupiscentias configentes.

Serm. 210. *aliàs de diversis* 74. *in Quadrag.* 6. *cap.* 4. *n.* 5. In tam periculosa et tentationibus plena hujus sæculi nocte, quis non timeat, quis non medullis omnibus contremiscat, ne dignus judicetur qui devoran-

dus dimittatur in fauces tam crudelis inimici? Undè jejunandum et orandum est.

Cap. 7. *n.* 6. Et quando potiùs, quandò instantiùs, quàm propinquante ipsâ Dominicæ passionis solemnitate, quâ celebritate anniversariâ quodammodo nobis ejusdem noctis memoria resculpitur, ne oblivione deleatur, ne nos non corpore, sed spiritu dormientes, ille rugiens devorator inveniat.

Cap. 7. *n.* 9. Quadraginta diebus jejunavit Moïses legis administrator, quadraginta Elias excellentissimus Prophetarum, quadraginta ipse Dominus testimonium habens à lege et Prophetis. Indè cum his duobus in monte se ostendit. Nos autem qui tam longum jejunium perpetuare non possumus, ut per tot dies et noctes nihil alimentorum, sicut et illi, accipiamus, saltem quantùm possumus faciamus, ut exceptis diebus per quos certis de causis mos Ecclesiæ prohibet jejunare, Domino Deo nostro vel quotidiano vel crebro jejunio placeamus.

CASSIAN. *Collat.* 21. *cap.* 28. Tempus hoc quo anniversariæ, ut dictum est, decimæ Deo triginta et sex semis jejuniis offeruntur, Quadragesimæ nomen accepit, quod fortasse vel propter hoc visum sit hoc vocabulo debere censeri, quòd Moïses, vel Helias, vel ipse Dominus noster Jesus Christus quadraginta diebus jejunasse traduntur.

S. LEO *Serm.* 40 *de Quadrag.* 3. *cap.* 1. Semper quidem nos, Dilectissimi, sapienter et justè vivere decet, et in id voluntates nostras actionesque dirigere, quod divinæ novimus placere justitiæ : sed cùm ii appropinquant dies, quos illustriores nobis salutis nostræ sacramenta fecerunt, diligentiore sollicitudine corda nostra sunt mundanda, et studiosiùs exercenda est disciplina virtutum : ut sicut ipsa mysteria quadam sui parte majora sunt, ita et nostra observantia superet in aliquo consuetudinem : et cui festivitas est celebranda sublimior, ipse quoque in ea reperiatur ornatior. Si enim rationabile et quodammodo religiosum videtur, per diem festum in vestitu nitidiore prodire, et habitu corporis hilaritatem mentis ostendere ; si ipsam quoque orationis domum propensiore tunc curâ et ampliore cultu, quantùm possumus, adornamus : nonne dignum est, ut anima Christiana, quæ verum vivumque Dei templum est, speciem suam prudenter exornet : et redemptionis suæ celebratura sacramentum, omni circumspectione præcaveat, ne ulla eam macula iniquitatis obfuscet, aut duplicis cordis ruga dedecoret? Nam quid prodest honestatis formam præferens cultus exterior, si interiora hominis aliquorum sordeant contaminatione vitiorum? Omnia igitur quæ animi puritatem et speculum mentis obnubilant, abstergenda sedulò, et quadam elimatione radenda sunt. Scrutetur quisque conscientiam suam, seque ante se statuat proprii censurâ judicii. Videat, si in secreto cordis sui illam, quàm Christus dat, invenit pacem, si desiderium spiritùs nulla concupiscentia carnis impugnat, si humilia non spernit, si alla non appetit, si iniquo non delectatur lucro, si immoderato rerum suarum non gaudet augmento, si denique alienâ felicitate non utitur, aut inimici miseriâ non lætatur. Et cùm harum perturbationum nihil in se fortè repererit, sincero disquirat, qualium cogitationum specie frequentetur, et utrum nullis vanitatum imaginibus acquiescat, vel quàm citò animum ab iis, quæ noxiè blandiuntur, abducat. Nam nullis illecebris commoveri, nullis cupiditatibus titillari, non est istius vitæ, qua tota tentatio est, et quâ nimirum vincitur, qui vinci ab eadem non veretur.

Serm. 41. *de Quadrag.* 4. *cap.* 1. * *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* (2. *Cor.* VI. 2.) Quamvis enim nulla sint tempora, quæ divinis non sint plena muneribus, et semper nobis ad misericordiam Dei per ipsius gratiam præsletur accessus ; nunc tamen omnium mentes majori studio ad spirituales profectus moveri, et ampliori fiduciâ oportet animari, quando ad universa pietatis officia, illius nos diei, in quo redempti sumus, recursus invitat : ut excellens super omnia Passionis Dominicæ sacramentum purificatis et corporibus et animis celebremus. Debebatur quidem tantis mysteriis ita incessabilis devotio et continuata reverentia, ut tales permanereemus in conspectu Dei, quales nos in ipso Paschali festo dignum est inveniri : sed quia hæc fortitudo paucorum est, et

dum carnis fragilitate austerior observantia relaxatur, dumque per varias actiones vitæ hujus sollicitudo distenditur, necesse est de mundano pulvere etiam religiosa corda sordescere: magnâ divinæ institutionis salubritate provisum est, ut ad reparandam mentium puritatem quadraginta nobis dierum exercitatio moderetur, in quibus aliorum temporum culpas, et pia opera redimerent, et jejunia casta decoquerent.

Serm. 42. *de Quadrag.* 5. *cap.* 3. Quando autem opportuniùs, Dilectissimi, ad remedia divina decurrimus, quàm cùm ipsa nobis sacramenta redemptionis nostræ temporum lege referuntur? Quæ ut digniùs celebremus, saluberrimè nos quadraginta dierum jejunio præparemus.

Cap. 4. Confugiamus igitur ad præsentem ubique misericordiam Dei, et ut sanctum Pascha Domini dignâ observantiâ celebretur, cunctorum fidelium corda sanctificentur. Mitescat sævitia, mansuescat iracundia, remittant sibi omnes culpas invicem suas, nec exactor sit vindictæ, qui petitor est veniæ.

Serm. 43. *de Quadrag.* 6. *cap.* 1. Cùm ad istos recurritur dies, quos specialiùs reparationis humanæ sacramenta signarunt, et qui vicino ordine atque contiguo festum Paschale præcedunt, diligentiùs nobis præparatio religiosæ purificationis indicitur.

Cap. 3. Celebraturi igitur Pascha Domini, dilectissimi, ita vos sanctis exercete jejuniis, ut ab omnibus perturbationibus liberi ad festa sacratissima veniatis. Superbiæ spiritus, de quo sunt omnia orta peccata, humilitatis amore pellatur: et qui elatione tumuerant, mansuetudine mitigentur. Quorum verò animos aliqua exasperavit offensio, reconciliati sibimet in unitatem studeant redire concordiæ: *Nemini malum pro malo reddentes* (*Rom.* XII. 17.), *et donantes invicem vobis, sicut Christus donavit vobis.* (*Ephes.* IV. 32.)

Serm. 47. *de Quadrag.* 10. *cap.* 1. Cognoscimus ad celebrandum Paschæ diem, meritò nos quadraginta dierum jejunio præparari, ut digni possimus divinis interesse mysteriis.

Serm. 48. *de Quadrag.* 11. *cap.* 1. Appropinquante autem festivitate Paschali adest maximum sacratissimumque jejunium, quod observantiam sui universis fidelibus sine exceptione denuntiat.

Serm. 49. *de Quadrag.* 12. *cap.* 1. Appropinquante, Dilectissimi, solemnitate Paschali, præcurramus eam consueto jejunio, quod nos quadraginta dierum numero ad sanctificationem corporis et mentis exerceat. Suscepturi enim festorum omnium maximum festum, eâ nos debemus observantiâ præparare, ut in cujus sumus resurrectione conresuscitati, ipsius inveniamur passione commortui, dicente beato Paulo Apostolo: *Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo? Cùm Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria.* (*Coloss.* III. 3.) Quæ verò nobis est mortis cum Christo participatio, nisi ut desinamus esse quod fuimus? Aut quæ similitudo resurrectionis, nisi depositio vetustatis? Unde qui sacramentum suæ reparationis intelligit, carnis se vitiis debet exuere, et omnes sordes abjicere peccatorum: ut intraturus nuptiale convivium, splendeat veste virtutum. (*Matth.* XXII. 11.) Quamvis enim benignitas sponsi cunctos ad communionem regiarum invitet epularum, studendum est tamen universis vocatis, ut sacrorum ciborum munere non inveniantur indigni.

BOCHELLUS *Decret. Eccles. Gallic. lib.* 4. *tit.* 12. *Ex* SYNOD. SENON. 1528. *cap.* 52. Cùm in omnibus Ecclesiasticis constitutionibus, utilis quædam honestas et spiritualis profectùs incrementum elucescat: in indicendis tamen jejuniis insigniter emicuit, quibus nihil aptius retundendæ carnis petulantiæ potuit institui; cùm id genus dæmoniorum (ut spiritum dictum Christi referamus) jejunio tantùm et oratione pellatur. (*Matth.* XVII. 20.) Nec sanè quippiam exemplo Moysi, promovendæ mentis puritati commodius, aut demùm exemplo Ninivitarum, ad impetrandum, aut iram Dei placandam efficacius, ab Ecclesiasticis quondam præsidibus potuit ordinari. Quæ res Apostolos impulit, ut Quadragesimale jejunium sanctificarent, quo Christi fideles, non tam Moysen aut Heliam quàm Christum imitati, totius anni decimam exsolverent. Quæ verò à Calixto martyre in quatuor anni partes discreta sunt jejunia: quarti, quinti, septimi, et decimi mensis legem referunt, ac figuram adimplent. Et velut quædam

I. Cur prima dies Quadragesimæ vocatur dies cinerum ?

R. Propter impositionem cinerum quæ solemni ritu fit hâc die.

I. Antiquusne est ille ritus ?

R. Antiquissimus. Imponebantur olim ex vetustissimo ritu per Episcopum vel Presbyterum Pœnitentiarium cineres capitibus pœnitentium, qui solemni pœnitentiæ addicebantur, ut vel ex hoc ritu intelligerent agendam esse pœnitentiam Ninivitarum instar in sacco et cinere ad flectendam Dei iram. (C)

nostri temporis primitiæ, sub illis quatuor anni partibus offeruntur : ea quidem observantia, ut duodenarius dierum numerus, duodecim mensium numero respondeat. Neque dissimili religione statuta sunt cætera vigiliarum jejunia : quò puriores sacris solemnitatibus accedamus. Cæterùm quod ad ciborum delectum attinet : etsi jam olim exsoleverit vetus illa Mosaïcæ legis servitus (quam, *umbram futurorum*, Apostolus appellat (*Hebr.* x. 1.) nec jam aliquid commune dicendum sit aut immundum : nihil tamen sanctius, nihil utilius potuit institui, quò pruriens carnis lascivia frenaretur : quàm ut jejuniorum statutis ab Ecclesia abstinentiæ diebus, à carnium esu temperantes, cibis tantùm aridioribus vescerémur. Neque profectò minor esse debet apud nos sacro-sanctæ matris Ecclesiæ auctoritas, quàm apud filios Rechab, morituri patris imperium : qui ne patris edictum violarent, à vino perpetuò abstinuerunt. (*Jerem.* xxxv. 6.) Si quis igitur Arianorum hujusmodi errorem, mille ab hinc annis damnatum et à Joviniano, Vigilantio, Valdensibus, Wiclevo, Hussitis, ac novissimis istis diebus à Luthero et sequacibus suscitatum, secutus, quadragesimale jejunium, non tam terrenâ cogitatione initiatum, quàm cœlesti majestate consecratum : et cætera Ecclesiastica jejunia, vel præcriptas à Patribus abstinentias non observaverit, aut non observandas duxerit : sacrorum Conciliorum auctoritate, anathema sit.

Ex Concil. Bitur. 1584. *cap.* 31. Bona quidem est diurna meditatio, nocturna est efficacior : quia per diem variæ necessitates obstrepunt, et occupationes distrahunt mentem : nox autem quieta et secreta opportunam se præbet orantibus, aptissimam vigilantibus ; quia collectum hominem divinis conspectibus sistit. Unde David : *In noctibus extollite manus vestras in sancta :* (*Ps.* cxxxiii. 2.) et *Memor fui nocte nominis tui, Domine :* (*Ps.* cxviii. 55.) et *mediâ nocte surgebam ad confitendum tibi :* (*Ibid.* 62.) et *erat* Dominus noster *pernoctans in oratione.* (*Luc.* vi. 12.) Ut autem elevata mens ad orationem, purior sit, et Deo acceptior, sanctissimè Ecclesia Catholica Apostolorum traditionem secuta, Jejunia Christiana exempla Domini instituit : et Moyses montem ascendit, Dei majestatem vidit, et legem à Domino accepit Jejunio quadraginta dierum præparatus : et Helias nonnisi ejusdem temporis Jejunio præmunitus ad montem Dei Horeb pervenit. Christi ergo Domini nostri exemplo, Patrum etiam, Sanctorumque omnium imitatione, Catholica Ecclesia fidelibus jejunia indixit.

(C) Jonas iii. 6.... Surrexitque Rex de solio suo, et abjecit vestimentum suum à se, et indutus est sacco, et sedit in cinere.... 7... Homines.... non gustent quidquam : nec pascantur, et aquam non bibant. 8. Et operiantur saccis homines :.... et clament ad Dominum in fortitudine, et convertatur vir à via sua mala, et ab iniquitate, quæ est in manibus eorum. 9. Quis scit si convertatur, et ignoscat Deus, et revertatur à furore iræ suæ, et non peribimus. 10. Et vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala, et misertus est Dominus super malitiam, quam locutus fuerat ut faceret eis, et non fecit.

Morinus Congreg. Orat. D. J. Presb. *Tract. de Pœnit. Lib.* 6. *cap.* 2. *n.* 12. In ista potissimùm statione, in prostratione scilicet vestem lugubrem induere solebant Pœnitentes, ut facilè colligitur ex humilibus actionibus quas illis tum imponi probavimus. Ideò ut plurimùm cilicio, et cinere sordidati, capillos tonsi aut intonsi pro regionum more.... totique

ad movendam misericordiam compositi, pœnitentiam in eo loco agebant.

N. 13. Hæc omnia graphicè describit S. Hieronym. Epist. 30. ad Oceanum. « Quis hoc crederet, ut post mortem secundi viri in semetipsam » reversa,... saccum indueret (*Fabiola matrona Romana*,) ut terrorem » publicè fateretur; et totâ urbe spectante Romanâ ante diem Paschæ » in basilica quondam Laterani.... staret in ordine pœnitentium, Epis» copo, Presbyteris, et omni populo collacrymantibus; sparsum cri» nem, ora lurida, squallidas manus, sordida colla submitteret? »

N. 14. Hujus mirabilis habitûs rationem reddit S. Hieronym. in c. 3. Lament. « In cilicio quippe asperitas et compunctio peccatorum, in » cinere autem pulvis ostenditur mortuorum: Et idcircò utrumque hoc » adhiberi ad pœnitentiam solet, ut in compunctione cilicii agnoscamus » quid per culpam fecimus, et in favilla cineris perpendamus quid per » vitium facti sumus. Considerentur ergo in cilicio pungentia vitia: » considerentur in cinere per mortis sententiam, subsequens justa pœna » vitiorum. Quia enim post peccatum carnis contumeliæ surrexerunt, » videat homo in asperitate cilicii, superbiendo quid fecit: videat in » cinere usquequo peccando pervenit. ».... Prima tamen istius tam lugubris habitûs, et Europæis tam insolentis causa est antiquorum Judæorum imitatio, qui in veteri Testamento vel pœnitentiam de criminibus agentes, vel dolorem maximum testantes, vel periculum imminens avertere apud Deum satagentes, semper cum cinere et cilicio, et sacco, veste lacerată nobis exhibentur.

Lib. 4. *c.* 16. *n.* 2.... Ultra omne Ecclesiæ tectum in area, et spatio ante portas Ecclesiæ et ipsis contiguo, scelerum reos pœnitentiam ambientes aliquandiu distinebant, ubi omnibus fidelibus Ecclesiam ingressuris, saccum, cineremque et miserabilem habitum induti advolvebantur, eos rogantes, ut non modò Deum ipsis infensum exorarent, sed etiam ut apud Episcopum et presbyterium universamque fraternitatem intercederent, quo Pœnitentiæ donum et benedictio ipsis concederetur.

Ex S. Cyprian. *de Lapsis*, *in fine*.... Orare oportet imponsiùs et rogare, diem luctu transigere, vigiliis noctes ac fletibus ducere, tempus omne lacrymosis lamentationibus occupare, stratos solo adhærere cineri, in cilicio et sordibus volutari, post indumentum Christi perditum nullum hic jam velle vestitum.

Ex Euseb. *in fine lib.* 5. *histor.* Natalius quidam Christi confessor.... manè surrexit cilicio et sacco indutus, cineribus aspersus, cum magno mœrore et lacrymis ad pedes Zephirini Pontificis se supplicem abjecit, et non modò ad Cleri, sed ad Laicorum etiam genua advolutus est.

Morinus *de Pœnit. lib.* 4. *cap.* 17. *n.* 2. Suscepturus pœnitentiam eo lugubri et humili habitu coram universa Ecclesia comparebat concinnatus, conciliatus, ut loquitur Tertullianus, cum dedecore et horrore compositus, in medium sese prosternens ante viduas, ante Presbyteros, omnium lacrymas suadens, omnium vestigia lambens, omnium genua delinens. Pœnitenti ad misericordiam illiciendam sic composito, universa fideli plebe pro eo Deum rogante, atque apud Episcopum intercedente, manus in pœnitentiam imponebat Episcopus, variasque super ipsum genuflexum et prostratum fundebat preces, quibus Dei misericordiam et benedictionem in eum alliciebat.

Ex Tertul. *Cap.* 9. *de pœnit.* De ipso quoque habitu, atque victu mandat, sacco et cineri incubare, corpus sordibus obscurare.

Ex Concil. Agathens. *Can.* xv. Pœnitentes tempore quo Pœnitentiam petunt, impositionem manuum, et cilicium super caput, à Sacerdote sicut ubique constitutum est, consequantur; si autem comas non deposuerint, aut vestimenta non mutaverint, abjiciantur.

Ex Conc. Toletan. III. *Can.* 12.... Quicumque ab Episcopo sanus, vel infirmus Pœnitentiam postulat, id ante omnia Episcopus servet et Presbyter, ut si vir est, sive sanus, sive infirmus priùs eum tondeat, et in cinere et cilicio habitum mutare faciat, et sic pœnitentiam ei tradat: si verò mulier fuerit, non accipiat pœnitentiam nisi priùs velata fuerit, aut mutaverit habitum.

Ex S. Ambros. *Lib. ad Virginem lapsam*, *c.* 8. Lugubris tibi accipienda

est vestis, et mens ac membra singula dignâ castigatione punienda.... Amputentur crines, qui per vanam gloriam occasionem luxuriæ præstiterunt.... Denique totum corpus incuriâ maceretur, cineri aspersum et opertum cilicio perhorrescat.

Ex S. ISIDOR. *Lib.* 2. *de Eccles. officiis cap.* 16.... Hi verò qui pœnitentiam agunt,.... in cilicio prosternuntur,.... cinere asperguntur, vel ut sint memores, quia cinis et pulvis sunt, vel quia pulvis, id est, impii facti sunt.... Idcircò in utroque pœnitentiam agimus : ut et compunctione cilicii agnoscamus vitia, quæ per culpam commisimus; et per favillam cineris perpendamus mortis sententiam, ad quam peccando pervenimus.

Hinc ortus mos in capite jejunii capitibus pœnitentium cinerem imponendi, quem ex antiquis Pontificalibus, Ritualibus, Sacramentariisve exscribit Morinus noster.

MORINUS *Lib.* 4. *de Pœnit. cap.* 18. *n.* 5. *ex Sacram.* S. GREGORII. Ordo agentibus publicam pœnitentiam. « Suscipis eum (Pœnitentem) quartâ » feriâ manè in capite Quadragesimæ, et cooperis eum cilicio, oras pro » eo, et inclaudis usque ad cœnam Domini. ».... Eadem habet Sacramentarium Ecberti Eboracensis Episcopi.

N. 4. Ita quidem pro impositione pœnitentiæ publicæ. Pro privata autem idem ferè erat ordo, si excipias solemnitatem, id est, quòd fieret in capite Quadragesimæ, et coram universa plebe convocata, cilicium quoque, et publicam coram omnibus ab Ecclesia expulsionem. Imponebatur quoque pœnitentia publica extra tempus quadragesimale; sed ejusmodi Pœnitentes postea tenebantur in capite Quadragesimæ cum pœnitentiam suscepturis iterùm sese Episcopo præsentare ad novam suscipiendam pœnitentiæ benedictionem.

N. 10. Sacerdos facit crucem ex cinere super pectus ejus, et imponit cilicium desuper, et dicit orationem, *Deus qui neminem vis perire*, etc.

N. 15. *Ex antiquissimo codice* ORDINIS ROMANI *in Biblioth. Abbatis Constantini Gaëtani.* Feriâ quartâ in capite jejunii.... mittendus est cinis super caput Pœnitentis, dicens : *Memento homo* quia *pulvis es et in pulverem reverteris ;* (*Gen.* III. 19.) statimque imponendum est cilicium dicendo : Conteret cor tuum, et humilia animam tuam in cinere et cilicio, *ror* enim *humiliatum Deus non despicit.* (*Psal.* IV. 19.)

N. 16. REGINO Abbas *in Col. Can. Lib.* 1. *Can.* 291. *ex* CONCIL. AGATHENS. *refert :* In capite Quadragesimæ omnes Pœnitentes qui publicam suscipiunt aut susceperunt pœnitentiam, ante fores Ecclesiæ se repræsentent Episcopo civitatis, sacco induti, nudis pedibus, vultibus in terra prostratis, reos se esse ipso habitu et vultu proclamantes:.... et secundùm modum culpæ pœnitentiam per præfixos gradus injungat,.... manus ei imponat, aquam benedictam superspergat, cinerem priùs mittat, et sicut Adam projectus est de Paradiso, ita et ipse ab Ecclesia ob peccata ejiciatur.

N. 18. In antiquissimo et Longobardico Abbatiæ S. Remigii Rhemensis codice post Dominicam in Quinquagesima sic legitur : « Ordo agentibus » publicam pœnitentiam. Suscipis eum (Pœnitentem) quartâ feriâ manè » in capite Quadragesimæ, et cooperis eum cilicio, cum cinere sparso » capite. »

N. 19. In Bibliotheca Eccles. Metrop. S. Mariæ Rhemensis est antiquum et parvum Manuale, quod scriptum videtur ante annos circiter quingentos et aliquid ampliùs. « Dum psalmi pœnitentiales dicuntur, imponitur » cilicium super infirmi pectus :.... deinde incipiat Sacerdos septem » psalmos pœnitentiales et orationes, et preces dicat super pœnitentem, » faciens crucem ex cinere super pectus ejus, ac imponens cilicium. »

N. 20. In alio ejusdem Bibliothecæ codice, qui mihi non videtur trecentis annis antiquior.... « In capite Quadragesimæ, qui publicam sus» ceperunt, aut suscipiunt pœnitentiam, ante fores Ecclesiæ se repræ» sentent Episcopo Civitatis sacco induti, nudis pedibus, vultibus in » terram prostratis :.... manus eis imponat, aquam benedictam super eos » spargat, cinerem prius mittat, deinde cilicio capita eorum cooperiat. »

N. 21. In Ecclesiæ Metropolitanæ Rothomagensis Bibliotheca est antiquum Pontificale annorum circiter quingentorum, quod pro Ecclesia

Ideò autem cineres imponit Ecclesia capitibus singulorum fidelium,

1. **Ut intelligant Quadragesimale tempus, pœnitentiæ publicæ tempus esse omnibus et singulis.** (D)

2. **Ut mortis recordatione revocentur homines ad pœnitentiam.** *Memento homo quia* **PULVIS ES, ET IN PULVEREM REVERTERIS,** inquit Ecclesia. (*Gen.* III. 19.)

Rhemensi scriptum est. « Ordo impositionis pœnitentiæ in capite jejunii... » cæteris similis. Pœnitentes sacco indutos suscipit ante fores Eccle- » siæ,.... manus illis ante absidam imponit, cinerem in eos mittit, ab » Ecclesia eos ejicit. »

N. 22. Joannes Abrincensis Episcopus, qui ante annos circiter sexcentos scribebat de officiis Ecclesiasticis. « In capite jejunii.... cinerem cum » aqua benedicta tribuat (*Episcopus.*) »

(D) *Vide supra hocce* §. *litt.* (A) (B) *plurima in eam rem SS. PP. testimonia.*

S. BERNARD. *Serm.* 1. *in Capite jejunii*, *n.* 1. Hodie, Dilectissimi, sacrum Quadragesimæ tempus ingredimur, tempus militiæ Christianæ. Non nobis singularis est hæc observatio; una omnium est, quicunque in eamdem fidei conveniunt unitatem. Quidni commune sit Christi jejunium omnibus Christianis? Quidni caput suum membra sequantur? Si bona suscepimus ab hoc capite, mala autem quare non sustineamus? An respuete tristia volumus, et communicare jucundis? si ita est, indignos nos capitis hujus participatione probamus. Omne enim quod patitur ille, pro nobis est. Quòd si in opere salutis nostræ ei collaborare piget, in quo deinceps coadjutores nos exhibebimus illi?

Serm. 3. *de Quadrag. n.* 1. Hactenus usque ad nonam jejunavimus soli; nunc usque ad vesperam jejunabunt nobiscum universi Reges et Principes, Clerus et populus, nobiles et ignobiles, simul in unum dives et pauper.

N. 2. Sed quid de his loquor, quos habemus in hac jejunii observatione consortes, quasi non multò excellentiores habeamus in ea duces, immò et consecratores? Quantâ devotione suscipiendum est nobis quod à sancto Moyse tanquam hæreditario jure traditur, cui speciali præ cæteris Prophetis prærogativâ, facie ad faciem Dominus loquebatur? (*Exod.* XXXIII.) Quanto fervore amplectendum est, quod Helias ille commendat igneo curru raptus in cœlum? (*4. Reg.* II. 11.) Ecce enim quàm multa millia à diebus illis generalis conditio mortis invasit: Helias tamen usque adhuc conservante Domino manus ejus evasit. Jam verò si commendant jejunium præsens Moyses et Helias, quamvis magni; tamen conservi nostri: quantùm commendat illud Jesus Dominus noster, qui et ipse diebus totidem jejunavit? Qualis ille est, non dicam Monachus, sed Christianus, qui minùs devotè jejunium suscipit, quod ei tradidit ipse Christus? Denique tantò devotiùs imitandum nobis est, dilectissimi, Christi jejunantis exemplum, quantò certiùs est, propter nos eum jejunasse, non propter seipsum.

N. 4. Propterea si fortè diebus cæteris studia vestra aliquatenùs intepuerant, dignum est ut nunc in fervore spiritus recalescant. Quòd si gula sola peccavit, sola quoque jejunet, et sufficit. Si verò peccaverunt et membra cætera, cur non jejunent et ipsa? Jejunet ergo oculus qui deprædatus est animam: jejunet auris, jejunet lingua, jejunet manus, jejunet etiam anima ipsa. Jejunet oculus à curiosis aspectibus et omni petulantia, ut benè humiliatus, coërceatur in pœnitentia, qui malè liber vagabatur in culpa. Jejunet auris nequiter pruriens, à fabulis et rumoribus, et quæcunque otiosa sunt, et ad salutem minimè pertinentia. Jejunet lingua à detractione et murmuratione, ab inutilibus, vanis atque scurrilibus verbis: interdum quoque ob gravitatem silentii, et ab ipsis quæ videri poterant necessaria. Jejunet manus ab otiosis signis, et ab operibus omnibus, quæcunque non sunt imperata. Sed et multò magis anima ipsa jejunet à vitiis et propria voluntate sua. Etenim sine jejunio hoc, cætera à Domino reprobantur, sicut scriptum est: quia *in diebus jejuniorum vestrorum voluntates vestræ inveniuntur.* (*Isa.* LVIII. 3.)

I. Qua mente accedendum est ad cineres ?

R. In spiritu humilitatis et in animo contrito, cum sincero proposito totam Quadragesimam agendi, Deo dante, in exercitiis pœnitentiæ. (E)

I. Quid agendum ex mente Ecclesiæ per totam Quadragesimam ?

R. 1. Jejunandum. Eroganda copiosiùs eleemosyna. Abstinendum frequentiorihominum consortio. Prolixiùs et sæpiùs orandum. Vacandum assiduè publicis Ecclesiæ officiis, et concionibus sacris, et privatim piis lectionibus, et vigiliis.

2. Abstinendum à peccatis, à jocis, à lusibus, ab omni profanorum spectaculorum genere.

3. Jam ab incunte Quadragesima facienda coram Sacerdote peccatorum exomologesis, ut maturiori pœnitentiâ si opus sit, ad Paschalem communionem disponamur. (F)

(E) S. Bernard. *Serm.* 2. *in capite jejunii*, *n.* 4. Cùm dixisset *convertimini ad me in toto corde vestro*, (*Joel.* II. 12.) adjunxit protinùs *in jejunio*, quod utique corporis est. Volo tamen vos admonitos esse fratres meos observandum illud non ab escis tantùm, sed et ab omnibus illecebris carnis, et universa corporis voluptate ; immò verò jejunandum est longè ampliùs à vitiis quàm à cibis. Sed est panis à quo vos jejunare nolo, ne fortè deficiatis in via ; et si nescitis, panem dico lacrymarum ; sequitur enim, *in jejunio et planctu.* Exigit enim planctum à nobis pœnitentia præteritæ conservationis : exigit fletum desiderium futuræ beatitudinis ; *Factæ sunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, Ubi est Deus tuus.* (*Psal.* XLI. 4.)

N. 5. Addit deindè Propheta : *et scindite corda vestra, et non vestimenta vestra.* (*Joël.* II. 13.)

N. 6. Scindamus itaque corda nostra, quatenus integra proinde vestimenta servemus : vestes enim nostræ virtutes sunt. Bona vestis charitas : bona vestis obedientia est : beatus qui custodit vestimenta hæc, ut non ambulet nudus... Potest tamen et aliter hæc scissio cordis intelligi, ut siquidem pravum fuerit scindatur ad compunctionem, si durum ad compassionem. Quidni scindatur ulcus ut sanies effluat ? Quidni scindatur cor ut visceribus effluat pietatis ? Utilis prorsùs utraque scissio, ut nec clausum lateat peccati virus in corde, nec indigenti proximo claudamus viscera misericordiæ : ut et ipsi consequamur misericordiam à Domino nostro Jesu Christo.

(F) *Vide suprà* §. I. *hujusce Cap. litt.* (G) *etiam suprà hocce* §. *litt.* (A. B. E.)

S. Gregor. Nyss. *Orat. de Benefic. p.* 236. *Append. ad ejus opera.* Si vino et carne temperantes, obstrictos vitiis animos habuerimus, nihil quidquam nobis, cùm aliter animo quàm extrinsecùs affecti simus, aut aquam, aut olera, aut mensas sine sanguine structas profutura prædico atque testificor.

Pag. 338. His necessaria victui suppedita tu, qui jejunas. Erga fratres calamitosos benignus esto. Quod ventri subtrahis, tribue esurienti. Exæquet omnia justus Dei timor. Duas inter se contrarias affectiones, tuam videlicet satietatem, et fratris famem, modestà continentiâ tempera atque moderare. Sic enim faciunt et medici. Alios exinaniunt, alios replent, ut accessione decessioneque uniuscujusque sanitas conservetur.

S. Leo Magn. *Serm.* 38. *de Quadr.* I. *cap.* 5. In isto jejuniorum stadio non eo tantùm simus fine contenti, ut solam ciborum abstinentiam putemus esse sectandam. Parum enim est, si carnis substantia tenuatur, et animæ fortitudo non alitur. Afflicto paululùm exteriore homine, reficiatur interior ; et subtractâ carni saturitate corporeâ, spiritalibus mens deliciis roboretur. Circumspiciat se omnis anima Christiana, et severo examine cordis sui interna discutiat. Videat, ne quid ibi discordiæ inhæserit, ne quid cupiditatis insederit. Castitas incontinentiam procul pellat, tenebras simulationis lux abigat veritatis : Quia * *os, quod*

mentitur, animam mentientis interficit. (*Sap.* I. 11.) Detumescat superbia, resipiscat iracundia, comminuantur jacula noxarum, et obtrectatio linguæ frenetur. Cessent vindictæ, et oblivioni mandentur injuriæ. " *Omnis* postremò *plantatio, quam non plantavit Pater cœlestis, radicitùs auferatur.* (*Matth.* XV. 13.)

Serm. 39. *de Quadrag.* 2. *cap.* 4. Quia ergo, Dilectissimi, sicut Redemptoris nostri magisterio edocti sumus, *non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo Dei;* (*Matth.* IV. 4. *Deut.* VIII. 3.) dignumque est ut populus Christianus in quantacunque abstinentia constitutus, magis desideret se Dei verbo, quàm cibo satiare corporeo.... Promptà devotione et alacri fide suscipiamus solemne jejunium, non in sterili inedia, quam plerumque et imbecillitas corporis et avaritiæ morbus indicit, sed in larga benevolentia celebrandum: ut scilicet simus de illis, de quibus ipsa veritas dicit: *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam; quoniam ipsi saturabuntur.* (*Matth.* V. 6.) Deliciæ igitur nostræ sint opera pietatis, et illis cibis, qui nos ad æternitatem nutriunt, impleamur. Lætemur in refectionibus pauperum, quos impendia nostra satiaverint. Jucundemur in vestitu eorum, quorum nuditatem indumentis necessariis texerimus. Sentiant humanitatem nostram ægritudines decumbentium, imbecillitates debilium, labores exulum, destitutio pupillorum, et desolatarum mœstitudo viduarum, in quibus juvandis nemo est, qui non aliquam possit exsequi benevolentiæ portionem. Nulli enim parvus est census, cui magnus est animus: nec de rei familiaris modo mensura pendet pietatis. Nunquam merito caret, etiam in tenui facultate, bonæ voluntatis opulentia. Majora quidem impendia sunt divitum, et minora mediocrium: sed discrepat fructus operum, ubi idem est affectus operantium.

Cap. 5. In ista autem, dilectissimi, exercendarum opportunitate virtutum, sunt et aliarum insignia coronarum, quæ nullo horreorum dispendio, nullà diminutione pecuniæ capiantur: si repellatur lascivia, si abdicetur ebrietas, et carnalis concupiscentia castitatis legibus edometur: si odia transeant in dilectionem; si inimicitiæ convertantur in pacem; si tranquillitas exstinguat iram; si mansuetudo remittat injuriam; si denique dominorum atque servorum tam ordinati sint mores, ut et illorum potestas mitior, et istorum sit disciplina devotior. Hàc igitur observantiâ, Dilectissimi, obtinebitur misericordia Dei, et abolito peccatorum reatu, religiosè venerandum Pascha celebrabitur.

Serm. 41. *in Quadrag.* 4. *cap.* 2. Non enim in sola abstinentia cibi stat nostri summa jejunii, aut fructuosè corpori esca subtrahitur; nisi mens ab iniquitate revocetur, et ab obtrectationibus lingua cohibeatur. Sic ergo nobis edendi est moderanda libertas, ut etiam aliæ cupiditates eadem lege frenentur. Mansuetudinis et patientiæ, pacis et tranquillitatis hoc tempus est: in quo exclusâ omnium contaminatione vitiorum, perpetuitas nobis est obtinenda virtutum. Nunc piarum mentium foriitudo donare culpas, negligere contumelias, et oblivisci assuescat injurias. Nunc fidelis animus per arma justitiæ à dextris se exerceat et sinistris: ut *per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam* (2. *Cor.* VI. 8.), securam conscientiam constantemque probitatem nec laudes inflent, nec opprobria defatigent. Religiosorum modestia non sit mœsta, sed sancta: Nec inveniatur in eis ullarum murmura querelarum, quibus nunquam desunt sanctorum solatia gaudiorum. Non timeatur inter opera misericordiæ terrenarum diminutio facultatum. Semper dives est Christiana paupertas: quia plus est quod habet, quàm quod non habet. Nec pavet in isto mundo indigentiâ laborare, cui donatum est in omnium rerum Domino omnia possidere.

Serm. 42. *de Quadrag.* 5. *cap.* 3. Utamur igitur, Dilectissimi, saluberrimi temporis venerabilibus institutis, et sollicitiore curâ cordis nostri specula tergamus.

Serm. 43. *de Quadrag.* 6. *cap.* 1. Considerandum est hoc in tempore attentiùs, quæ vitia, quæ ægritudines, quantaque sint vulnera, quibus austerior sit adhibenda medicina: ut illius sacramenti, per quod solvuntur opera diaboli, non inveniantur alieni.

Serm. 44. *de Quadrag.* 7. *cap.* 4. Debiti enim tui est, ut ei, qui pro omnibus passus est, paratus sis compati: quoniam *pia vita Sanctorum non*

quam aliena est Crucis Christi, dum continentiæ clavis desideria carnis configit, et corporeas cupiditates virtute Spiritûs, in se habitantis interficit. Difficile est quemquam in se non habere quod perimat. Exstinguenda est iracundia, mortificanda est superbia, destruenda luxuria, radix quoque avaritiæ altiùs persequenda est : ut omnium malorum germen excidi valeat, si eorum potuerit fomes evelli.

Serm. 45. *de Quadrag.* 8. *cap.* 4. Et quamvis omni tempore studendum sit sanctificationi et mentis et corporis, nunc tamen in istis quadraginta dierum jejuniis, sollicitioribus vos pietatis operibus expolite, non solùm in distribuendis eleemosynis quæ magnum habent emendationis effectum : sed etiam in remittendis offensionibus, et peccatorum reatibus relaxandis : ut conditio, quam inter se et hominem Deus posuit, non resistat orantibus. Dicentes enim secundùm doctrinam Domini : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*, (*Matth.* VI. 12.) debemus toto corde implere quod dicimus. Tunc enim fiet omninò quod in consequentibus postulamus, ut et *in tentationem non inducamur, et à malis omnibus liberemur.* (*Ibid.* 13.)

Serm. 49. *de Quadrag.* 12. *cap.* 1. Quia universitas fidelium ad perfectam innocentiam, et ad plenam debet tendere puritatem, ut eorum consortio mereatur adscribi de quibus dicitur : *Beati mundo corde, quoniam ipsi videbunt* (*Matth.* v. 8.), omni instantiâ et virtute nitendum est, ut quidquid secretum conscientiæ maculat, quidquid aciem mentis obscurat, diligentissimis emundationibus deleantur.

S. JOAN. CHRYSOST. *ad populum Antiochenum Homil.* 3. *pag.* 51. Jejunium honoremus : honor enim jejunii non ciborum abstinentia, sed peccatorum fuga. Itaque ciborum abstinentia tantùm jejunium definiens, hic est qui maximè ipsum vituperat. Jejunas ? Demonstra mihi per ipsa opera. Qualia, inquis, opera ? si pauperem videris, miserere : si inimicum videris, conciliare : si amicum laudabiliter agentem videris, ne invideas : si mulierem videris speciosam, prætereas. Non enim os tantùm jejunet, sed et oculus, et auditus, et pedes, et manus, et omnia corporis nostri membra jejunent. Jejunent manus à rapina et avaritia mundæ : jejunent pedes ad illicita spectacula cursum reprimentes : jejunent oculi discentes nunquam formosis obtutibus insilire, nec alienas curiosè pulchritudines spectare. Cibus enim oculorum spectatio : sed si illegitima sit et prohibita, jejunio nocet, et omnem animæ salutem subvertit : si verò legitima et concessa, ornat jejunium. Etenim absurdissimum esset cibum sumendo etiam à concessa abstinere esca per jejunium, oculis autem utendo etiam prohibitam attingere. Non comedis carnes ? Neque lasciviam per oculos haurias. Jejunet et auris : aurium autem jejunium detractiones et calumnias non suscipere : Auditum enim vanum non suscipies, inquit : (*Exod.* XXIII. 1.) Jejunet quoque os à verbis turpibus et convicio. Quæ enim utilitas cùm avibus quidem et piscibus abstineamus, fratres verò mordeamus et comedamus ? Detrahens fraternas carnes comedit, proximi carnem momordit : propterea et Paulus terruit dicens : si autem *vos invicem mordetis et comeditis, videte ne ab invicem consumamini.* (*Galat.* v. 15.) Non infixisti dentes carni, sed animæ maledictum ; improbam suspicionem infixisti, vulnerasti, innumeris affecisti malis, et teipsum, et illum, et alios plures, etc.

Hom. 10. *paulò post initium.* Jejunium verò non ciborum abstinentiam tantùm dico, sed et peccatorum fugam magis quàm illam : quoniam et convivatus, et hùc cum modestia profectus congrua, non multò à jejunante vincitur : sicut vicissim jejunans, nec cum studio et diligentia his quæ dicuntur attendens, nihil ex hoc jejunio magnum lucrabitur. Comedens enim, et concionis sanctæ congruo studio participem se faciens, nihil comedente et absente multò melior est. Non enim tantum nos inedia adjuvare poterit, quantùm prodest et bonum affert spirituali disciplinæ interesse. Ubinam alibi hæc audies, quæ hîc meditaris ? Si in forum iveris, rixæ ibi et pugnæ, etc.

AUCTOR *Serm.* 27. *inter adscriptos* S. AMBROS. *de Quadrag.* 11. *qui videtur esse* S. MAXIMUS, *n.* 4. Quisquis verbo Christi pascitur, terrenum pabulum non requirit ; nec enim potest seculi panem cupere, qui pane

I. Quâ mente excipiendum est verbum Dei è sacro suggestu ?

R. Cum fide et reverentia et docilitate et cordis compunctione. Non ut curiositas expleatur : non ut notentur concionis vitia.

I. Cur vesperæ ante meridiem canuntur Quadragesimali tempore ?

R. Olim fiebat cœna quadragesimalis post officium vespertinum, et canebantur more solito vesperæ horis pomeridianis sub solis occasum. Labente paulatim disciplinâ factum est, ut anticiparetur cœna quadragesimalis : sed simul anticipatum et officium vespertinum ; ut nonnisi post vesperas more veteri cœna fieri diceretur. Ætate S. Thomæ Aquinatis, hoc est, seculo decimo tertio, complebantur

reficitur Salvatoris. Habet enim Dominus suum panem, immò panis ipse Salvator est, sicut docuit dicens : *Ego sum panis, qui de cœlo descendi.* (*Joan.* VI. 41.) De quo pane dicit Propheta : *Et panis cor hominis confirmet.* (*Psal.* CIII. 15.)

N. 5. Quò ergo mihi panem, quem offert diabolus, cùm habeam panem quem Christus impartit.... Illa ergo esca nobis necessaria est, quæ vitam præstat, quæ animam pascit : post quam sequitur Christus, inimicus excluditur.

N. 6. Quàm benè autem jejuniorum tempore Verbum Dei dixit esse, quod reficit ; ut ostenderet jejunia nostra non debere seculi actibus occupari, sed sacris litteris exerceri ? Negligit enim famem corporis, qui pabulo lectionis intendit : nec ventris curam habere poterit, qui alimentum verbi cœlestis acquirit. Ipsa est enim refectio quæ saginat animam, quæ impinguat viscera ; cùm de divinis Scripturis cibum eloquii perennis accipimus. Ipsa est esca, quæ vitam ælernam tribuit, et insidias à nobis diabolicæ tentationis excludit. Quòd autem sacrarum litterarum lectio vita sit, Dominus testatur dicens : *Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt.* (*Joan.* VI. 64.)

S. BERNARD. *Serm.* 4. *in Quadrag. n.* 1. Jejunii Quadragesimalis tempus advenit, quod totâ devotione suscipere moneo charitatem vestram.... (*Jejunio*) quidem pro eò quòd ab ipsis quoque licitis abstinemus, ea nobis quæ priùs commisimus, illicita condonantur. Quid verò est condonari commissa, nisi jejunio brevi jejunia redimi sempiterna ?.... Bonum ergo et salutare jejunium, quo redimuntur jejunia sempiterna et supplicia, dum redimuntur hoc modo peccata. Non solùm autem est abolitio peccatorum, sed exstirpatio vitiorum : non solùm obtinet veniam, sed et promeretur gratiam : non solùm delet peccata præterita quæ commisimus, sed et repellit futura quæ committere poteramus.

N. 2. Jejunium orationi devotionem et fiduciam donat.... Oratio virtutem impetrat jejunandi, et jejunium gratiam promeretur orandi. Jejunium orationem roborat, oratio sanctificat jejunium, et Domino repræsentat... Sublevetur ergo jejunium pennâ quâdam orationis. Verùm huic, ne fortè minus sufficiat, alteram quoque necesse est sociari. * *Oratio justi*, ait Scriptura, *penetrat cœlos.* (*Eccli.* XXXV. 21.) Sint ergo jejunio nostro, ut facilè cœlos penetret, alæ duæ, orationis scilicet, atque justitiæ.... Omninò solliciti estote, ut alas duas habeat jejunium vestrum, *sanctimoniam* scilicet *et pacem sine qua nemo videbit Deum.* (*Hebr.* XII. 14.)

Serm. 7. *in Quadrag. n.* 4. Maximè verò hoc sancto tempore in omni, obsecro, puritate conversari studeamus. Tibi et certus et brevis dierum numerus positus est, ne desperet humana fragilitas :.... nunc autem monemur brevi dierum numero omnes aliorum temporum negligentias mendare : ut vel sic gustemus dulcedinem perfectæ puritatis, et omni deinceps tempore in conversatione nostra sanctæ hujus Quadragesimæ vestigia clara resplendeant. Conemur ergo, fratres, sanctum hoc tempus totâ devotione suscipere, et nunc magis arma spiritualia reparare.

vesperæ quadragesimales horâ solùm post meridiem tertiâ, tuncque solvebatur jejunium. Postea rebus in laxitatem paulatim descendentibus, eò usque Jejuniorum disciplina prolapsa est, ut circa meridiem solvi Jejunium jam Ecclesia patiatur, simulque ut servetur saltem disciplinæ veteris vestigium, vespertinum officium ante meridiem celebratur. (G)

§. 3. De Quatuor temporum, et Vigiliarum Jejuniis.

I. Quid sunt quatuor tempora ?

R. Hoc nomine appellantur Jejunia illa quæ trino quoque mense ab Ecclesia celebrantur feriis quartâ, sextâ, et sabbato unius hebdomadæ.

I. Quis illa Jejunia instituit ?

R. Jejunia hæc seculo quinto in Ecclesia Romana antiquiora esse constat. Quin et S. Leo Romanus Pontifex, qui eo seculo floruit, vult ex Apostolica Traditione manasse. (A)

(G) BOCHELLUS *Decret. Eccles. Gallic. lib. 4. tit.* 12. *Ex* SYNOD. LINGON. *ann.* 1404. *cap.* 51. Sacerdotes debent cibum et potum temperatè sumere, tam in tempore quàm in quantitate, ut in diebus jejuniorum semel in die.

2. *Super. litt.* (K. L. M.) *videsis hæc fusiùs pertractata.*

(A) S. AUG. *Epist.* 36. *aliàs* 86. *ad Casul. cap.* 4. *n.* 8. Christianus qui quartâ et sextâ feriâ et ipso sabbato jejunare consuevit; quod frequenter Romana plebs facit.

Cap. 8. *n.* 19. Videat.... quantâ afficiat contumeliâ ipsam Romanam Ecclesiam, ubi et his hebdomadibus, in quibus quartâ et sextâ feriâ, et sabbato jejunatur, tribus tamen diebus continuis, Dominico scilicet et deinde secundâ et tertiâ prandetur.

Verba hæc FREQUENTER *et* HIS HEBDOMADIBUS *luculenter videntur innuere quatuor temporum jejunia.*

S. LEO MAGN. *Serm.* 2. *de Jejunio* 10. *mensis, cap.* 4. *versùs finem.* Quartâ igitur et sextâ feriâ jejunemus; sabbato autem apud beatissimum Apostolum Petrum vigilias celebremus, qui et orationes et jejunia et eleemosynas nostras precibus suis dignabitur adjuvare.

Eâdem ferè clausulâ Sermones suos de Jejunio 10. *mensis, et septimi, et Pentecostes concludit.*

Serm. 14. *de Jejun.* 10. *mensis* 4. *cap.* 2. Decimi hujus mensis solemne jejunium, quod non idcò negligendum est; quia de observantia veteris legis assumptum est, tanquam hoc de illis sit, quæ inter discretiones ciborum, inter baptismatum differentias, et avium pecudumque hostias destiterunt. Illis enim, quæ rerum futurarum figuras gerebant, impletis, quæ significaverunt finita sunt. Jejuniorum verò utilitatem novi Testamenti gratia non removit: et continentiam corpori, atque animæ semper profuturam piâ observatione suscepit.

Serm. 15. *de Jejun.* 10. *mens.* 5. *cap.* 1. Sicut ergo pro spe futuræ felicitatis, ad quam per fidem currimus, gratias Deo agere debemus, quòd ad perceptionem tantæ præparationis evehimur: ita pro iis quoque commodis, quæ singulorum annorum revolutione consequimur, Deus honorandus atque laudandus est, qui sic terræ fœcunditatem ab initio dedit, sic pariendorum fructuum leges, in quibusque germinibus et seminibus ordinavit, ut nunquam sua instituta desereret, sed in rebus conditis benigna conditoris administratio permaneret. Quidquid ergo ad usus hominum segetes, vineæ, oleæque pepererint, totum hoc ex divinæ bonitatis largitate profluxit: quæ elementorum qualitate variatâ, dubios agricolarum labores clementer adjuvit, ut utilitatibus nostris, venti et imbres, frigora et æstus, dies, noctesque servirent. Non enim sibi ad effectus operum suorum humana ratio sufficeret, nisi plantationibus, et rigationibus

solitis Deus incrementa præberet. Undè plenum pietatis ac justitiæ est, ut de his quæ nobis cœlestis Pater misericorditer contulit, nos quoque alios adjuvemus.

Cap. 2. Huic autem operi, Dilectissimi, cùm omnia opportuna sint tempora, hoc nunc præcipuè aptum est atque conveniens, in quo sancti Patres nostri divinitùs inspirati, decimi mensis sanxêre jejunium : ut omnium fructuum collectione conclusâ, rationabilis Deo abstinentia dicaretur, et meminisset quisque ita uti abundantiâ, ut et circa se abstinentior, et circa pauperes esset effusior.

Serm. 16. *de Jejun.* 10. *mensis* 6. *cap.* 1. Evangelicis sanctionibus, Dilectissimi, multum auctoritatis præbet doctrina legalis, cùm quædam de mandato veteri ad novam observantiam transferuntur, et ex ipsa Ecclesiastica devotione demonstratur, quòd Dominus Jesus Christus *non venit legem solvere, sed adimplere.* (*Matth.* v. 17.) Cessantibus enim significationibus, quibus Salvatoris nostri nuntiabatur adventus, et peractis figuris, quas abstulit illa præsentia veritatis : ea quæ vel ad regulas morum, vel ad simplicem Dei cultum ratio pietatis instituit, in eadem apud nos forma in qua sunt condita, perseverant : et quæ utrique testamento erant congrua, nullâ sunt commutatione variata. Ex iis autem est etiam decimi mensis solemne jejunium, quod à nobis nunc annua est consuetudine celebrandum : quia plenum justitiæ est atque pietatis gratias divinæ agere largitati pro fructibus, quos in usus hominum secundùm summæ providentiæ temperamentum terra produxit. Quod ut proma pto animo nos facere monstremus, non solùm continentiam jejunii, sed etiam eleemosynarum curam oportet assumi, ut de terra quoque cordis nostri, germen justitiæ et fructus charitatis oriatur, et misericordiam Dei pauperum ipsius miserendo mereamur. Efficacissima enim est ad exorandum Deum postulatio, cui pietatis opera suffragantur ; quia qui suum ab inope non avertit animum, citò ad se Domini convertit auditum.

Serm. 18. *de Jejun.* 10. *mensis* 8. *cap.* 2. Hujus observantiæ utilitas, Dilectissimi, in Ecclesiasticis præcipuè est constituta jejuniis, quæ ex doctrina sancti Spiritûs, ita per totius anni circulum distributa sunt ; ut lex abstinentiæ omnibus sit adscripta temporibus. Siquidem jejunium Vernum in Quadragesima, Æstivum in Pentecoste, Autumnale in mense septimo, Hyemale autem in hoc, qui est decimus celebramus ; intelligentes divinis nihil vacuum esse præceptis, et verbo Dei ad eruditionem nostram omnia elementa servire : dum per ipsius mundi cardines, quasi per quatuor Evangelia, incessabiliter discimus, quod et prædicemus et agamus.

Serm. 19. *de Jejun.* 10. *mensis* 9. *cap.* 1. Meritò disposuerunt Apostolicæ sanctiones, ut veterum jejuniorum utilitas permaneret, et licèt Ecclesiæ consuetudo prolixioribus se castigationibus exercere didicisset, amplecteretur tamen continentiæ sanctificationem ex lege venientem : quibus enim donatum erat posse, quod majus est indecens fuit non celebrare quod minus est.

Cap. 2. Hac ergo ratione, Dilectissimi, evidenter instructi Ecclesiasticis regulis, jejunium decimi mensis adjungimus, idque devotioni vestræ, sicut est moris, indicimus ; quoniam plenum pietatis, plenumque justitiæ est, ut, terrenorum fructuum perceptione conclusâ, agantur Deo gratiæ, et sacrificium ei misericordiæ cum jejunii immolatione solvatur.

Serm. 77. *de Jejun. Pentecost.* 2. *cap.* 1. Dubitandum non est omnem observantiam Christianam eruditionis esse divinæ, et quidquid ab Ecclesia in consuetudinem est devotionis receptum, de traditione Apostolica et de sancti Spiritûs prodire doctrina : qui nunc quoque cordibus fidelium suis præsidet institutis, ut ea omnes et obedienter custodiant, et sapienter intelligant.

Serm. 90. *de Jejun.* 7. *mensis* 7. *cap.* 2. Quòd igitur, Dilectissimi, veteris prædicatione doctrinæ ad purificationem animarum corporumque nostrorum jejunium septimi mensis assumimus, non legalibus nos oneribus subjicimus, sed utilitatem continentiæ quæ Christi Evangelio servit, amplectimur.

Serm. 91. *de Jejun.* 7. *mensis* 8. *cap.* 2. Subjiciendo corpori castigatio est adhibenda jejunii.

Cap. 3. Qui medicinæ, Dilectissimi, licèt tempus omne sit congruum,

I. **Cur instituta sunt hæc Jejunia ?**

R. 1. **Ut dierum aliquot pœnitentiâ quælibet anni tempestas Domino consecretur.**

2. **Ut et reddantur gratiæ Deo de frugibus collectis, et novæ ab eo impetrentur.**

hoc tamen habemus aptissimum, quod et Apostolicis et legalibus institutis videmus electum ; ut sicut in aliis anni diebus, ita in mense septimo spiritalibus nos purificationibus emundemus. Convenientibus enim in unum propositum tribus studiis, orationе scilicet, et eleemosynâ, atque jejunio, præstabitur nobis à misericorde Deo et cohibitio cupiditatum, et exauditio precum, et remissio peccatorum.

GELASIUS Papa, *Epist.* 9. *cap.* 7. Ordinationes etiam Presbyterorum Diaconorumque nisi certis temporibus et diebus exercere non audeant, id est, quarti mensis jejunio, septimi, et decimi, sed etiam quadragesimalis initii ac mediânâ quadragesimæ die sabbati jejunio.

CONC. GIRUNDENSE *anno.* 517. Ut expletâ solennitate Pentecostes, in sequenti septimana à quinta feria in sabbatum, per hoc triduum abstinentia celebretur.

CONC. MOGUNT. *ann.* 813. *Can.* 34. Constituimus ut quatuor tempora anni ab omnibus cum jejunio observentur : hoc est, in mense Martio hebdomadâ primâ ; et feriâ sextâ et sabbato venient omnes ad Ecclesiam horâ nonâ cum litaniis ad Missarum solemnia. Similiter in mense Junio hebdomadâ secundâ, feriâ quartâ et sextâ et sabbato jejunetur, usque ad horam nonam, et carne ab omnibus abstineatur. Similiter in mense Septembri hebdomadâ tertiâ, et in mense Decembri hebdomadâ quæ fuerit plena ante vigiliam Nativitatis Domini sicut est in Romana Ecclesia traditum.

CAROL. MAGN. *Capitul.* BALUZ. *tom.* 1. *p.* 192. 1051. Ut jejunium Quatuor temporum, et ipsi Sacerdotes observent, et denuntient observandum.

Pag. 954. Doceant Presbyteri populum quatuor legitima temporum jejunia observare, hoc est, mense Martio, Julio, Septembri et Decembri, quando sacri Ordines juxta statuta Canonum distribuuntur.

BOCHELLUS *Decret. Eccles. Gallic. Lib.* 4. *tit.* 12. *Ex* SYNOD. PARIS. *ann.* 1557. *tit. De Jejunio quatuor temporum*, *cap.* 48. De jejunio autem quatuor temporum post Concilia loquuntur Doctores. Aug. imprimis Casulano scribens. « Itaque Ecclesia, *inquit*, Jejunia non instituit, sed à Domino » ordinata ad certos dies, modumve certum reduxit : quemadmodum » videre est in jejuniis quatuor temporum, ac cæterarum vigiliarum. » Undè Urbanus Papa dist. 76. cap. « Statuimus etiam ut jejunia quatuor » temporum hoc ordine celebrentur. Primum initio Quadragesimæ, » secundum in hebdomada Pentecostes, tertium verò in Septembri, » quartum in Decembri more solito fiat. De quibus idem Augustus ad » Januarium Epist. 119. Nec in his erravit Ecclesia, quæ à Spiritu sancto » gubernatur : ut 2. Petr. 1. 21. *Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti* » *Dei homines*, procul dubio et operati. Absit igitur ut idem Spiritus » defuerit Ecclesiæ, cùm Dominus pollicitus est dicens : *Ecce ego vobis-* » *cum sum usque ad consummationem seculi :* (*Matth.* XXVIII. 20.) Ecclesiam » utique suo Spiritu gubernans, de quo dixit : « *Cùm venerit Spiritus* » *ille veritatis*, *docebit vos omnem veritatem.* » (*Joan.* XIV. 13.)

R. P. THOMASS. Congreg. Orat. D. J. Presb. *Tract. de Jejun.* 1. *Part. cap.* 21. *n.* 7. Cette conformité de nos Quatre-temps avec les quatre jeûnes des Juifs aux quatre mêmes mois marqués dans l'Ecriture, est une marque visible, que l'Eglise a imité en cela la Synagogue. Et c'est tout ensemble une preuve, que le jeûne des Quatre-temps dans l'Eglise Latine est de tradition Apostolique. Car il est incomparablement plus vraisemblable que ce sont les Apôtres, et non les Conciles, ou les Evêques des siècles suivans, qui ont communiqué à l'Eglise quelques usages des anciens Hébreux.

Lege ejusdem Tract. de Jejun. *part.* 1. *cap.* 21. *et part.* 2. *cap.* 18. *ubi multa scitu dignissima reperies.*

3. Ut postulentur à Deo boni Pastores : illis enim temporibus Ordines celebrantur. (B)

I. Cur pro bonis Pastoribus impetrandis orat et jejunat universa Ecclesia ?

R. Quia plerumque populi salus à Pastoribus pendet. Hos bonos concedit Deus propitius : malos permittit iratus. (C)

(B) S. Leo Magn. *Serm.* 73. *de Pentecoste* 1. *cap.* 5. De qua ope atque doctrina etiam jejuniorum nobis atque eleemosynarum est collata purgatio. Nam hunc venerabilem diem sequitur saluberrimæ observantiæ consuetudo, quam utilissimam sibi omnes Sancti semper experti sunt, et ad quam sedulò celebrandam, pastorali vos sollicitudine cohortamur : ut si quid macularum proximis diebus negligentia incauta contraxit, id et jejunii censura castiget, et devotio pietatis emendet. Quartà igitur et sextà feriâ jejunemus, sabbato autem in idipsum consuetâ devotione vigilias celebremus.

Serm. 74. *de Pentecoste* 2. *cap.* 9. Ad præsentem autem solemnitatem etiam ista nobis est adjicienda devotio : ut jejunium quod ex apostolica traditione subsequitur, celebremus : quia et hoc inter maxima sancti Spiritûs dona numerandum est, quòd nobis adversùm illecebras carnis et insidias diaboli, jejuniorum sunt collata præsidia, quibus omnes tentationes Deo adjuvante vincamus. Quartà igitur et sextà feriâ jejunemus : sabbato autem apud beatum Petrum Apostolum vigilias celebremus, patrocinante eodem orationibus nostris : ut in omnibus misericordiam Dei obtinere mereamur.

Serm. 76. *de Jejunio Pentecost.* 1. *cap.* 3. Post sanctæ dies lætitiæ, quos in honorem Domini à mortuis resurgentis, ac deinde in cœlos ascendentis, exegimus, postque perceptum sancti Spiritûs donum, salubriter et necessariè consuetudo est ordinata jejunii ; ut si quid fortè inter ipsa festivitatum gaudia negligens libertas et licentia inordinata præsumpsit, hoc religiosæ abstinentiæ censura castiget : quæ ob hoc quoque studiosiùs exsequenda est, ut illa in nobis, quæ hac die Ecclesiæ divinitùs sunt collata permaneant.

Serm. 88. *De Jejunio septimi mensis* 5. Sed quia insidiæ diaboli etiam inter talia studia non quiescunt, rectissimè in quibusdam articulis temporum, vigoris est nostri reparatio instituta : ut ubi de clementia cœli et ubertate agri potest mens præsentium bonorum avida gloriari, et in ampla horrea fructibus congregatis animæ suæ dicere : *Habes multa bona, epulare :* (*Luc.* xii. 19.) ubi quamdam increpationem divinæ vocis accipiat, audiatque dicentem : *stulte, hac nocte reposcunt animam tuam à te, quæ autem præparasti, cujus erunt?* (*Ibid.* 20.)

Serm. 92. *De Jejunio* 7. *mensis* 9. *cap.* 3. Ideò enim ipsa continentiæ observantia, quatuor est assignata temporibus, ut in idipsum totius anni redeunte decursu, cognosceremus non indesinenter purificationibus indigere, semperque esse nitendum, dum ejus vitæ varietate jactamur, ut peccatum, quod fragilitatem carnis et cupiditatum pollutione contrahitur, jejuniis atque eleemosynis deleatur.

Vide etiam suprà litt. (A) *hocce* §. *Serm.* 15. 18. *et* 19.

(C) S. Greg. Magn. *Past. curæ part.* 1. *cap.* 1. Sunt nonnulli qui intra sanctam Ecclesiam per speciem regiminis gloriam affectant honoris ; videri doctores appetunt, transcendere cæteros concupiscunt, atque attestante veritate, *primas salutationes in foro, primos in cœnis recubitus, primas in conventibus cathedras* quærunt : (*Matth.* xxiii. 6. *et* 7.) qui susceptum curæ Pastoralis officium ministrare dignè tantò magis nequeunt, quantò ad humilitatis magisterium ex sola elatione pervenerunt. Ipsa quippe in magisterio lingua confunditur, quando aliud dicitur et aliud docetur. Contra quos Dominus per Prophetam queritur, dicens : *Ipsi regnaverunt, et non ex me : principes exstiterunt, et non cognovi.* (*Osee.* viii. 4.) Ex se namque, et non ex arbitrio summi Rectoris regnant, qui nullis fulti virtutibus nequaquam divinitùs vocati, sed sua cupidine accensi, culmen regiminis rapiunt potiùs, quàm assequuntur. Quos tamen internus Judex et provehit, et non cognoscit : quia quos permit-

I. Quà mente jejunandum in quatuor temporibus ?

R. Ex mente Ecclesiæ mox expositâ jejunandum, et jejunio adjungenda oratio, solitudo, bona opera, etc.

I. Quid sunt jejunia Vigiliarum ?

R. Sunt jejunia, quæ in festorum solemniorum vigiliis præcipiuntur ab Ecclesia.

I. Cur præcipiuntur ?

R. Ut per Jejunium et pœnitentiam disponant se fideles ad illas solemnitates.

I. Cur dies illi vocantur Vigiliæ ?

R. Quia pridiè majorum solemnitatum ad multam noctem olim conveniebant fideles in Ecclesiam ad celebrandas Dei laudes, ut fit etiamnum in vigilia Nativitatis Domini. (D)

tendo tolerat, profectò per judicium reprobationis ignorat. Undè ad se quibusdam et post miracula venientibus dicit : *Recedite à me operarii iniquitatis, nescio qui estis.* (*Luc.* XIII. 27.) Pastorum imperitia voce veritatis increpatur, cùm per Prophetam dicitur : *Ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam.* (*Isaï.* LVI. 27.) Quos rursùm Dominus detestatur, dicens : *Et tenentes legem nescierunt me.* (*Jerem.* II. 8.) Et nesciri ergo se ab eis veritas queritur et nescire se principatum nescientium protestatur : quia profectò hi qui ea quæ sunt Domini nesciunt, à Domino nesciuntur, Paulo attestante qui ait : *Si quis autem ignorat, ignorabitur.* (1. *Cor.* XIV. 38.) Quæ nimirùm Pastorum sæpè imperitia meritis congruit subjectorum : quia quamvis lumen scientiæ suâ culpâ exigente non habeant, districto tamen judicio agitur, ut per eorum ignorantiam hi etiam qui sequuntur offendant. Hinc namque in Evangelio per semetipsam veritas dicit : *si cæcus cæco ducatum præbeat, ambo in foveam cadunt :* (*Matth.* XV. 14.) Hinc Psalmista non optantis animo, sed prophetantis ministerio denuntiat, dicens : *obscurentur oculi eorum ne videant, et dorsum illorum semper incurva.* (*Psal.* LXVIII. 24.) Oculi quippe sunt, qui in ipsa honoris summi facie positi, providendi itineris officium susceperunt : quibus hi nimirùm qui subsequenter inhærent, dorsa nominantur. Obscuratis ergo oculis dorsum flectitur ; quia cùm lumen scientiæ perdunt qui præeunt, profectò ad portanda peccatorum curvantur opera qui sequuntur.

Epistol. lib. 7. *Epist.* 7. *ad Petrum, etc.* Prætereà assiduis insistere Fraternitas vestra precibus debet, ut omnipotens Deus in prædicto fratre et consacerdote nostro benè cœpta custodiat, et semper ad meliora perducat. Hoc sanctissimis vobis, hoc subjecto ei populo semper orandum est. Nam ita sibi regentium merita connectuntur et plebium, ut sæpè ex culpa Præsidentium deterior fiat vita subjectorum, et sæpè ex merito plebium delinquat vita Pastorum. Quia enim mala actio Præsidentis valdè nocet subditis, testantur Pharisæi, de quibus scriptum est : *Clauditis regnum cœlorum ante homines. Vos enim non intratis, nec introëuntes sinitis introire.* (*Matth.* XXIII. 13.) Et quia culpa plebium multùm nocet vitæ Pastorum, in David facto cognoscimus. (2. *Reg.* II. *et* XIV.) Ille enim Deo attestante laudatus, ille supernorum mysteriorum conscius, tumore repentinæ elationis inflatus, populum numerando peccavit, et tamen vindictam populus, David peccante, suscepit. Cur hoc ? Quia videlicet secundùm meritum plebium disponuntur corda regentium. Justus verò judex peccantis vitium ex ipsorum animadversione corripuit, ex quorum causa peccavit. Sed quia ipse suæ scilicet voluntate superbiens, à culpa alienus non fuit, vindictam culpæ etiam ipse suscepit. Nam ira sæviens, quæ corporaliter populum perculit, Rectorem quoque populi intimo cordis dolore prostravit. Hæc itaque considerate invicem, et sicut is qui vobis, plebibusque prælatus est, intercedere pro omnibus, ita pro ejus conversatione, et moribus orare omnes debetis, ut apud omnipotentem Deum, et vos illius valeatis imitatione proficere, et ille meritis vestris adjuvetur.

(D) *En antiquissimum Vigiliarum apud Christianos usitatarum exem-*

plum. ACT. XX. 7. Unà autem sabbati cùm convenissemus ad frangendum panem, Paulus disputabat cum eis profecturus in crastinum, protraxitque sermonem usque in mediam noctem.... 11.... Frangensque panem et gustans, satisque allocutus usque in lucem, sic profectus est.

CONSTIT. APOST. *Lib.* 1. *cap.* 18. Sabbato usque ad galli cantum jejunium producite, pervigilantes usque ad galli cantum, et in Ecclesia in unum congregati preces et supplicationes Deo in pernoctatione vestra adhibentes. Item legem, et Prophetas, Psalmos usque ad galli cantum legentes, et Catechumenos baptizantes, etc.

S. EPIPHAN. *in expos. fidei, n.* 22. *circa medium.* Pervigilia verò sex obeunt, ac totidem synaxes. Quibusdam in locis in ea solùm nocte quæ quintam feriam sequitur, et in feriam sextam desinit; atque in ea quæ Dominicam antecedit pervigilant.

TERTULL. *Lib.* 2. *ad uxor. cap.* 4. Quis nocturnis convocationibus, si ita oportuerit, à latere suo adimi libenter ferat? Quis denique solemnibus Paschæ abnoctantem securus sustinebit?

His nempè argumentis utitur ad abducendas virgines Christianas à nuptiis cum pagano contrahendis. Quod frequentes fuisse tunc temporis vigilias probat, maximè verò persecutionis tempore.

AUCTOR *Serm.* 33. *seu* 41. *apud* S. AMBROS. *in Append.* S. AUG. 146. *in Quadrag.* 7. *ex Vigner.* 13. *n.* 2. An putas illum jejunare, qui primo diluculo ad Ecclesiam non vigilat?

N. 4. Surgentes primo diluculo ad Ecclesiam festinemus, referamus Deo gratias.

AUCTOR *Serm.* 34. *nunc* 23. *in Append.* S. AMBROS. *de Quadrag.* 7. *n.* 3. Ille enim facit Quadragesimam, qui jejunando et vigilando ascendit ad Pascha.

S. HIERONYM. *Epist.* 7. *aliàs* 7. *ad Lætam, de Inst. Filiæ, pag.* 594. *lineâ ult.* Vigiliarum dies et solemnes pernoctationes sic virguncula nostra celebret, ut ne transverso quidem ungue à matre discedat.

S. AUG. *Epist.* 65. *aliàs* 236. *ad Xantippum, n.* 1. (*Presbyter*) convictus atque confessus est die jejunii Natalis Domini, quo etiam Gippitana Ecclesia sicut cæteræ jejunabant,.... prandisse et cœnasse.

N. 2. Ego certè Presbyterum qui die jejunii, quo ejusdem loci etiam Ecclesia jejunabat,... prandere et cœnare ausus est,... removendum ab officio Presbyterii arbitratus sum, timens ei deinceps Ecclesiam Dei committere.

S. PAULIN. *Natal.* 7. *de S. Felice.*

Nostis eum morem, ut jejunare solemus
Ante diem et serò libatis vesperè sacris,
Quisque suas remeare domos. Tunc ergo solutis
Cœlibus à templo Domini, postquam data fessis
Corporibus requies, sumptà dape: cœpimus hymnos
Exsultare Deo, et Psalmis producere noctem.

S. BERNARD. *Serm. in vigilia SS. Petri et Pauli, n.* 1. In Sanctorum vigiliis necesse est vigilare hominem spiritualem, qui solemnitates eorum celebrare desiderat in spiritu et veritate. Aliæ enim carnalium, aliæ spiritualium vigiliæ. Illi et nitidiores cultus, et epulas præparant lautiores; et fortassis in ipsis vigiliis operantur opera tenebrarum, *lætantur cùm malè fecerint, et exsultant in rebus pessimis.* (*Prov.* II. 14.) Vos non ita didicistis Christum, qui Christum seculi estis,... qui vigilanti oculo vigiliarum nomen debetis attendere. Ad hoc enim vigiliæ proponuntur, ut evigilemus, si in aliquo peccato vel negligentia dormitamus, et præoccupemus faciem Sanctorum in confessione. Non sic filii hujus seculi, non sic, *qui potentes sunt ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem* (*Isaï.* V. 22.), qui obdormierunt in flagitiis et facinoribus suis.... Et frustrà sonat eis nomen vigiliarum sanctarum, cùm ipsis magis dormire studeant quàm vigilare. Vos autem nonestis filii noctis, neque tenebrarum, sed lucis et diei, ut non vos præoccupent natalitii Sanctorum dies, et inveniant imparatos.

Legere operæ pretium est R. P. THOMASS. *Congr. Orat. Gallic. Sacerd. Tract.* de Jejun. *Part.* 1. *Cap.* 18. *et Part.* 2. *Cap.* 14.

L. BOCHELLI *Decret. Eccl. Gallic. lib.* 4. *tit.* 12. *de vigiliis et jejuniis.*

Ex CONCIL. ANTISSIOD. *ann.* 614. *cap.* 9. Non licet compensas in domibus propriis, nec vigilias in festivitatibus Sanctorum facere, nec inter sentes aut arbores sacrivos, vel ad fontes vota exsolvere: sed quicunque votum habuerit, in Ecclesia vigilet, et matricolæ ipsum votum, aut pauperibus reddat, nec subtilia aut pede, aut hominem lineo fieri penitùs præsumat.

Ex eod. Concil. cap. 10. Non licet in vigilia Paschæ ante horam secundam noctis, vigiliam expedire; quia in illa nocte non licet post mediam noctem bibere, nec in Natali Domini, nec in reliquis solemnitatibus.

Ex eod. Concil. cap. 11. Omninò et inter supradictas conditiones, vigilias, quas in honore Domini observant omnibus prohibemus.

Ex SYNODALIB. *Ecclesiæ* RHEMENS. *cap.* 13. Præcipiant Sacerdotes statuta jejunia servari, videlicet jejunium Quadragesimæ, jejunium quatuor temporum omnium vigiliarum ab Ecclesia statutarum ad jejunandum. Quia, qui non jejunat his temporibus, et diebus, postquam annos pubertatis compleverit, nisi ex causa canonica fuerit excusatus, mortale peccatum incurrit.

Ex SYNOD. Galonis et Simonis *Legator. cap.* 14. Sacerdotes præcipiant omnibus habentibus adultam ætatem instituta jejunia observare, ut jejunium Quadragesimæ, quatuor temporum, vigiliarum Nativitatis Domini, Assumptionis beatæ Mariæ, beati Joannis-Baptistæ, Apostolorum Petri et Pauli, Andreæ, Jacobi, beati Matthæi, Simonis et Judæ, Laurentii Martyris, et omnium Sanctorum, jejunium in Litania majori, scilicet die beati Marci Evangelistæ, et in vigilia Ascensionis et Pentecostes. Si qua autem de vigiliis prætaxatis die Dominicâ evenerit, indicendum est jejunium sabbati præcedentis.

Ex CONCIL. BITUR. 1584. *cap.* 34. Servetur vigilia Nativitatis Domini, ad imitandum pietatem pastorum, qui Christo Domino ea nocte adorationis munus impenderunt. Reliquæ vigiliæ pro more locorum, et ex mandato Catholicæ Ecclesiæ cum celebratione proprii cujusque Ecclesiæ officii serventur. Ideoque semper Dominicâ præcedente in Ecclesiis proclamentur, ne vitio ignorantiæ ea à laïcis solvi contingat.

ODO Paris. Episc. *in Synod. cap.* 35. Omnes præcipiant instituta jejunia servari, ut jejunium Quadragesimæ, quatuor temporum, vigiliarum, nisi ex magna et rationabili causa contrà fiat, et sextæ feriæ: ex debito enim tenentur facere talia jejunia.

Ex SYNODALIB. *Ecclesiæ* TRECENS. *cap.* 18. Sacerdotes debent inducere populum ad hoc, ut omnes habentes ætatem legitimam observent jejunia ab Ecclesia instituta, sicut est jejunium Quadragesimæ, quatuor temporum, vigiliæ Nativitatis Domini, sancti Joannis-Baptistæ, sancti Laurentii, Assumptionis beatæ Mariæ Virginis, omnium Sanctorum, Pentecostes, Apostolorum, et maximè illorum qui in his versibus continentur,

Petrus, et Andræas, Paulus, cum Simone Judas,
Ut jejunemus nos admonet atque Matthæus.

In aliis autem Apostolis consuetudo loci servetur: et de aliis jejuniis. In festo sancti Marci nullus carnes comedat, et multum est salubre jejunare. Et si in hebdomada Paschæ dictum festum evenerit, non celebretur donec in hebdomada post Quasimodo. Et die qua celebrabitur, ab esu carnium abstinetur: et jejunetur ad minus quousque processio fiat.

Ex iisd. Synodalib. cap. 20. Sanctorum vigiliæ, quorum festivitates feriâ secundâ occurrerint, non sunt die Dominica jejunandæ, sed in præcedenti sabbato.

Ex SYNOD. PARIS. 1557. *cap.* 49. *Quæ jejunia solita sint observari.* Jejunium Quadragesimale. Jejunium quatuor temporum ut supra designatorum. Vigilia Nativitatis Domini. Vigilia Pentecostes. Vigilia nativitatis Joannis-Baptistæ. Vigilia sancti Laurentii. Vigilia Assumptionis beatæ Mariæ. Vigilia omnium Sanctorum. Vigilia sancti Petri et Pauli Apostolorum. Vigilia beati Matthæi Apostoli et Evangelistæ. Vigilia beatorum Apostolorum Simonis et Judæ. Vigilia sancti Andreæ Apostoli. Diebus sancti Marci Evangelistæ et Rogationum, à carnibus abstinendum. Si festum sanctæ Crucis, et beatæ Luciæ die mercurii evenerint, jejunium quatuor temporum in sequentem hebdomadam transferendum est. Quo-

diam verò die Dominicâ non jejunatur, vigiliæ festorum die lunæ occurrentium, sabbato præcedente jejuniis religiosè sunt transigendæ. Si festum sancti Marci die Dominicâ evenerit, in feriam secundam jejunia et supplicationes transferantur. Toleramus etiam usum carnium diebus sabbati à festo Nativitatis Domini usque ad festum Purificationis beatæ Mariæ Virginis. Aliis verò temporibus tam diebus veneris quàm sabbati prohibemus: ac permittimus ægrotantes, et imminenti periculo laborantes, carnium et ovorum usum retinere tam in Quadragesima, quàm cæteris diebus ab Ecclesia prohibitis: sed de duorum medicorum consilio, veniaque priùs à nobis petitâ et obtentâ, aut à Parocho suo, si propter locorum distantiam nos adire commodè non possint.

D. Edm. Martenne è Cong. S. Mauri *Tract. de antiqua Eccl. discipl. in divinis celebrand. offic. cap.* 7. *n.* 1. Quanta sit nocturnarum vigiliarum utilitas fusiùs hic exponere non est animus; cùm teste Nicetio Episcopo tractatu de vigiliis servorum Dei cap. 4. ipsa sentiri magis possit per exercitium, quàm loquentis sermone narrari. Quis enim explicare valeat, ut ait idem auctor, quantus vigilando mentis stupor excutitur, quanta lux animam vigilantis illustrat, quæ gratia, quæ sancta visitatio membra universa vigilantis lætificat? « Vigilando, *inquit*, timor omnis excluditur, » fiducia nascitur, caro maceratur, vitia tabescunt, castitas roboratur, » cedit stultitia, accedit prudentia, mens acuitur, error obtunditur, » criminum caput diabolus gladio spiritûs vulneratur, etc. » Cùm ergo tanta sit nocturnarum vigiliarum utilitas, haudquaquam mirum videri debet, si tam in veteri quàm in novo Testamento veris Dei cultoribus tanto fuerint in pretio. David *mediâ nocte* surgebat *ad confitendum Deo super judicia justitiæ suæ.* (*Ps.* cxviii. 62.) * *De nocte vigilat spiritus meus ad te Deus*, inquit Isaïas. (xxvi. 9.) Ipse Dominus Jesus pernoctabat in oratione. (*Luc.* vi. 12.) Paulus et Silas mediâ nocte surgebant ut divinis laudibus operam darent. (*Act.* xvi. 25.) Horum exemplo primi Christiani sacris se vigiliis toti dediderunt, testimonium piæ hujus observationis perhibentibus ipsis etiam Ethnicis: Nam Plinius junior lib. 10. Epist. 97. scribens de Christianis ad Trajanum, *affirmabant*, ait, *hanc fuisse summam vel culpæ suæ, vel erroris, quòd essent soliti stato die ante lucem convenire, carmenque Christo quasi Deo dicere secum invicem.* Clarius Lucianus in Philopat. Christianos loquentes inducens: *Ad hymnos totâ nocte decantandos vigilantes talia somniamus.* Et Ammianus Marcellinus lib. 28. *In stationc primis tenebris observatâ custodum absentiâ, qui die festo Christiani ritûs in Ecclesia pernoctabant.* Hæc cùm ita perspicua se habeant, quid juvat plura veterum Scriptorum Ecclesiasticorum testimonia hic congerere ad probandas solemnes primorum Christianorum vigilias? Quid Lactantium commemorem, qui in lib. 7. de divinis institutionibus cap. 19. *Nocte*, inquit, *vigilias celebramus propter adventum Regis ac Dei nostri; cujus noctis duplex est ratio, quòd in ea et vitam tunc recepit, cùm passus est, et postea orbis terræ regnum recepturus est.* Quid Cyrillum Hierosolymitanum in cujus catechesi 9. hæc lego: *Quid nocte ad sapientiam? Nam in ea sæpè de Deo cogitamus, in ea divinorum oraculorum lectionem et contemplationem meditamur. Quandonam majori mens nostra contentione Psalmos canit et preces fundit? Nonne noctu.* Quid Socratem Scholasticum lib. 2. historiæ Ecclesiasticæ cap. 11. de populo Alexandrino loquentem in hæc verba: *Jam dies vergebat in vesperam, et populus in Ecclesia pernoctabat, eò quòd collecta exspectaretur.* Et libro 6. cap. 7. loquens de S. Joanne Chrysostomo, *Primus*, inquit, *precationes quæ in nocturnis hymnis fieri solent amplificavit.* Idem Chrysostomus, testante Palladio in ejus vita, *hortabatur populos ut in nocturnis precibus assidui essent, horum autem uxores domi remanerent, eas interdiù orare exhortans, quod viri interdiù non vacarent.* Ejus exhortationem inanem sanè aut vacuam haud quaquam fuisse discimus ex Sozomeno: nam ut ipse scribit lib. 8. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 7. *Exinde populus Constantinopolitanus matutinis et nocturnis hymnis promptiùs uti cæpit.* Quæ verba uti et ea quæ in Socrate retulimus, ostendunt vigilias non minùs laïcorum quàm clericorum exercitium fuisse. Paulò ante Chrysostomum sub Ambrosio Antistite primùm antiphonæ, hymni et vigiliæ in Ecclesia Mediolanensi celebrari cœperunt, uti scribit Paulinus in ejus vita. Quantus

fuerit Zenonis Majumensis Ecclesiæ præsulis zelus in explendo hoc servitutis penso tradit Sozomenus libro 7. cap. 28. his verbis: *aiunt certè, imò nos quoque ipsi vidimus eum cùm Majumæ Ecclesiam gubernaret jam senem ac centum annos circiter natum, nunquam à matutinis aut vespertinis hymnis, aut à reliquo divino officio abfuisse nisi morbus detineret.* Ex Epistola quoque Pelagii Papæ ad Joannem Defensorem, vigilias in Ecclesia quotidie celebratas fuisse discimus. Pluribus Gregorii Turonensis testimoniis idem comprobare possemus : pula ex libro 2. Historiæ Francorum cap. 23. ex lib. 9. cap. 6. ex lib. 10. cap. 31. ubi vigilias à S. Perpetuo institutas commemorat, ex libro 8. de vitis Patrum cap. 8. atque ex Fortunato lib 2. carm. 10. S. Cæsarius quoque Arelatensis Episcopus sermone 140. Appendicis S. Augustini plebem suam alloquens, *Rogo vos*, ait, *Fratres charissimi, ad vigilias matutinas surgite:.... nullus se à sancto proposito subtrahat, nisi quem infirmitas aut publica utilitas, aut fortè certa et grandis necessitas tenuerit occupatum.*

N. 3. Neque verò existimandum est hæc fuisse primorum duntaxat Christianorum exercitia, cùm calens adhuc Servatoris nostri sanguis ipsos ad omnia pietatis opera excitaret. Idem subsecutis seculis fervor exstitit, eadem disciplina, in Cathedralibus præsertim Ecclesiis, imò et in Parochialibus. Certè inter Capitula quæ ineunte seculo 9. Abito Basileensis Episcopus suæ Diœcesis Presbyteris dedit, cap. 24. statuit ut *horas canonicas tam nocturnas quàm diurnas nullatenus prætermittant.* Wala qui circa annum 877. Antissiodorensem rexit Ecclesiam, *nocturno non modò ipse minimè deerat officio, sed et absentes nominatim requirebat, fratres, puerosque*, uti legimus in Historia Episcoporum Antissiodorensium cap. 39. seculo 9. Ratherius Veronensis Ecclesiæ Præsul in Synodica ad Presbyteros epistola scribebat : *Omnì nocte ad nocturnos surgite.* Seculo 12. Guibertus Abbas in libro de vita sua, loquens de matre sua, *nocturnis*, inquit, *officiis vix aut nunquam deerat.* In sequenti seculo 13. Jacobus à Vitriaco in Historia Occidentali capite 34. parochum ita alloquebatur : *Procuret in quantum commissi sibi gregis permittit frequens ministerium, ut nocturnum officium nocte peragatur.* In Synodo Rothomagensi anni 1236. hæc etiam legimus : *Præcipimus quòd quilibet Sacerdos in Parochia sua, seu capellanus in capella sua dicat matutinas de nocte.* Et in Concilio Ravennense anni 1286. cap. 5. *Campanæ horarum in nocte et die tantùm pulsentur, quòd omnes confratres se possint parare ad intrandam Ecclesiam.* Denique in Florentina Ecclesia eadem vigebat disciplina seculo 15. quoad annum 1459. Apud Raynaldum S. Antoninus Florentinus Archiepiscopus, *surgebat noctu semper adeoque sollicitè, ut signum matutini officii Cathedralis Ecclesiæ præveniret.*

N. 4. Quid quòd nec ipsi Imperatores, Reges aut Principes nocturnis vigiliis deesse voluerunt : Carolus Magnus, teste Eginardo, « Ecclesiam » manè et vesperè, item nocturnis horis et sacrificii tempore, quoad eum » valetudo permiserat, impigrè frequentabat. *Geraldus Comes Auriliacen-* » *sis, ut scribit S. Odo in ejus vita lib. 2. cap.* 16. « nocturno tempore cunc- » tos in Oratorio diutiùs prævenire solebat : quo expleto, solus remanere » solitus erat. *Alfredus Rex Anglorum, testante Willelmo Malmesburiensi*, » inter bella et præsentis vitæ frequentia impedimenta, necnon pagano- » rum infestationes et quotidianas corporis infirmitates, inter regni guber- » nacula, nihilominùs Missam quotidiè audire, psalmos quosdam et ora- » tiones, et horas diurnas et nocturnas celebrare, et Ecclesiam nocturno » adire à tempore orationis causà clam à suis adire solebat. « *S. quoque Ludovicus, ut discimus ex auctore coævo* « omnes horas canonicas, et de gloriosa » Virgine, semper cum nota audiebat : submissè tamen easdem inter se et » capellanum suum, et pro defunctis novem lectiones quotidie dicebat. » Medià nocte surgebat ad confitendum Domino, et Regina bonæ memo- » riæ aliquando cum propter frigus de vestimento aliquo operiebat. » Denique ut prætereamus S. Hedwigim Poloniæ Ducissam et S. Elizabeth Hungarorum Regis filiam, Ferdinandus cognomento Magnus Legionis et Castellæ Rex *Ecclesiam vesperè et manè, nocturnisque horis, et sacrificii tempore frequentabat, interdum cum clericis in Dei laudibus modulando, interdum et iam vices cantoris explebat*, ut scribit Rodericus de rebus Hispanicis lib. 6. cap. 13. His adjicio exemplum Godefridi Bullonii, de quo Willelmus Tyrius lib. 6. cap. 9. *Adduxerat peregrinationem ingressurus de*

I. Cur aguntur multæ vigiliæ sine jejunio?

R. Quia erant olim festa quædam quorum vigiliæ nocte agebantur in Ecclesia sine jejunio. (E)

I. Cur jam non celebrantur noctu vigiliæ illæ in Ecclesia?

R. Jam diu conventus illos nocturnos sustulit Ecclesia, propter abusus inde sæpiùs erumpentes. Solam Nativitatis Domini vigiliam nocte celebrat. (F) Sunt tamen etiamnum Ecclesiæ nonnullæ in quibus vigilia Paschatis et solemnitatum aliquot aliarum nocte aguntur.

claustris benè disciplinatis monachos vivos religiosos, et sanctâ conversatione insignes qui toto itinere horis diurnis et nocturnis Ecclesiastico more divina illis ministrabant officia.

N. 5. Jam verò si quis rescire desiderat quænam potissimùm noctis hora ad persolvendas Domino laudes delecta ab antiquis fuerit: Respondemus eam in Ecclesia per plurima secula præsertim observatam fuisse, quam in veteri Testamento David, in novo Paulus suo exemplo præmonstrarunt, hoc est, duodecimam: uterque enim mediâ nocte ad confitendum nomini Domini surrexisse memoratur. Hinc S. Joannes Chrysostomus homiliâ 26. in Acta, *non ideò*, inquit, *facta est nox, ut per totam dormiamus, et otiosi simus. Testantur hoc opifices et nautæ negotiatores. Ecclesiæ Dei mediis surgit noctibus*, etc. Et S. Basilius in Regulis fusiùs disputatis cap. 37. *De tempore autem dimidiæ noctis, quòd id ad orationem necessarium sit, traditum nobis est à Paulo et Sila: in Actis scriptum est enim sic*: «Circa citer autem mediam noctem Paulus et Silas laudabant Deum.» Atque hæc quidem etiam Auctor psalmorum confirmat, sic dicens: *mediâ nocte surgebam ad confitendum tibi super justitiæ tuæ* judicia (*Psal.* CXVIII. 62.) Eamdem regulam Demetriadi virgini servandam proposuit S. Hieronymus ad ipsam scribens in hæc verba: *nunc tantùm ad virginem loquar, id est, non ea, quæ extra te, sed in te sunt, tantùm considerans. Prater psalmorum et orationis ordinem, quod tibi horâ tertiâ, sextâ, nonâ, ad vesperum, noctis medio, et manè semper est exercendum, statue quot horis sanctam Scripturam edicere debeas.* Et institutæ in Paulæ monasterio disciplinæ rationem referens in ipsius vita, *manè*, inquit, *horâ tertiâ, sextâ, nonâ, vesperè, noctis medio per ordinem psalterium canebant.* His adjunge Gregorii Turonensis testimonium et exemplum qui in libro 9. Historiæ Francorum cap. 6. de seipso ita habet: *Nos verò ignari facti mediâ nocte surgentes ad reddendas Domino gratias*, etc. Hæc ille Parisiis existens: unde colliges non clericos solùm propriis residentes in Ecclesiis, sed peregrè etiam profectos mediâ olim nocte surrexisse.

N. 6. Seculo 8. ab hac institutione paululùm deflexit Grodogandus Metensis Episcopus; *atque deinceps collapsâ Ecclesiæ disciplinâ, refrigescente in dies non populi modò, sed et clericorum pietate, omnes ferè Ecclesiæ (aliquot tantùm exceptis, imprimis Metropolitanâ Parisiensi Ecclesiâ quæ nocturnas hodie vigilias mediâ nocte celebrat,) vesperè vel manè officium nocturnum persolverunt, atque ita abolitæ sunt apud clericos vigiliæ, quæ apud populos ob scandala sublatæ fuerant: ut ex infrà allatis testimoniis patet, hujusce 2. litt.* (G)

(E) Lanfrancus *in Stat. Ord. S. Bened. Sect.* 2. *Cap.* 1. In vigilia Epiphaniæ non jejunetur.

(F) R. P. Thomass. *Tract. de jejun. Part.* 2. *Cap.* 14. *n.* 11. Le Concile d'Oxfort, sous Etienne, Archevêque de Cantorbery en 1222. marqua environ les mêmes veilles pour veiller, *Hæ sunt vigiliæ statutæ ad vigilandum;* ce sont les jeûnes plutôt que les veilles, que ce Concile veut ordonner, puisqu'il y met le jour de saint Marc et les Rogations. La veille de la Pentecôte y est. Quant aux Apôtres, il n'y a que celles qui sont dans les Ordonnances Synodales de France, dont nous avons parlé, et celle de saint Thomas.

N. 12. A l'occasion de ce Statut du Concile d'Oxfort, qui fait connaître qu'en général les veilles étaient instituées pour veiller, nous dirons qu'on les passait actuellement au moins en partie dans l'Eglise en veil-

I. **Præter Jejunia Quadragesimæ, quatuor temporum et vigiliarum nunquid et alia observantur.**

R. **Jejunabatur olim per totum Adventum in quibusdam Ecclesiis.** (G) **Olim quâlibet feriâ sextâ et sabbato jejunium**

lant, priant, psalmodiant. Le Concile de Paleuce tenu à Valladolid en 1322. où présidait un Légat du saint Siége, défendit à l'avenir ces veilles de nuit dans l'Eglise, à cause des abus qui s'y commettaient. *Quia igitur in nocturnis vigiliis, quas in Ecclesiis fieri aliquorum simplicium devotio introduxit, nefanda sæpè et enormia sub hac boni specie committuntur, ipsas fieri de cætero firmiter prohibemus.* L'un de ces abus était qu'on faisait entrer dans l'Eglise, des Maures infidèles avec leurs instrumens de Musique, pour joindre leurs profanes concerts avec la sainte psalmodie de l'Eglise. *Infideles verò quoscunque ad vigilias ill. s adducere, vel procurare, ut quibuslibet instrumentis, etc.* Comme ce Concile dit qu'il n'y avait que des gens simples qui assistassent à ces veilles, il est à croire, que l'indévotion des fidèles, ou les défenses des Pasteurs les avaient déjà comme abolies. Gaulier Evêque de Poitiers les avait défendues en 1280 à cause que dans ce concours de Pélerins qui y venaient, il arrivait souvent que les Eglises étaient souillées, ou par de violentes effusions de sang, ou par des impuretés effroyables : *Cùm ex nocturnis vigiliis, quæ à peregrinantibus in Ecclesiis fieri consueverunt, plerumque contingat Ecclesias ipsas sanguinis vel seminis pollutione fœdari, et alia enormia committi, etc.* Il est vrai que cette défense ne regarde que ces sortes de veilles, où il y avait un grand concours de Pélerins. Mais comme les autres veilles ne pouvaient que difficilement être plus innocentes, il y a apparence que leur durée ne fut guère plus longue. Saint Charles défendit absolument dans son premier Concile de Milan, toutes les veilles qu'on passait dans l'Eglise, excepté celle de Noël; il y implora même le secours des Princes, pour empêcher les Laïques de passer ces nuits des veilles dans l'Eglise. C'est ainsi qu'on a été souvent obligé, pour prévenir les nouveaux abus, de renoncer aux dévotions les plus anciennes.

Bochellus *Decret. Eccles. Gallic. lib. 4. titul. 12. Ex* **Synod.** *Galon. et Simon. Legator. cap. 16.* Item præcipimus, quòd Ecclesiarum Rectores, vel Priores in suis Ecclesiis vigilias à laïcis fieri non permittant, cùm ex ipsis non proveniat nisi malum, nisi forsan in illis Ecclesiis in quibus de devotione fidelium causâ peregrinationis vigiliæ tales ab antiquo consueverunt fieri.

(G) **Bochellus** *Decret. Ecclesiæ Gallic. lib. 4. tit. 12. Ex* **Matiscon. Concil.** *I. ann. 582. c. 7.* Ut à feria sancti Martini usque ad Natalem Domini, secundâ, quartâ, et sextâ sabbati jejunetur, et sacrificium debito, quemadmodum Quadragesimale, ordine celebretur, in quibus diebus canones legendos esse speciali definitione sancimus, ut nullus se fateatur per ignorantiam deliquisse.

Ibid. ex **Synod. Ecclesiæ Trecensis** *cap. 19.* In adventu Domini est multùm commendabile jejunium illis quibus Dominus dederit voluntatem pariter et facultatem, et maximè Clericis.

Jo. Lesguisier Trec. Ep. *in Syn. ann. 1427. cap. 24.* Quia multi contemnunt Ecclesiæ præcepta et mandata servare, propter quod ira Dei plerumque super populum Christianum descendit : statuimus et districtè præcipimus quatenùs de cætero Dominica ante principium Quadragesimæ Curati et Ecclesiarum Rectores inducant et hortentur Parochianos suos ad jejunandum Quadragesimam : quia non potest prætermitti una dies sine peccato mortali, nisi sit rationabilis causa, et fiat cum auctoritate Prælati. Et hoc idem fieri volumus de aliis jejuniis ab Ecclesia constitutis. Inducant etiam populum dicti Curati vel Presbyteri ad jejunandum, vel saltem sobriè vivendum tempore Adventûs Domini : quia tunc est tempus acceptabile et devotione plenum, quod à militante Ecclesia Quadragesimali tempori aliqualiter æquiparatur.

S. Petr. Damian. *lib. 3. Epist. 10.* Initio illius Quadragesimæ quæ Nativitatem Domini ex institutione Ecclesiastica præcedit.

Cætera vide infrà hocce §. litt. (L)

præceptum erat, sicuti nunc abstinentia à carnibus. (H) Et Ecclesiæ nonnullæ non sabbato, sed feriâ quartâ jejunabant. (I) Plures Quadragesimæ quibusdam in locis cum

(H) INNOCENT. I. PP. *Epist.* 1. *Cap.* 4. Non ergo nos negamus feriâ sextâ jejunandum, sed dicimus et sabbato hoc agendum, quia ambo dies tristitiam Apostolis, vel his qui Christum secuti sunt induxerunt.

S. ISIDOR. HISPAL. *lib.* 1. *de Eccles. offic. cap.* 42. Omni sextâ feriâ propter passionem Domini à quibusdam jejunatur, sed et sabbati dies à plerisque, propter quod in eo Christus jacuit in sepulcro, jejunio consecratus habetur, scilicet ne Judæis exsultandum præbeatur quòd Christus sustulit moriendo... præsertim cùm Apostolica Sedes hanc regulam servet.

BOCHELLUS *Decret. Eccles. Gallic. lib.* 4. *tit.* 12. *ex lib.* 6. *Capitul.* CAROLI M. *Capit.* 184. *cap.* 29. Præter hæc autem legitima tempora jejuniorum omni VI. feriâ propter Passionem Domini jejunetur. Sed et sabbati dies à plerisque propter quòd in eo Christus jacuit in sepulcro, jejunio consecratus habetur.

(I) R. P. THOMASS. *Tract. de Jejun. part.* 1. *cap.* 19. *n.* 1. Ces jeûnes ou demi-jeûnes de la quatrième ou de la sixième férie, sont certainement très-anciens dans l'une et l'autre l'Eglise, quoiqu'avec quelque différence principalement en ce que dans l'Eglise Latine c'étaient des jeûnes de dévotion, et dans l'Orient il y en avait une loi. Ils avaient cela de commun dans les deux Eglises, que l'heure de None les terminait; ainsi on les appelait demi-jeûnes, parce que les autres jeûnes étaient prolongés jusqu'à la fin des Vêpres, qui ne finissaient qu'avec le jour.

TERTUL. *lib. de Jejun. paulò post initium.* De cætero differenter jejunandum ex arbitrio, non ex imperio novæ disciplinæ, pro temporibus et causis uniuscujusque, sic et Apostolos observasse, nullum aliud imponentes jugum certorum et in commune omnibus obeundorum jejuniorum (*præter Quadrages.* de quibus suprà egerat;) proindè nec stationum, quæ et ipsæ suos quidem dies habeant quartæ feriæ et sextæ: passivè tamen currant, neque sub lege præcepti, neque ultra supremam diei quando et orationes ferè hora nona concludat de Petri exemplo, quod Actis refertur.

S. CLEMENS ALEX. *Stromat. lib.* 7. *pag.* 744. Novit ipse jejunii quoque ænigmata horum dierum, quarti, inquam, et sexti. Dicitur autem ille quidem Mercurii, hic verò Veneris.

CONSTIT. APOST. *lib.* 5. *cap. ult.* Præcipimus vobis quartis et sextis feriis jejunare.

Lib. 7. *cap.* 24. Jejunia vestra ne sint cum hypocritis communia. Jejunant enim secundâ hebdomadis feriâ et quintâ. At vos aut quinque diebus jejunate, aut quartâ et sexta feriâ.

S. EPIPHAN. *Hæres.* 75. *quæ est Aërii*, *n.* 6. Quis est uspiam terrarum, qui non in eo consentiat, quartam sextamve feriam solemni in Ecclesia jejunio consecratam? Quòd si ex Apostolorum constitutione repetenda nobis auctoritas est, cur illis quartæ sextæve feriæ jejunium perpetuâ lege sancitur, exceptâ Pentecoste.... Qui ante nos testes exstiterunt, quique ante nos eamdem traditionem in Ecclesia tenuerunt, quam et ipsi à parentibus suis acceperant, et ipsorum parentes à majoribus suis didicerant.

In Expos. fid. Cathol. n. 22. Sacri porrò conventus, et synaxes ab Apostolis instituti sunt his potissimùm diebus: quartâ sextaque feriâ et Dominicâ. Item quartâ sextaque feriâ jejunium ad horam usque nonam indictum, propterea quòd quartâ feriâ comprehensus est Dominus, et sextâ in crucem sublatus.... Istiusmodi jejunium toto anno in Ecclesia Catholica diligenter observatur: quartâ, uti dixi, sextaque feriâ ad horam usque nonam.... Pro illis verò sextisve feriis celebrari consueverunt, per illos dies perindè ac Dominicâ die, matutinæ synaxes obeuntur.

R. P. THOMASS. *Tract. de Jejun.* 1. *part. cap.* 19. *n.* 7. Les Aériens en ce point étaient bien opposés aux Montanistes, et ils étaient néanmoins de part et d'autre Hérétiques. Les Montanistes voulaient faire un précepte des jeûnes, des stations; les Aériens voulaient qu'ils fussent libres et arbitraires. Ils étaient également blâmables les uns et les autres, parce

jejunio olim actæ sunt. (K) Sua sunt Orientalibus Ecclesiis qu'ils s'opposaient aux pratiques anciennes, immémoriales, et Apostoliques de leurs Eglises. Aérius voulait rendre arbitraires dans l'Orient ces jeûnes qui étaient commandés. Montan voulait les commander dans l'Occident, où ils étaient arbitraires. La chose en elle-même était indifférente, la détermination en dépendait de l'autorité de l'Eglise, qui est l'Epouse de la sagesse éternelle, et la dépositaire de ses divins pouvoirs; et non pas du caprice des Particuliers, qui sont souvent emportés à des changemens bizarres et tumultueux par le vent de leur folle présomption.

N. 8. Il faut ici remarquer que saint Epiphane n'a pas eu tant de tort de s'autoriser de ce Livre (*des Constitutions Apostoliques*) contre des Hérétiques, en la manière qu'il l'a fait. Car quoique les Doctes conviennent, que les Apôtres ne sont nullement les auteurs de cette compilation de Rubriques, et de pratiques Ecclésiastiques, ils ne disconviennent néanmoins pas, ce me semble, que ce ne soit comme un Rituel des Eglises Orientales des trois ou quatre premiers siècles, où l'on a mis par écrit les usages les plus ordinaires et les plus anciens des Eglises d'Orient, dont on était justement persuadé que l'origine remontait jusqu'aux Apôtres. Tertullien qui vivait à la fin du second siècle, a fait parler toute l'Eglise Latine au même sens que saint Epiphane, et que les Constitutions Apostoliques : savoir, Que les demi-jeûnes de chaque semaine venaient des Apôtres. Si toute l'Eglise Latine était dans ce sentiment à la fin du second siècle, à peine peut-on douter que ce ne fût effectivement une Constitution et une Tradition des Apôtres. Car les premiers Disciples des Apôtres, et leurs Successeurs immédiats ont pu parvenir, et sont parvenus en partie jusqu'aux temps de ceux qui florissaient encore à la fin du second siècle. Saint Epiphane n'a cité le Livre des Constitutions Apostoliques qu'en y joignant la Tradition des Apôtres attestée par l'ancienne pratique et la coutume immémoriale de toutes les Eglises du monde. Car encore que les Occidentaux ne crussent pas que ces demi-jeûnes fussent de précepte : ils étaient néanmoins persuadés que si on avait à jeûner, on devait plutôt jeûner ces deux jours que d'autres. Leur pratique répondait à leur pensée. Ainsi ils étaient également opposés aux extravagances des Acriens, qui affectaient de jeûner plutôt en d'autres jours.

ORIGENES *Hom.* 10. *in Levit.* Habemus Quadragesimæ dies jejuniis consecratos; habemus quartam et sextam septimanæ dies, quibus solemniter jejunamus. Est certè libertas Christiano per omne tempus jejunandi, non observantiæ superstitione, sed virtute continentiæ.

PETRUS Archiepiscopus Alexand. *c.* 15. Non reprehendet nos quisquam quartam et sextam feriam observantes, in quibus nobis jejunare secundùm traditionem præceptum est.

FERRAND. Diacon. *in vita S. Fulgentii cap.* 29. Per singulas septimanas omnes clericos et viduas et quicunque potuisset ex clericis quartâ et sextâ feriâ statuit jejunare.

S. ISIDOR. HISPAL. *Origin. lib.* 6. *cap.* 19. Quartæ feriæ et sextæ jejunium, ex veteri lege præceptum.

RATRAM. *Lib.* 4. *cap.* 3. *Spicil. tom.* 2. *pag.* 119. Nec tamen hoc jejunium quod quartâ sive sabbati sextâ celebratur, ab omnibus Ecclesiis, vel Orientalibus, vel Occidentalibus peragitur : sed à quibusdam, quibus id placuit observare. Nec tamen propterea qui jejunant his diebus reprehenduntur ab eis qui prandent : sed tenet unaquæque Ecclesia morem quem à majoribus suis suscepit. Qua de re mirandum cur à Græcis Romani reprehendantur super jejunio sabbati, cùm non redarguantur ab eis vel Alexandrini, quartâ sextaque feriâ jejunantes, vel reliqui per Orientem Christiani : cùm constet Constantinopolitanos quartâ sive sextâ sabbati ut jejunent nullâ lege, vel consuetudine constringi.

NICOLAUS I. *Resp. ad Consult. Bulg. cap.* 4. In sextâ feriâ omnis hebdomadæ, et in vigiliis cunctis insignium festivitatum à carnium esu cessandum et jejuniis incumbendum.... Quartâ autem feriâ quamvis à cæteris diebus præter sextam feriam sit ampliùs mœroribus incumbendum, tamen si quis vestrùm vult, eodem die potest omninò carnes comedere.

(K) CONSTIT. APOST. *Lib.* 5. *cap. ult.* Post celebratam Pentecosten

peculiaria jejunia, quæ non agimus. Agimus et nos jejunia quædam ipsis incognita. Potest quilibet Episcopus in sua diœcesi jejunia quædam pro variis necessitatibus præcipere : potest et jejunia præcepta abrogare. (L) Suus cuique

celebrate heb lomadam unam. Post illam jejunate item unam. Æquum enim est, tum lætitiam de dono Dei capere, tum post relaxationem corporis rursùs jejunare.

CONCIL. TURON. II. *ann.* 567. *can.* 17. Post Quinquagesimam (*id est Pentecosten*) totà hebdomade ex asse jejunent.... De Decembri usque ad Natale Domini omni die jejunent.

BOCHELLUS *Decret. Eccles. Gallic. lib.* 4. *tit.* 12. *ex lib.* 6. *Capitul.* CAROLI MAGN. *cap.* 29. Iterùm admoneant Sacerdotes, ut jejunia tria legitima in anno agantur, id est, 40. dies ante Nativitatem Domini, et 40. ante Pascha, ubi decimas anni solvimus; et post Pentecosten 40. dies. Quanquam enim nonnulla ex his canonicà priventur auctoritate, nobis tamen omnibus simul propter consuetudinem plebis, et parentum nostrorum morem hæc observare convenit.

NICOLAUS I. PP. *in resp. ad consult. Bulgaror. illis quatuor ad jejunandum assignat tempora.* Quadragesimali videlicet tempore, quod est ante Pascha, jejunio post Pentecosten, jejunio ante solemnitatem Assumptionis sanctæ Mariæ Dei genitricis, necnon jejunio ante Natalis Domini festivitatem : quæ jejunia, *inquit*, sancta Romana Ecclesia suscepit antiquitùs et tenet.

AMALAR. *lib.* 1. *de Eccles. offic. cap.* 36. Duas varietates habemus in Ecclesia nostra de jejunio, quod fit post Resurrectionem Domini. Aliqui secundùm nostrum vulgarem usum, statuunt terminum Quadragesimalis jejunii in festivitate sancti Joannis. Illi qui hoc faciunt, non possunt semper dies Pentecostes excludere à jejunio. Aliqui volunt secundùm traditiones sanctorum Patrum.... omnes dies Pentecostes habere in lætitia. Qui hoc faciunt, non possunt semper terminum hujus Quadragesimæ facere in festivitate sancti Joannis, etc.

Lib. 4. *cap.* 37. Nos observamus tres Quadragesimas, id est, ante Pascha Domini, circaque festivitatem sancti Joannis, et ante Nativitatem Domini.

VENERAB. BEDA. *Hist. Angl. lib.* 3. *cap.* 27. Addidit votis (Egbertus) quæ diximus, ut in Quadragesima semper non plus quàm semel in die reficeretur : non aliud quàm panem ac lac tenuissimum, et hoc cum mensura gustaret.... C. jus modum continentiæ etiam quadraginta diebus ante Nativitatem Domini, totidem quoque post peracta solemnia Pentecostes, hoc est, Quinquagesimæ observare solebat.

(L) S. AUG. *Epist.* 36. *aliàs* 70. *ad Casul. cap.* 14. *n.* 32. Quoniam contingit maximè in Africa, ut una Ecclesia, vel unius regionis Ecclesiæ alios habeant sabbato prandentes, alios jejunantes, mos eorum mihi sequendus videtur, quibus eorum populorum congregatio regenda commissa est.... Episcopo tuo in hac re noli resistere, et quod facit ipse, sine ullo scrupulo vel disceptatione sectare.

Ex SYNOD. TURON. III. *sub Carolo Magno cap.* 12. Jejunia quando generaliter pro aliqua necessitate indicuntur, diligenter ab omnibus custodienda sunt et observanda. Nec se aliquis improbitate gulæ patiatur corrumpi : ut de communi consortio sequestratus, effectum jejunii, quem cum cæteris abstinendo consequi debuit, ingluvie ventris victus, turpiter amittat.

Ex lib. 1. *Capitul.* CAROLI MAGNI *cap.* 26. In Concilio Gangrensi præcipitur; ut Ecclesiastica à Sacerdotibus jejunia constituta sine necessitate rationabili non solvantur.

Ex lib. 5. *eorumd. Capitul. cap.* 27. Si quis indictum jejunium superbiendo contempserit, et observare cum cæteris Christianis noluerit, in Gangrensi Concilio præcipitur, ut anathematizetur, nisi emendare studeat. *Ea lex ex* CONCIL. MOGUNT. *ann.* 813. *can.* 35. *videtur desumpta.*

Ex CONCIL. BITUR. 1584. *cap.* 50. Cùm res postulabit, Episcopi indicant jejunia ex veteri Ecclesiæ Catholicæ ritu : et ea sub pœna Ecclesiastica et Canonica servari teneantur ii, quibus indicta fuerint.

diœcesi mos est et ritus, quem observare teneantur quicunque ibi vel transeundo commorantur, juxta S. Augustini sententiam. (M)

CAPUT SEPTIMUM.

De Sexto Ecclesiæ Præcepto, circa dies Abstinentiæ.

I. QUODNAM est sextum Ecclesiæ præceptum ?

R. Ut singulis feriis sextis et sabbato abstineamus à carnibus.

I. Cur hanc abstinentiam præcepit Ecclesia ?

R. Ut hebdomas nulla sit à fructibus pœnitentiæ vacua.

AHYTO *aut* ATTO Basileensis Episc. *Spicil. tom.* 6. *pag.* 693. Indictum verò jejunium quando à Palatio, vel à Domo fuerit denuntiatum, ab omnibus generaliter observetur.

Capit. LUDOVICI PII *ann.* 823. Jejunia ab Episcopis communiter indicta reverenter observent, et suos observare doceant et compellant.

CONC. SALINGESTAD, *ann.* 1022. *can.* 15. Decretum est etiam ut omnes bannitum jejunium in quocunque Episcopio celebratur diligentissimè observent; et si quis illarum interdictarum octo rerum aliquam redimere voluerit, unum pauperem pro ut facultas fuerit eâdem die reficiat.

(M) S. AUG. *Epist.* 54. *aliàs* 118. *seu lib.* 1. *ad inquisit. Januar. cap.* 2. *n.* 2. Alia verò quæ per loca terrarum regionesque variantur, sicuti est quòd alii jejunant sabbato, alii non, alii quotidie communicant corpori et sanguini Domini, alii certis diebus accipiunt: alibi nullus dies prætermittitur, quo non offeratur, alibi sabbato tantùm et Dominico, alibi tantùm Dominico: et si quid aliud hujusmodi animadverti potest, totum hoc genus rerum liberas habet observationes: nec disciplina ulla est in his melior gravi prudentique Christiano, quàm ut eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam, ad quam fortè devenerit. Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores esse convincitur, indifferenter est habendum, et propter eorum inter quos vivitur societatem servandum est.

N. 3. Credo te aliquando ex me audisse, sed tamen etiam nunc commemoro. Mater mea Mediolanum me consecuta, invenit Ecclesiam sabbato non jejunantem, cœperat perturbari et fluctuare quid ageret, cùm ego talia non curabam; sed propter ipsam consului de hac re beatissimæ memoriæ virum Ambrosium: respondit mihi nihil se docere me posse, nisi quod ipse faceret; quia si meliùs nosset, id potiùs observaret. Cumque ego putassem, nullâ reddita ratione auctoritate solâ suâ nos voluisse admonere ne sabbato jejunaremus, subsecutus est, et ait mihi: *Cùm Romam venio, jejuno sabbato: cùm hic sum, non jejuno. Sic etiam tu, ad quam fortè Ecclesiam veneris, ejus morem serva, si cuiquam non vis esse scandalo, nec quemquam tibi.* Hoc cùm matri renuntiassem, libenter amplexa est. Ego verò de hac sententia etiam atque etiam cogitans, ita semper habui, tanquam eam cœlesti oraculo acceperim. Sensi enim sæpè dolens et gemens multas infirmorum perturbationes fieri, per quorumdam fratrum contentiosam obstinationem, vel superstitiosam timiditatem, qui in rebus hujusmodi, quæ neque Scripturæ sanctæ auctoritate, neque universalis Ecclesiæ traditione, neque vitæ corrigendæ utilitate, ad certum possunt terminum pervenire, (tantùm quia subest qualiscunque ratiocinatio cogitantis, aut quia in suâ patriâ sic ipse consuevit, aut quia ibi vidit, ubi peregrinationem suam quò remotiorem à suis eò doctiorem factam putat) tam litigiosas excitant quæstiones, ut nisi quod ipsi faciunt, nihil rectum existiment.

De his omnibus vide R. P. THOMASSINI *Congreg. Oral. Gallic. Presbyter Tract.* de jejuniis *part.* 1. *cap.* 19. 20. 22. 23. 24. 25. *et part.* 2. *cap.* 15. 16. 19. 20. 21. 22.

I. Cur feriâ sextâ potissimùm et sabbato præcepit abstinentiam ?

R. Feriâ sextâ quidem ob memoriam mortis Christi, sabbato verò tum ob memoriam ejus sepulturæ, tum ut hujus diei pœnitentiâ disponamur ad solemnitatem diei Dominicæ. (A)

I. Antiquusne est hujus abstinentiæ ritus ?

R. Ex Apostolica traditione descendit. Sed olim his diebus conjunctum erat cum abstinentia jejunium. Et Ecclesiæ nonnullæ, ut jam diximus, non sabbato, sed feriâ quartâ jejunabant. (B)

(A) *Vide* §. *sup. litt.* (1)

S. Aug. *Epist.* 36. *aliàs* 86. *ad Casulanum Cap.* 1. *n.* 2. Quod ergo me consulis, utrùm liceat sabbato jejunare : Respondeo, si nullo modo liceret, profectò quadraginta continuos dies nec Moyses, nec Elias, nec ipse Dominus jejunasset. Verùm istâ ratione concluditur etiam Dominico die non illicitum esse jejunium. Et quisquis tamen hunc diem decernendum putaverit, sicut quidam jejunantes sabbatum observant, non parvo scandalo erit Ecclesiæ : nec immeritò. In his enim rebus de quibus nihil certi statuit Scriptura divina, mos populi Dei, vel instituta majorum pro lege tenenda sunt. De quibus si disputare voluerimus, et ex aliorum consuetudine alios improbare, orietur interminata luctatio, quæ labore sermocinationis cùm certa documenta nulla veritatis insinuet, utique cavendum est, ne tempestate contentionis serenitatem charitatis obnubilet.

Cap. 8. *n.* 20. Si Urbicus dicit, In urbe (*Romæ*) plebs pendens ex Pastoris arbitrio cum Episcopo suo jejunat sabbato... non tibi persuadeat urbem Christianam sic laudare sabbato jejunantem, ut cogaris orbem Christianum damnare prandentem.

Cap. 9. *n.* 21... Sicut itaque inter se vixerunt concorditer Petrus et condiscipuli ejus, sic inter se concorditer vivant sabbato jejunantes quos plantavit Petrus, et sabbato prandentes quos plantaverunt condiscipuli ejus.

Cap. 12. *n.* 27. Et de die quidem sabbati facilior causa est, quia et Romana jejunat Ecclesia, et aliæ nonnullæ, etiamsi paucæ, sive illi proximæ sive longinquæ.

Cap. 13. n. 31. Sequitur sabbatum, quo die caro Christi in monumento requievit, sicut in primis operibus mundi Deus die illo ab omnibus operibus suis. Hinc exorta est ista in regiæ illius veste varietas, ut alii sicut maximè populi Orientis, propter requiem significandam mallent relaxare jejunium, alii propter humilitatem mortis Domini jejunare, sicut Romana et nonnullæ Occidentis Ecclesiæ. Quod quidem uno die, quo Pascha celebratur propter renovandam rei gestæ memoriam, quâ Discipuli humanitùs mortem Domini doluerunt, sic ac omnibus jejunantur, ut etiam illi sabbati jejunium devotissimè celebrent qui cæteris per totum annum sabbatis prandent, utrumque videlicet significantes, et in uno anniversario die luctum Discipulorum, et cæteris sabbatis quietis bonum.

Lege ea de re R. P. Thomass. *Congreg. Orator. Gall. Presbyt. Tract.* de Jejuniis, *parte* 1. *cap.* 19. 20. *et part.* 2. *cap.* 15. *et* 16.

Bochellus *Decret. Eccles. Gallic. lib* 4. *tit.* 12. *ex* Concil. Bituric. *ann.* 1584. *cap.* 37. Omnibus diebus jejuniorum, ut et diebus veneris et sabbati prohibetur usus carnium : tempore autem Quadragesimæ ab ovis aliisque cibis prohibitis omnes abstineant, nisi adversæ valetudinis causâ, cum licentia Episcopi, aut ejus vicarii.

Gratianus *de consecrat. lib.* 5. *c.* 31. Quia dies sabbati apud SS. Patres nostros in observantia celebris est habitus, nos eorumdem auctoritatem sequentes salubriter admonemus, ut quicunque se Christianæ religionis participem esse desiderat, ab esu carnium, eâdem die nisi majore festivitate interveniente, vel infirmitate impediente abstineat.

(B) *Id probavimus* §. *superiori litt.* (K) *Lege etiam suprà laudata Tract.* de Jejun. *c.* 24. *part.* 1. *et* 21. 2. *part.*

I. Cur feriâ quartâ ?

R. Quia feriâ quartâ cœperunt Judæi consilium occidendi Christum, et hàc ipsâ die pactus est cum iis Judas Iscariotes de eo tradendo. (C)

I. Nunquid sunt, et alii dies quibus præcipiatur abstinentia ?

R. Præcipitur et triduo Rogationum, et in festo sancti Marci : sed non in omnibus Ecclesiis. (D)

(C) S. Aug. *Epist.* 36. *aliàs* 86. *ad Casulan. c.* 13. *n.* 30. Cur autem quartâ et sextâ maximè jejunet Ecclesia, illa ratio reddi videtur, quòd considerato Evangelio, ipsâ quartâ sabbati, quam vulgo quartam feriam vocant, consilium reperiuntur ad occidendum Dominum fecisse Judæi. Deinde traditus est eâ nocte quæ jam ad sextum sabbati, qui dies Passionis ejus manifestus est pertinebat.... Ex quo colligitur quartam sabbati fuisse, quando ait Dominus : *Scitis quia post biduum Pascha fiet, et Filius hominis tradetur ut crucifigatur.* (*Matth.* xxvi. 2.) Ac per hoc dies ipse jejunio deputatus est, sicut Evangelista sequitur et dicit : *Tunc congregati sunt principes Sacerdotum et seniores populi in atrium principis Sacerdotum, qui dicebatur Caïphas, et concilium fecerunt ut Jesum dolo tenerent et occiderent.* (*ibid.* 3. *et* 4.) Intermisso autem uno die,... passus est Dominus, quod nullus ambigit, sextâ sabbati; quapropter et ipsa sexta rectè jejunio deputatur.

Lege etiam suprà laudata Tract. de jejuniis *Capit.*

(D) *Lege* R. P. Thomass. *Cong. Orator. D. N. J. C. Sacerdotis Tract.* de Jejuniis *cap.* 24. 1. *part. et cap.* 21. 2. *part.*

Concil. Aurelianense I. *ann.* 511. *can.* 27. Rogationes, id est, Litanias ante Ascensionem Domini, ab omnibus Ecclesiis placuit celebrari ; ita ut præmissum triduanum jejunium in Dominicæ Ascensionis festivitate solvatur : per quod triduum servi et ancillæ omni opere relaxentur, quò magis plebs universa conveniat, quo triduo omnes abstineant, et Quadragesimalibus cibis utantur.

Can. 28. Clerici verò qui ad hoc opus sanctum adesse contempserint, secundùm arbitrium Episcopi Ecclesiæ suscipiant disciplinam.

Conc. Moguntinum *sub Carolo Magno et Leone* III. *P. M. anno* 813. *can.* 32. Litaniæ autem Græco nomine appellantur quæ Latinè dicuntur Rogationes. Inter Litanias autem et exomologeses hoc differt, quòd exomologeses pro sola peccatorum confessione agantur : Litaniæ verò indicantur propter rogandum Deum, et impetrandum in aliquo misericordiam ejus.

Can. 33. Placuit nobis, ut Litania major observanda sit à cunctis Christianis diebus, tribus sicut legendo reperimus, et sicut sancti Patres nostri instituerunt, non equitando, nec pretiosis vestibus induti, sed discalceati cinere et cilicio indu'i, nisi infirmitas impedierit.

Amalarius *lib.* 1. *de offic. Eccles. cap.* 37. Triduanum jejunium in vigilia Ascensionis.

Herardus Archiep. Turon. *Cap.* 95. In diebus Rogationum ut reverenter ac studiosè absque turpibus jocis ac verbis celebrentur, ut nullus in eis prandia, comessationes, diversasque potiones per diversa loca facere præsumat.

Bochellus *Decret. Eccles. Gallic. lib.* 4. *titul.* 12. *Ex* Synod. Lemovic. *Sess.* 3. *ann.* 1928. *cap.* 33 De lætaniis indicendis sive jejuniis, sic in libro Capitularium Caroli insertum est : « Quando tribulatio super populum » venerit, sive mortalitatis, sive hostilitatis, sive famis, aut intempe- » rantiæ aëris, vel si quid hujusmodi, et non fuerimus præsentes, nullus » nostrùm exspectet edictum, sed mutuò se exhortantes Clerici sive Mo- » nachi unà cum populo festinent in Lætaniis, jejuniis misericordiam » Domini super regnum nostrum inclinare. » Igitur si talia sine Sedis consultu, necessitate, non temeritate, vel, quod absit, typho superbiæ, ab alia Ecclesia instituta fuerint, nihil est quod indignentur Clerici Sedis. Tamen ita cuncta concordantiâ moderentur in invicem inter omnes vicinas congregationes, ut pax et unitas inter Sedem et alias Ecclesias permaneat inconvulsa.

I. Quid facto opus his diebus in quibus abstinentia non ubique præcipitur ?

R. Tenendus is ritus qui observatur eo loci in quo nunc sumus. Si jejunatur ibi, jejunandum ; si abstinentia præcepta sit, abstinendum. Si nulla ibi abstinentia servetur, licet uti carnibus, modò illuc non in fraudem legis, sed bonâ fide venerimus. (E)

I. Quid hoc rei est non in fraudem legis sed bonâ fide venire aliquò ?

Ex SYNOD. CARNOT. 1526. *cap.* 38. Præcipimus abstinentiam à carnibus tribus diebus ante festum Ascensionis Domini, cum processionibus.

JOAN. DAMBOISE Episc. Lingon. *in Synod.* 1491. *cap.* 39. Ad tollendum dubia per quosdam Curatos et Vicarios Ecclesiarum Parochialium nostræ Diœcesis hactenus facta : præcipimus et pœnâ excommunicationis injungimus omnibus et singulis nobis subditis nostris per civitatem et Diœcesim nostras constitutis, quatenus in diebus Rogationum in quibus processiones generales ab Ecclesia fieri ordinatæ sunt, dictis processionibus intersint, si fuerint conjugati, aut saltem eorum alter intersit, et quousque dictæ processiones factæ et completæ fuerint, ab omnibus operibus, negotiationibus, ac profanis occupationibus, cessent, et penitùs abstineant.

(E) S. AUG. *Epist.* 36. *aliàs* 86. *ad Casul. cap.* 9. *n.* 22. Sit ergo una fides universæ, quæ ubique dilatatur, Ecclesiæ, tanquam intùs in membris, etiamsi ipsa fidei unitas quibusdam diversis observationibus celebratur, quibus nullo modo quod in fide verum est impeditur. * *Omnis enim pulchritudo filiæ regis intrinsecùs :* (*Ps.* XLIV. 14.) illæ autem observationes quæ variæ celebrantur, in ejus veste intelliguntur. Unde ibi dicitur, *in fimbriis aureis circumamicta varietate.* (*Ibid.* 15.) Sed ea quoque vestis ita diversis celebrationibus varietur, ut non adversis contentionibus dissipetur.

Cap. 11. *n.* 26. Verumtamen in hujus sabbati jejunio sive prandio, nihil mihi videtur tutius pacatiusque servari, quàm ut « qui manducat, non » manducantem non spernat, et qui non manducat, manducantem non » judicet (*Rom.* XIV. 33.) :... » custodità scilicet eorum inter quos vivimus, et cum quibus Deo vivimus, in his rebus inoffensà societate. Sicut enim quod ait Apostolus, verum est, *malum esse homini qui per offensionem manducat* (*Ibid.* 20.) : ita malum est homini qui per offensionem jejunat. Non itaque simus eis similes, qui videntes Joannem non manducantem nec bibentem, dixerunt : *dæmonium habet.* (*Matth.* XI. 18.) Sed nec rursùs, qui videntes Christum manducantem et bibentem dixerunt : * *Ecce homo vorax et vinosus, amicus publicanorum et peccatorum.* (*Ibid.* 19.) Rem quippe valde necessariam his dictis Dominus ipse subjecit atque ait : * *Et justificata est sapientia in filiis suis.* (*Ibid.*) Qui sint autem isti si requiris, lege (quod scriptum est : *Filii sapientiæ Ecclesia justorum* (*Eccli.* III. 1.), ii sunt, qui quando manducant, non manducantes non spernunt, quando non manducant, manducantes non judicant ; sed eos planè, qui per offensionem non manducant sive manducant, vel spernunt vel judicant.

Cap. 24. *n.* 32. *Quando hîc sum, non jejunio sabbato ; quando Romæ sum, jejuno sabbato : et ad quamcunque Ecclesiam veneritis*, inquit Ambrosius, *ejus morem servate, si pati scandalum non vultis aut facere.* Hoc responsum retuli ad matrem, eique sufficit, nec dubitavit esse obediendum : hoc etiam nos seculi sumus. Sed quoniam contingit maximè in Africa ut una Ecclesia, vel unius regionis Ecclesiæ, alios habeant sabbato prandentes, alios jejunantes ; mos eorum mihi sequendus videtur, quibus eorum populorum congregatio regenda commissa est. Quapropter si consilio meo, præsertim quia in hac causa plus fortè quam satis fuit, te petente atque urgente, locutus sum, libenter acquiescis : Episcopo tuo in hac re noli resistere, et quod facit ipse, sine ullo scrupulo, vel disceptatione sectare.

Epist. 54. *aliàs* 118. *ad Januar. cap.* 2. *Vide* §. *præcedenti litt.* (I)

R. Rem subjecta exempla planam efficient. Apud Montem-Pessulanum fit abstinentia à carnibus in triduo Rogationum, non item apud Coloniam Nemausensem : illis diebus Nemausum proficiscor è Monte-Pessulano negotiorum causâ. Ubi extra limites Montispessulanensis Diœcesis pervenero, possum licitè vesci carnibus quibus in mea diœcesi vesci non licet : quia hùc bonâ fide perveni. Quadragesimali tempore proficiscor ab Italia in Britanniam, multas iter faciens percurro diœceses. In his licet ova comedere ; in illis non ab ovis solùm, sed et à lacte abstinendum. Possum licitè in prioribus lac et ova comedere, non possum in posterioribus.

Quòd si ideò proficiscor ut eximam me à lege abstinentiæ, quæ in mea diœcesi viget, non in alia diœcesi vicina ; si non aliam ob causam, verbi gratiâ, Nemausum è diœcesi Montispessulanensi me conferam, quàm ut in triduo Rogationum possim impunè vesci carnibus ; in fraudem legis, non bonâ fide profectus sum ; adeoque tunc nec in diœcesi Nemausensi his diebus mihi carnibus vesci licet. (F)

Sunt qui asserant posse unumquemque vivere secundùm ritus qui in suo communi domicilio servantur, etiam dum aliò se transfert. Sed manifestè pugnant illi cum sancto Augustino, cujus sententiæ standum omninò. (G)

(F) Conc. Mediolan. Prov. I. *Part.* 2. *de Jejun.* Edicimus præterea, ut in Provincia nostra, proximâ quartâ feriâ post Quinquagesimam, omnes Quadragesimalis observantiæ initium faciant ; præter civitatem Mediolanensem, easque Diœcesis partes ubi ex Divi Ambrosii instituto divina officia celebrantur. Illorum verò damnamus ingluviem qui primis quinque Quadragesimæ diebus Romanæ Ecclesiæ more institutis, Mediolanum se conferunt, patriæ ritum in jejunio et ciborum abstinentia fugientes.

(G) S. Aug. *Epist.* 54. *atiàs* 118. *seu lib.* 1. *ad inquisit. Januar. cap.* 2. *Vide* §. *sup. litt.* (I)

Cap. h. n. 5. Sit aliquis peregrinus in eo fortè loco, ubi perseverantes in observatione Quadragesimæ, nec quintâ sabbati lavant, relaxantve jejunium : Non, inquit, hodie jejunabo. Quæritur causa : Quia non fit, in patria mea. Quid aliud ille, nisi consuetudinem suam consuetudini alterius præponere conatur ? Non enim mihi de libro Dei hoc recitaturus est, aut universæ, quacunque dilatatur, Ecclesiæ plenâ voce certabit, aut ostendet istum contra fidem facere, se autem secundùm fidem, moresque hinc optimos aut illum violare, aut se custodire convincet. Violant sanè quietem et pacem suam de superflua quæstione rixando. Mallem tamen in rebus hujusmodi, ut et ille in hujus, et hic in illius patria ab eo quod cæteri faciunt non abhorreret. Si verò etiam in aliena patria cùm peregrinaretur, ubi major et frequentior et ferventior est populus Dei, vidit, verbi gratiâ, bis offerri quintâ sabbati hebdomadæ ultimæ Quadragesimæ, et mane et ad vesperam, venientesque in patriam suam, ubi in fine diei mos est offerri, male atque illicitè fieri contendat, quoniam alibi aliter ipse viderit, puerilis est iste sensus, cavendus in nobis, tolerandus in aliis, corrigendus in nostris.

Cap. 5. *n.* 6. Faciat ergo quisque quod in ea Ecclesia in quam venit, invenerit. Non enim quidquam eorum contra fidem fit, aut contra mores, hinc vel inde meliores. His enim causis, id est, aut propter fidem, aut propter mores, vel emendari oportet quod perperàm fiebat, vel instituì quod non fiebat. Ipsa quippe mutatio consuetudinis, etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat. Quapropter quæ utilis non est, perturbatione infructuosâ consequenter noxia est.

I. Cur in diebus Rogationum et in festo S. Marci fit pluribus in locis abstinentia à carnibus ?

R. Propter solemnes supplicationes, quas Litanias vocant, quæ fiunt illis diebus, maximè ut Deus optimus maximus fructus terræ dare et conservare dignetur. (H) Fruges enim illâ tempestate valdè periclitantur. Ecclesia autem accedente ad orationem abstinentiâ confidit se faciliùs impetraturam esse quod postulat. (De supplicationibus quæ Processiones et Litaniæ dicuntur, agemus in 3ª. Parte hujus Operis.) (*Sect.* 2. *Cap.* 9.)

I. Cur non jejunium sed abstinentia solùm præcipitur in triduo Rogationum, et in festo S. Marci ?

R. Quia dies illi occurrunt semper tempore Paschali, quo ex veteri lege Ecclesiæ jejunare non licet propter Paschale gaudium.

Cùm tamen institutæ sunt solemnes Rogationum supplicationes, gravibus et publicis calamitatibus id postulantibus, præceptum est tempore licèt Paschali alicubi hoc triduo jejunium (I)), quod postea sublatum est remanente solà

Epist. 55. *aliàs* 119. *seu lib.* 2. *ad inquis. Januar. c.* 18. *n.* 34. Miror sanè quid ita una in his saluberrima regula retinenda sit, ut quæ non sunt contra fidem, neque contra bonos mores, et habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris, ubicunque institui videmus, vel instituta cognoscimus, non solùm non improbemus, sed etiam laudando et imitando sectemur, si aliquorum infirmitas non ita impedit, ut amplius detrimentum sit. Si enim eo modo impediat, ut majora studiosorum lucra speranda sint, quàm calumniatorum detrimenta metuenda, sine dubitatione faciendum est.

(H) R. P. THOMASSINUS *Congr. Orat. Gall. Presbyt. Tract.* de Jejuniis 1. *Part. Cap.* 24. *n.* 2. Sidoine Apollinaire conviant un de ses amis à la solennité des Rogations, dit qu'avant saint Mamert, Evêque de Vienne, on en célébrait de fort tièdes et peu fréquentées ; *vagæ, tepentes, infrequentesque supplicationes* (*Lib.* 5. *Epist.* 14.) ; que peu de personnes y jeûnaient ; *sæpè interpellantium prandiorum obicibus hebetantur ;* qu'on les faisait pour obtenir du Ciel, ou de la pluie, ou du beau temps, selon les besoins de la terre : *maximè aut imbres, aut serenitatem deprecaturæ :* mais que saint Mamert en avait institué d'autres bien plus ferventes, *invenit, instituit, invexit ;* dans lesquelles on jeûnait, on priait, on pleurait : *jejunatur, oratur, psallitur, fletur.* (*Lib.* 7. *Epist.* 11.) Le même Sidoine Apollinaire, Evêque de Clermont, pour prévenir la désolation dont l'Auvergne était menacée par les Goths, commença dans son Diocèse les mêmes Rogations, et en écrivit une lettre à saint Mamert même, qui en était le premier instituteur. Il raconte dans cette lettre les tremblemens de terre et les autres calamités publiques, dont la Province de Vienne avait été presque désolée, lorsque saint Mamert apaisa la colère du Ciel par les jeûnes qu'il ordonna premièrement aux Sénateurs de Vienne : *Paucis nostri ordinis viris indicis jejunia*, par les prières publiques : et par ces Litanies, à quoi le peuple se rendit aussi enfin, et devança bientôt par la ferveur ceux qui l'avaient précédé.

Lege etiam suprà laudati R. P. THOMASS. *Tract. part.* 1. *cap.* 24. *et partis* 2. *cap.* 21.

(I) R. P. THOMASS. Congr. Orat. D. J. Presb. *Tract. de Jejun. part.* 2. *cap.* 21. *n.* 2. Ce peu de convenance entre la tristesse des jeûnes et des Litanies, avec la joie du temps de Pâques, (*est ce*) qui a donné occasion à toutes ces Délibérations synodales. Au reste il faut parler du jeûne de ces grandes Litanies, comme de celui de nos Rogations : on fit quelques efforts pour y porter les Fidèles au jeûne ; mais le temps étant si peu

propre, on n'insista pas, et on se contenta de l'abstinence, qui est le petit jeûne.

N. 5. Etienne Poncher, Evêque de Paris, dans ses Ordonnances synodales, publiées un peu avant l'an 1500, renouvela le Canon ancien du Concile d'Orléans, sur les Rogations qui précèdent immédiatement l'Ascension ; voulut qu'on y gardât l'abstinence toute semblable à celle du Carême : et enjoignit aux Maîtres de relâcher leurs serviteurs et leurs servantes du travail, afin que la solemnité fût plus célèbre, et qu'on ne s'appliquât qu'aux œuvres du salut. *Per quod servi et ancillæ ab opere relaxentur, quò magis plebs universa conveniat, etc.* (*Synodic. Paris. pag.* 247.) Saint Charles passa plus avant dans son premier Concile Provincial, et il y ordonna le jeûne pendant les trois jours des Rogations, selon le plus ancien usage : *Ut triduo Rogationum post Ascensionem Domini, ex veteri instituto in Mediolanensi Ecclesia jejunium adhibeatur.* (*Act. Eccles. Mediol. p.* 12.) C'était une singularité de l'Eglise de Milan, comme ce Décret le fait connoître, que les petites Litanies, ou les Rogations Françaises fussent fixées aux trois premiers jours, non de la semaine de l'Ascension, mais de la semaine suivante. Saint Charles l'a remarqué encore plus expressément dans les Instructions et les Lettres Pastorales qu'il publia, pour faire revivre toute l'ancienne piété des Fidèles en ce temps. Cet usage particulier avait cela d'avantageux, que c'était un jeûne de saison et de bienséance après l'enlèvement du divin Epoux de l'Eglise au Ciel, (*Ibid. p.* 784.) et une préparation à demander et à recevoir le saint Esprit au jour de la Pentecôte. Saint Charles inculque ce Statut dans sa lettre aux Curés, où il veut qu'ils annoncent le Dimanche précédent, les trois jours des Rogations, et l'obligation générale de jeûner. Quant aux grandes Litanies du jour de saint Marc, saint Charles les trouva abolies dans son Diocèse, et il les rétablit dans son second Synode Diocésain. (*Ibid. p.* 335.) Giossan confirme ce que nous venons de dire, et ajoute que ce saint Archevêque ne manqua jamais aux Processions de ces Rogations ; (*Lib.* 2. *cap.* 11.) qu'elles commençaient avant le jour par la reception des Cendres ; qu'elles duraient jusqu'à trois ou quatre heures après midi ; qu'il y faisait tous les matins une Prédication pour exhorter les peuples à la pénitence ; qu'il y chantait la Messe ; qu'il y jeûnait au pain et à l'eau, et ne souffrait pas qu'aucun Ecclésiastique manquât à une si sainte cérémonie.

De his adi si lubet suprà laudati R. P. Thomass. *Tract.* 1. *part. cap.* 20. *et part.* 2. *cap.* 17.

D. Edm. Martenné *lib. de antiqua Eccl. Discip. in divin. celeb. offic. cap.* 27. *n.* 1. Solemnes solet Ecclesia supplicationes agere in festo sancti Marci, quas Litaniæ majoris nomine appellare placuit ; solemnes iterùm triduo ante Ascensionem, quæ in quibusdam antiquis Sacramentariis Litaniæ minores, in nonnullis etiam Litaniæ majores, vulgò Rogationes nominantur. Primas instituisse fertur S. Gregorius, tametsi illo antiquiores haud obscurè videatur indicare Gregorius ipse in principio lib. 2. Registri, ubi tanquam de re jam instituta annuam illarum Litaniarum celebritatem indicat his verbis : *Solemnitas annuæ devotionis nos, Fratres dilectissimi, admonet, ut Litaniam quæ major ab omnibus appellatur, sollicitis ac devotis debeamus, auxiliante Deo, mentibus celebrare.* Sed hanc fortè cum Litania septiformi, quam ipse sanctus Pontifex ob ingruentem pestilentiam instituit, illi confundunt. Nam cùm ad Sedis Apostolicæ thronum evectus esset, grassantemque luem in dies populum vehementiùs devastantem videret, habitâ ad plebem publicâ concione, ad avertanda per pœnitentiam iræ Dei flagella, fidèles hortari cœpit.

N. 2. De auctore supplicationum seu Rogationum, quæ triduo ante Ascensionem Dominicam fiunt, longè certior constantiorque est traditio, eas nimirùm à Mamerto Viennensi Præsule institutas : nam præter Aviti Viennensis antistitis et Sidonii Apollinaris lib. 1. Epist. 7. et lib. 7. Epist. 14. suffragium, id cum multis aliis Auctoribus asserit Gregorius Turonensis in Historiæ Francorum lib. 2. cap. 34. ubi institutionis illius causam modumque describit his verbis : *In his temporibus fuit in Viennæ urbe terræ motus maximus, ubi multæ Ecclesiæ et domus multorum concussæ fuerunt et subversæ, ubi bestiæ multæ oberrantes, lupi, ursi acerbi ingressi*

abstinentia, quæ et ipsa multis in diœcesibus dehinc abrogata est.

Nonnulli etiamnum Episcopi, eodem quo sancta Ecclesia spiritu afflati, ac mentem piissimæ hujus fidelium matris sequentes, temporibus difficillimis ad flectendam Divinam misericordiam tribus his diebus solemne Jejunium edicunt.

Per portam civitatis devorantes plurimos, per totum annum hoc faciebant. Nam veniente solemnitate sancti Paschæ, sanctus Mamertus qui in ea urbe erat Episcopus, dum Missarum solemnia ipsâ vigiliâ celebraret, palatium quoque regale, quod in ea civitate erat, divino igne succensum est. Cùmque hæc agerentur, appropinquante Ascensione Domini, indixit jejunium vir sanctus Dei triduanum in populo cum gemitu et contritione. Et paulò post addit: *Tunc cessavit ipsa tribulatio et subversio. Deinceps omnes Ecclesiæ Dei et Sacerdotes hoc exemplum imitantes usque ad præsens, ipsas Litanias ubique celebriter colunt.* Ubi quod ait Gregorius omnes Ecclesias Viennensis exemplum secutas fuisse, id de Gallicanis præsertim intelligendum est, quæ ex præscripto Concilii I. Aurelianensis anno 511. celebrati eamdem institutionem susceperunt. In eo siquidem Concilio canone 27. statutum hoc lego: *Rogationes, id est, Litanias ante Ascensionem Domini ab omnibus Ecclesiis placuit celebrari, ita ut præmissum triduanum jejunium in Dominicæ Ascensionis festivitate solvatur, per quod triduum servi et ancillæ ab omni operè relaxentur, quò magis plebs universa conveniat. Quo triduo omnes abstineant, et Quadragesimalibus cibis utantur.* Huic decreto paruisse universas Galliæ Ecclesias, haud quaquam dubitare licet. Certè S. Quintianus Episcopus, qui quinquennio post Concilium Aurelianense ad Arvernensem Sedem evectus est, à Gregorio Turonensi libro de vitis Patrum cap. 4. laudatur, quòd Rogationes illas quæ ante Ascensionem Dominicam aguntur devotissimè celebraret: *in quibus*, inquit, *die tertiâ cùm jam portæ civitatis appropinquarent, suggerunt ei ut ipse dignaretur imponere.* Imposuit autem *si clausero cœlum.* Et Concilium Turonense II. anno 567. celebratum can. 17. à Pascha ad Pentecosten prandia permittit Monachis, *exceptis Rogationibus.* Hinc S. Cæsarius Arelatensis Episcopus sermone 173. in appendice tom. 5. Operum S. Augustini novæ editionis, hortatur fideles, ut *præcipuè istis tribus diebus, quos regulariter in toto mundo celebrat Ecclesia, nullus se à sancto conventu subducat.* Verùm quod per totam Galliam aliasque fortè nonnullas regiones observari videbat Cæsarius, id in *toto mundo* et quidem *regulariter* celebrari existimavit. At Romæ Litaniæ Rogationum minimè receptæ fuerunt ante Pontificatum Leonis tertii, qui Pontifex *constituit, ut ante tres dies Ascensionis Dominicæ Litaniæ celebrentur*, testante Anastasio, et post eum Orderico Vitali lib. 2. Hist. Eccles. pag. 454. Tardiùs etiam in Hispania receptas fuisse Rogationum supplicationes facilè colligi potest ex S. Isidori libris de divinis Officiis, in quibus nullam earum mentionem fieri deprehendimus, atque hinc fortè Belethus eas non celebrari asserit *nisi in Ecclesia cisalpina.* In Mediolanensi non ante Ascensionem, sed sequenti hebdomadâ recoluntur, haud dubium quin propter illa Evangelia verba, *quandiù cum eis est sponsus non possunt jejunare.* (*Marc.* 11. 19.) Sed in Breviario Mozarabum post Dominicam infra Ascensionis Dominicæ octavam hæc legitur Rubrica: *In nomine Domini nostri Jesu-Christi incipit officium jejuniorum. Observantur quartâ feriâ et quintâ feriâ et sextâ feriâ, et sabbato ante Pentecosten, ad exorandum Dominum nostrum Jesum Christum pro peccatis nostris, ac pacem impetrandam; vel pro sanctis lectionibus audiendis, et ut veniat Spiritus Paraclitus, et mundc nostra reperiat habitacula, Ecclesiam Dei frequentemus.*

Conclusio hujus secundæ Partis.

De Perfectione vitæ Christianæ, et de Consiliis Evangelicis.

I. Hactenus exposuisti omnia et singula officia vitæ Christianæ; demonstrasti abstinendum esse ab omni peccato, amplectendas virtutes omnes, Deo et Ecclesiæ obtemperandum : id quâ ratione fieri possit, ex superiùs dictis patet omninò ; nihil ergo jam superest ea de re quod doceas ?

R. Adhuc unum superest gravissimum illud quidem, nimirùm ut agamus de perfectione vitæ Christianæ.

I. In quo ergo posita est perfectio vitæ Christianæ ?

R. In perfectione charitatis. Quò quis magis alienus est à mundi concupiscentia, et magis adhæret Deo, eò perfectior est. Quò quis magis adhæret mundo et magis alienus à Deo est, eò pejor est, eò alienior à perfectione. Ad charitatem enim referuntur omnia ad religionem pertinentia. (A)

(A) S. Aug. *Enchirid. ad Laurent. cap.* 121. *n.* 32. Omnia igitur præcepta divina referuntur ad charitatem, de qua dicit Apostolus : *finis autem præcepti est charitas, de corde puro et conscientia bona et fide non ficta.* (1. *Tim.* I. 5.) Omnis itaque præcepti finis est charitas, id est, ad charitatem refertur omne præceptum. Quod verò ita fit, vel timore pœnæ, vel aliquâ intentione carnali, ut non referatur ad illam charitatem quam *diffundit Spiritus sanctus in cordibus nostris* (*Rom.* V. 5.), nondum fit quemadmodum fieri oportet, quamvis fieri videatur. Charitas quippe ista Dei est et proximi, et utique *in his duobus præceptis tota lex pendet et Prophetæ.* (*Matth.* XXII. 40.) Adde Evangelium, adde et Apostolos : non enim aliundè vox ista est, *finis præcepti est charitas*, et *Deus charitas est.* (1. *Tim.* I. 5. *et* 1. *Joan.* IV. 16.) Quæcunque ergo mandat Deus, ex quibus unum est, *non mœchaberis* (*Matth.* V. 27.), et quæcunque non jubentur, sed spiritali consilio monentur, ex quibus unum est, *bonum est homini mulierem non tangere* (1. *Cor.* VII. 1.) : tunc rectè fiunt, cùm referuntur ad diligendum Deum et proximum propter Deum, et in hoc seculo, et in futuro ; nunc Deum per fidem, tunc per speciem, et ipsum proximum nunc per fidem. Non enim scimus mortales corda mortalium, tunc autem * *illuminabit Dominus abscondita tenebrarum, et manifestabit cogitationes cordis ; et laus erit unicuique à Deo :* (1. *Cor.* IV. 5.) quia id laudabitur et diligetur à proximo in proximo, quod ne lateat, ab ipso illuminabitur Deo. Minuitur autem cupiditas, charitate crescente, donec veniat ad tantam magnitudinem, quâ major esse non possit : *majorem* enim *charitatem nemo habet, quàm ut animam suam quis ponat pro amicis suis.* (*Joan.* XV. 13.) Ibi autem quis explicet quanta charitas erit, ubi cupiditas quam vel coercendo superet nulla erit ? quoniam summa sanitas erit, quando contentio mortis nulla erit.

Lib. 83. *Quæst. q.* 36. *n.* 1. Charitatem voco, quâ amantur ea quæ non sunt præ ipso amante contemnenda : id est, quod æternum est, et quod amare ipsum æternum potest. Deus igitur et animus quo amatur, charitas propriè dicitur purgatissima et consummata. Si nihil aliud amatur : hanc et dilectionem dici placet. Sed cùm Deus magis diligitur, quàm animus, ut malit homo ejus esse quàm suus, tunc verè animo summeque consulitur consequenter et corpori, nobis id non curantibus aliquo appetitu satagente, sed tantùm prompta et oblata sumentibus. Charitatis autem venenum est, spes adipiscendorum aut retinendorum temporalium. Nutrimentum ejus est, imminutio cupiditatis : perfectio nulla cupiditas. Signum profectûs ejus, imminutio timoris ; signum perfectionis ejus, nullus timor : quia et *radix est omnium malorum cupiditas*, (1. *Tim.* VI. 10.) et * *consummata dilectio foràs mittit timorem.* (1. *Joan.* IV. 18.)

Quisquis igitur eam nutrire vult, instet minuendis cupiditatibus. Est autem cupiditas, amor adipiscendi aut obtinendi temporalia : hujus minuendæ initium est, Deum timere, qui solus timeri sine amore non potest. Ad sapientiam enim tenditur, et nihil verius eo quod dictum est, *initium sapientiæ timor Domini.* (*Prov.* I. 7. *et* IX. 10. *Psal.* CX. 102. *Eccli.* I. 16.) Nemo est quippe qui non magis dolorem fugiat, quàm appetat voluptatem.

N. 2. Jam verò cùm aliqua non peccandi consuetudo, quod onerosum putabatur, facile esse persuaserit; incipiat gustari dulcedo pietatis, et commendari pulchritudo virtutis, ut charitatis libertas præ servitute timoris emineat. Tunc jam persuadendum est fidelibus præcedentibus regenerationis sacramentis, quæ necesse est plurimùm moveant, quod intersit inter duos homines, veterem et novum, exteriorem et interiorem, terrenum et cœlestem, id est, inter eum qui bona carnalia et temporalia, et eum qui spiritualia et æterna sectatur : monendumque ne peritura beneficia et transeuntia exspectentur à Deo, quibus et improbi homines abundare possunt; sed firma et sempiterna, pro quibus accipiendis omnia quæ in hoc mundo bona putantur et mala penitùs contemnenda sunt.

N. 3. At ubi fuerint carnalium voluptatum illecebræ superatæ, cavendum est ne subrepat atque succedat cupiditas placendi hominibus, aut per aliqua facta mirabilia, aut per difficilem continentiam sive patientiam, aut per aliquam largitionem, aut nomine scientiæ, vel eloquentiæ : in eo genere est et cupiditas honoris. Contra quæ omnia proferantur ea, quæ scripta sunt de laude charitatis, et de inanitate jactantiæ : doceaturque quàm sit pudendum eis placere velle, quos nolis imitari. Aut enim boni non sunt, et nihil magnum est à malis laudari : aut boni sunt, et eos oportet imitari. Sed qui boni sunt, virtute boni sunt; virtus autem non appetit quod in aliorum hominum potestate est. Qui ergo imitatur bonos, nullius hominis appetit laudem : qui malos, non dignus est laude. Si autem placere hominibus ideò vis, ut eis prosis ad diligendum Deum; non jam hoc, sed aliud cupis. Qui autem placere cupit, necessarium adhuc habet timorem : primùm, ne occultè peccando inter hypocritas à Domino computetur; deinde, si benefactis placere appetit, hanc mercedem ne aucupans perdat quod daturus est Deus.

N. 4. Sed devictâ istâ cupiditate, cavenda superbia est. Difficile est enim ut dignetur consociari hominibus, qui eis placere jam non desiderat, et plenum se virtutibus putat. Itaque adhuc necessarius est timor, ne illud etiam quod videtur habere, auferatur ab eo, et manibus ac pedibus ligatis mittatur in tenebras exteriores. Quapropter Dei timor non solùm inchoat, sed etiam perficit sapientem. Is est autem qui summè diligit Deum, et proximum tanquam seipsum.

S. THOM. 2. 2. *q.* 184. *art.* 1. Sed contrà est quod dicitur ad Col. 3. *super omnia charitatem habete, quæ est vinculum perfectionis :* quia scilicet omnes alias virtutes quodammodo ligat in unitatem perfectam.

Conclusio. Omnis Christianæ vitæ perfectio secundùm charitatem attendenda est.

In corpore. Respondeo dicendum, quòd unumquodque dicitur esse perfectum, in quantum attingit proprium finem, qui est ultima rei perfectio : charitas autem est quæ unit nos Deo, qui est ultimus finis humanæ mentis; quia *qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo*, ut dicitur 1. Joan. 4. Et ideò secundùm charitatem specialiter attenditur perfectio Christianæ vitæ.

Ad 2.... Vita autem Christiana specialiter in charitate consistit, per quam anima Deo conjungitur; unde dicitur. 1. Joan. 5. *Qui non diligit, manet in morte*, et ideò secundùm charitatem attenditur simpliciter perfectio Christianæ vitæ : sed secundùm alias virtutes, secundùm quid : et quia id quod est simpliciter, est principalissimum et maximum respectu aliorum, inde est quòd perfectio charitatis est principalissima respectu perfectionis quæ attenditur secundùm alias virtutes.

Art. 3. Sed contra est quod dicitur, Deuter. 6. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo :* et Levit. 19. dicitur, *Diliges proximum tuum sicut tetipsum : hæc sunt duo præcepta*, de quibus Dominus dicit, Matth. 22. *In*

his duobus præceptis universa lex pendet et Prophetæ. Perfectio autem charitatis, secundùm quam dicitur vita Christiana esse perfecta, attenditur secundùm hoc quòd Deum ex toto corde diligamus, et proximum sicut nos ipsos : ergo videtur quòd perfectio consistat in observantia præceptorum.

Conclusio. Charitatis perfectio principaliter et essentialiter consistit in præceptis ; secundariò autem et instrumentaliter in consiliis.

In corp. Per se quidem et essentialiter consistit perfectio Christianæ vitæ in charitate ; principaliter quidem secundùm dilectionem Dei ; secundariò autem secundùm dilectionem proximi. Non autem dilectio Dei et proximi cadit sub præcepto secundùm aliquam mensuram ,.... et hoc ideò est quia finis præcepti charitas est, ut Apost. dicit 1. ad Timoth. 1. In fine autem non adhibetur aliqua mensura, sed solùm in his quæ sunt ad finem.... Et sic patet quòd perfectio essentialiter consistit in præceptis.... Secundariò autem et instrumentaliter perfectio consistit in consiliis, quæ omnia sicut et præcepta, ordinantur ad charitatem, sed aliter et aliter : Nam præcepta alia à præceptis charitatis ordinantur ad removendum ea quæ sunt charitati contraria ; cum quibus scilicet charitas esse non potest : consilia autem ordinantur ad removendum impedimenta actûs charitatis, quæ tamen charitati non contrariantur, sicut est matrimonium, occupatio negotiorum secularium, et alia hujusmodi : unde Aug. dicit in Enchirid. cap. 121. *Quæcunque mandat Deus, ex quibus unum est*, Non mœchaberis (*Exod.* XX. 14.), *et quæcunque non jubentur, sed speciali consilio monentur, ex quibus unum est*, bonum est homini mulierem non tangere (1. *Cor.* VII. 1.), *tunc rectè fiunt cùm referuntur ad diligendum Deum, et proximum propter Deum, et in hoc seculo et in futuro.* Et inde est quod in Collationibus Patrum dicit Abbas Moïses Collat. 1. cap. 7. apud Cassianum : *Jejunia, vigiliæ, meditatio Scripturarum, nuditas, ac privatio omnium facultatum, non perfectio, sed perfectionis instrumenta sunt ;* quia non in ipsis consistit disciplinæ illius finis, sed per illa pervenitur ad finem.

Ad 1. Ergo dicendum, quòd in illis verbis Domini aliquid ponitur, quasi via ad perfectionem ; hoc scilicet quod dicitur, *vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus* (*Matth.* XIX. 21.) ; aliud autem subditur, in quo perfectio consistit ; scilicet quod dicit, *et sequere me.* Unde Hieronymus, dicit super Matthæum, quòd *quia non sufficit tantùm relinquere, Petrus adjungit, quod perfectum est, et secuti sumus te.* Ambrosius autem super illud Luc. 5. *sequere me*, dicit : *sequi jubet, non corporis gressu, sed mentis affectu*, quod fit per charitatem. Et ideò ex ipso modo loquendi apparet, quòd consilia sunt quædam instrumenta perveniendi ad perfectionem, dum dicitur : *si vis perfectus esse, vade vende, etc.* quasi dicat, Hoc faciendo ad hunc finem pervenies.

Ad 2. Dicendum, quòd sicut Aug. dicit in libro de perfectione justitiæ, « perfectio charitatis homini in hac vita præcipitur : quia non » rectè curritur, si quò currendum est nesciatur. Quomodo autem » sciretur, si nullis præceptis ostenderetur ? Cùm autem id quod cadit » sub præcepto diversimodè possit impleri, non efficitur transgressor » præcepti aliquis ex hoc quòd non optimo modo implet, sed sufficit » quocunque modo impleat illud. » Perfectio autem divinæ dilectionis universaliter quidem cadit sub præcepto, ita quòd etiam perfectio patriæ non excluditur ab illo præcepto ,.... sed transgressionem præcepti evadit, qui quocunque modo perfectionem divinæ dilectionis attingit. Est autem infimus divinæ dilectionis gradus, ut nihil supra eum, aut contra eum, aut æqualiter ei diligatur. A quo gradu perfectionis qui deficit, nullo modo implet præceptum. Est autem alius gradus perfectæ dilectionis qui non potest impleri in via... à quo qui deficit, manifestum est quòd non est transgressor præcepti ; et similiter non est transgressor præcepti, qui non attingit ad medios perfectionis gradus, dummodo attingat ad infimum.

Ad. 3. Dicendum quòd.... est quædam perfectio charitatis pertinens ad ipsam speciem charitatis ; ut scilicet Deus super omnia diligatur, et nihil contra eum ametur. Est autem alia perfectio charitatis etiam in

I. Quâ ratione pervenitur ad vitæ Christianæ perfectionem?

R. **Facilem nobis viam Christus ad perfectionem demonstravit, nimirùm consilia Evangelica.** (B)

hac vita, ad quam aliquis per aliquod spirituale augmentum pervenit; ut putà cùm homo etiam à rebus licitis abstinet, ut liberiùs divinis obsequiis vacet.

(B) S. PAULINUS *Epist.* 24. *aliàs* 2. *ad Sulpitium Severum*, *n.* 1. Cur audeas nobis, ut decertato agone victoribus, palmam perfectionis adscribere, quòd omnem terrenæ possessionis sarcinam exposuisse videamur: te contra adhuc infelicem, et in luto fæcis infernæ adhærentem ingemiscas, quòd vel unum, ut scripsisti, prædiolum non vendidisse videaris; cùm ipsum quoque æquè ut vendita à tuo jure præsenti alienaveris: ut majoribus fidei fructibus bis devotus exsisteres Deo: diverso mercimonii opere, sed uno vitæ lucro intra ejusdem præcepti terminos venditor largitorque fundorum, et ideò sine animi captivitate possessor: quia et quæ reservasti, Ecclesia te serviente possideat.

N. 2. Vide nunc quantum in ea tibi donaverit Deus: cui et in illorum sorte tribuit portionem, qui in lege perfecti vixerunt, ita possidentes, ut non possiderentur à possessionibus suis, neque ullam aut rerum aut necessitudinum charitatem, ut in Job, et Abraham, et Lot ostenditur, Dominicæ charitati et disciplinæ anteponerent: sed et eorum sis particeps, quos Evangelica plenitudo consummat: qui majoris opulentiæ et illecebræ prædia vendidisti.

N. 3. Cùm utrasque.... Sanctorum occupaveris partes: nec in reservatis prædiis possessor, et perfectus in vendilis. Itaque et in quo possessor videris, solutâ possessionum vinculis mente perfectus es: qui collecti temporis memor illud Apostoli comples, ut habens non habeas; quia non tibi, sed non habentibus habes. Domûs tuæ hospes es, ut sis hospitum domus: patriæ tuæ peregrinus es, et exul istius mundi; ut sis incola paradisi, et patriæ civis antiquæ. Non tricliniis tua tecta occupas, neque supellectilis aut pecuniæ molibus stipas; sed peregrinis et egentibus, unius ipse metator anguli, comples, tuorumque confamulus vernularum temporale habitaculum tui tecti, non ut paterfamilias usurpas, sed mercenarius vel inquilinus inanis stipendium, quasi precariæ mansionis Domino altissimo pensitans de socia et corporis tui et animi servitute.

N. 4. Quòd si juxta operis modum porrigenda est vel contrahenda merces, et compensatio quædam facti infectique facienda est, æquè ratio perfectionis animi tui cum eorum opere ducetur, qui omnia vendiderunt: quia nec tu tibi aliquid vel in jure, vel quod est amplius in animo reliquisti: qui sic uteris mundo, quasi non utaris.... In cœlo sepelisti vitam tuam, quam in Christo abscondisti... Negare non potes, fortius esse manentibus, quàm alienatis rebus carere; et spernere quod habeas, quàm non habere quod spernas.

N. 6. Nunc opus est ut quæ verè nostra sunt dependamus Deo, hoc est, et cor et animam, *et corpora nostra exhibentes in hostiam vivam Domino;* (*Rom.* XII. 1.) *nosque ipsos ædificantes ei in templum sanctum, in ipso lapide angulari*, (*Ephes.* II. 20.) qui nobis sanctificationis nostræ formulam in semetipso dedit et ait: *sancti estote, quoniam ego sanctus sum.* (*Levit.* XI. 44.) Quæ igitur nobis gratia si in alieno tantùm fideles fuerimus, nisi de proprio serviamus? id est, de libero voluntatis arbitrio, ex toto corde nostro, et ex totis animæ nostræ, ut scriptum est, viribus diligentes Deum? (*Luc.* X. 27.) In quem nos affectum lacessit Propheta, qui dicit: *Voluntariè sacrificabo tibi.* (*Psal.* LIII. 8.) *Hoc enim* acceptum et placitum coram Deo, *ut bonum nostrum sit voluntarium.* (*Philem.* 14.)

N. 7. Quamobrem temporalium, quæ in hoc seculo habentur, bonorum relictio sive distractio, non decursus stadii, sed ingressus, nec ut meta, sed janua est. Non enim athleta tum vincit, cùm exuitur: qui ideò nudatur, ut incipiat dimicare, cùm legitimè certaverit coronandus.

N. 8. Video tamen nobis et in beato Patriarcha Jacob hujus expeditionis ordinem prolusisse; cùm illum lego posteaquam torrente transmisso, præmissis curarum suarum oneribus, id est, facultatum corporalium et necessitudinum impedimentis, solus in tabernaculi loco remanserat,

Deo colluctatum, cum extorquenda benedictione prævaluit.... (*Gen.* XXXII. 24.) Illo videlicet exemplo intelligamus, non posse nos esse idoneos ad congrediendum Deo : cui utique congredimur, cùm verbum ejus implerere nitimur, et in virtutes divinas imitatione ipsius prævalere conamur. Itaque, ad corripiendam vitæ viam, capiendumque Dei verbum et prævalendum in *regnum cœlorum*, quod *à diebus Joannis vim patitur*, et *à diripientibus* obtinetur, (*Matth.* XI. 12. *Luc.* XVI. 16.) idonei esse non possumus, nisi omnia quæ vel amore vel curâ, si in itinere istius seculi nobis adhæreant, impediunt et retardant, ante obitûs nostri vesperam præmittamus : et inde per totam hujus seculi noctem apprehendere et tenere Christum sollicità spiritalium operum ac studiorum contentione luctemur : nec divellamur à charitate Christi, sicut Jacob ab ejus amplexu, nisi extorqueamus benedictionem.

N. 9. Sed nihilominùs et nobis cavendum est, ne steriles appareamus in conspectu Domini, nève debili pede in ejus itinere claudicemus : et ut potiùs corporeis fructibus infœcundi, illum de divinæ manûs ictu femoris paterni stuporem ad continentiæ rigorem trahamus ; ut enerves cupiditatibus, quibus virtus fidei subnervatur, confirmemus animam castitate : quam, ut Apostolus docet, etiam carnales athletæ diligenter tuentur : quò nobis impensiore studio servanda est pro illa immarcescibili corona luctantibus, cùm etiam pro temporali et fragili corona decernentibus excolatur. (1. *Cor.* IX. 25.) Quare sub hominum et Angelorum spectaculis in hujus mundi theatro ante Dominum dimicaturi, exuamur oneribus adversis, ut medicis oneribus induamur. In hoc enim ipsum nos præparari vult qui dicit : *Veni sequere me*, (*Matth.* VIII. 22.) ut apprehendamus eum, in quo apprehensi sumus ab ipso. Qui nos illò vocat, ubi *sedet ad dexteram Dei* (*arc* XVI. 19.) in gloria Patris, omnibus dicit : *Venite ad me onerati et laborantes, et invenietis requiem animabus vestris.* (*Matth.* XI. 28.) Omnem enim quantum in ipso est hominem salvum fieri vult, qui fecit omnes. Nam et idcircò descendit ad nos ut ad illum ascenderemus. Ideò conformatus est corpori carnis nostræ, quæ peccato serviebat, ut nos conformaret corpori carnis suæ, quæ peccatum non fecit, ut verè ad originalem gloriam reformemur, si divinam similitudinem Christi intentione capiamus... Hic ergo pro nobis dolens, et propter nos *obediens factus usque ad mortem crucis*, (*Philip.* II. 8.) viam vitæ nobis perfectionemque virtutis, non in vendendis tantùm prædiis ei pretiis erogandis, sed in sui sectatione proposuit. Et quia dixerat : *Cùm exaltatus fuero, omnia ad me traham ;* (*Joan.* XII. 32.) ideò dicit : *Veni, sequere me.* (*Matth.* XIX. 21.) Beatus qui tam proximo intervallo sequitur, ut dicat : *Adhæsit anima mea post te.* (*Ps.* LXII. 9.) Quod illa tantùm charitas dicere potest, quæ *finis præcepti et plenitudo legis est*, (*Rom.* XIII. 10.) id est, *de corde puro, et bona conscientia, et fide non fictâ* (1. *Tim.* I. 5.) se ita inserit, et affigit Deo, ut nihil extra Deum amans, dicat : *et ego semper tecum.* (*Ps.* LXXII. 23.) Quare totus labor, et plenum opus nobis in observantia et exspoliatione cordis nostri est : cujus tenebras vel abstrusas in eo inimici latebras videre non possumus, nisi defæcato ab externarum rerum curis animo, et intus ad semetipsum converso ; non enim frustrà dictum est, *omni custodiâ serva cor tuum.* (*Prov.* IV. 23.)

N. 10. Credo jam expertus sis quàm laboriosum nobis, et assiduum vel quotidianum, cum hoc hoste certamen sit, et quantæ in eo versentur insidiæ : quæ illic vitiorum virtus, quanta virtutum infirmitas sit ; quàm prona ejus ad pravitatem relapsio, quàm piger ad Deum nisus. Nunc mihi illa priùs clausa intra me discordia diversæ legis aperitur ; nunc sentio vim legis adversæ, quæ velut injectà manu, captivum me trahere contendit in legem peccati : (*Rom.* VII. 23.) et recognosco quoniam beatus ille vir meâ potius infelicitate uritur, et de meâ affectione pro me dolens clamat : *Infelix ego homo ! quis me liberabit de corpore mortis hujus ?* (*Ibid.* 24.) Sed idem Magister me recreat et reficit, ostendens mihi exitum salutarem, si tamen velle adjaceat mihi, ut perfectionem mercar invenire, *gratiâ Dei per Jesum Christum Dominum nostrum :* qui exorandus est, ut prævaleat inimicis nostris, et tenebris superabundet : destruat in nobis aliena, vel nostra, et ædificet sua. Quod etiam amicos

Dei orando meruisse cognoscimus, qui utique cor suum patiebantur, cùm dicerent, *Cor mundum crea in me Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis.* (*Psal.* L. 12.) Quo exorato jam securus dicit, *Proba me Domine, et scito cor meum, et vide si via iniquitatis in me est.* (*Ps.* CXXXVIII. 23. *et* 24.) Sed ne hanc sui confidentiam suâ magis virtute, quàm Dei gratiâ meruisse videatur, idem dicit: *Quia tu Domine possedisti renes meos. Nihil* enim, ut Dominus ipse dixit, *sine* eo *facere* possumus: Quia ipse est *vitis vera*, et nos sarmenta ejus. (*Joan.* XV. 5.) Si in ejus dilectione maneamus, non arescemus, viventes succo radicis æternæ; nec ad ignem amputabimur irâ, sed ad fructum putabimur disciplinâ, purgante nos Evangelicæ falcis acie: ut castigatà luxurie palmitis nostri fructuosiùs pullulemus.

N. 11. Ergo inchoaturus agriculturam in nobis suam dicit: *Ignem veni mittere in terram:* (*Luc.* XII. 49.) quo videlicet cor nostrum peccatis obsitum, quasi agrum spinis horridum, purget urens nos in vitiis, et in sensibus luminans. Veterumque in nobis actuum stirpes salutari falce pius cultor insequitur, ut residuam messis vetustæ stipulam sermo ignitus accendat, et animam nostram quasi campum novæ sationi præparet; qui lætam virtutum segetem eradicatis impresso divini verbi vomere spinis, liber effundat, dignasque cœlestibus horreis fruges peremptâ graminum noxiorum stirpe multiplicet. Sed quia non agricultura tantùm, sed ædificatio Dei sumus, qui gratiâ et spiritu ejus ac verbo colimur, et struimur, (1. Cor. XII. 1. *Ephes.* II. 21.) ædificaturus nos eo itinere, quo post se vocat, isto opere præparat, quo venditis rebus, absolvi priùs suadet, quarum cura vel amor, quoniam mentis ipsius præstringit aciem, et animam ab interioribus suis abductam, ad exteriora sollicitat, dicit etiam nobis per Prophetam: *Vacate, et videte quoniam ego sum Dominus.* (*Psal.* XLV. 11.) Nonne et hic videtur dicere, *non potestis duobus dominis servire?* (*Matth.* VI. 24.) Non enim otium nobis suadet hoc verbo, qui instanter orare, et vigilare nos monet, ne intremus in tentationem, (*Matth.* XXVI. 41.) sed vacare à seculo, ut occupemur sibi, vacare ab his negoliis, quibus implicati otiamur Deo.

N. 12. Itaque novitatem vitæ in nobis ædificantes, necesse est ut vetustatem destruamus, et quia nullum tenebris cum lumine et mammonæ cum Christo potest esse commercium, oportet ut novis vetera mutemus; et occupationis pariter ac vacationis genere converso, implicemur, quibus vacavimus; et vicissim vacemus, quibus fuimus implicati: moriamur, quibus viximus; et vivamus vicissim his operibus ac studiis, quibus mortui fuimus: Cùm vivi, essemus mortui; et mortificantia gerentes, in mortuis viveremus. Undè sanctus magister *humanum* et æquum postulat, * *ut sicut exhibuimus membra nostra, servire iniquitati, ita nunc exhibeamus eadem ministra justitiæ:* (*Rom.* VI. 13.) mutatis Dominis, et studia mutemus. Neque enim aut servituiem aut libertatem deponimus commutatione dominorum; sed tantùm felicitatem acquirimus, et servitute in melius et libertate mutatà, quando vinculum iniquitatis rumpimus, et justitiæ jugo subdimur, ac divino timore frænamur, incipientes versà in directum viâ liberi esse à peccato, cui serviebamus in libertate misera, justitiæ rebellantes.

N. 13. Nunc igitur vicissim Deo servi, et huic mundo rebelles, aggredimur agonem: et ipsum, cui serviebamus hostem freti Domino provocamus. Recognoscis profectò, mi frater, nam experta communiter, ut commilitoni loquor, quanta nobis discordia, et quantus est hostis in nobis, non carnis et sanguinis, sed invisibilium potestatum, et nequitiæ, ut Apostolus ait, (*Ephes.* VI. 12.) spiritalis, quibus carnalium vitiorum ministeria conjurant. Undè et principes tenebrarum dicuntur, quia secundùm Apostolum tenebræ appellantur peccatores, (*Ephes.* V. 8.) quibus, ut sui similibus dæmonia principantur. sed et tota *hujus mundi figura*, quæ *præterit*, (I. *Cor.* VII. 31.) et per oculos corda prolectat, zabulicis prætenta retibus, in qualibet sui specie laqueus mentis et gladius est. Credamus Prophetæ quia in medio muscipularum ambulamus, et inter opertos lethalibus dolis gladios vita transigitur. (*Psal.* XXII. 4. *et* XXX. 5.) Excipit nos mundus iste variis voluptatibus florens, et fallentibus venenatus illecebris. Excipit nos innumeris anguis insidiis *cui nomina mille*,

mille nocendi artes. (*Virg.* 7. *Æneid. v.* 334.) Ac sæpè aperto certamine violentus aggreditur, et candentibus petit telis, si latentibus non capit laqueis. *Sagittæ* enim *potentis acutæ cum carbonibus desolatoriis :* (*Psal.* CXIX. 4.) quæ videlicet noxiis cupiditatum ignibus animam nostram perurant, et à Spiritûs sancti habitatione desolent. Quod cùm accidit diversi nos hospites subeunt, *et fiunt inimici hominis domestici ejus :* (*Matth.* X. 36.) qui nunc ambitionis vento inflant, nunc libidinum faces admovent, nunc avaritiæ catenis alligant. Quæ una omnibus armata criminibus, vel si sola nos capiat, et zabulo ad malitiam, et homini ad mortem sufficit.

N. 14. Quid ergo agis infelix homo inter tantos missus hostes? Quomodo repugnabis infirmus fortibus, armatis inermis? Clamat beatus Job multis zabuli telis sine cordis vulnere sauciatus : *nudus exivi de utero matris meæ.* (*Job.* I. 21.) Quis ergo me armabit contra tot agmina hostis aërii, ne *nudus*, ut veni, *revertar in terram*? Ecce respiro, confortor, assurgo : *Dominus illuminatio mea, Dominus defensor vitæ meæ : si consistant adversùm me castra, non timebit cor meum.* (*Psal.* XXVI. 10. *juxt.* LXX.) Nec si propriæ opis armis egeo, diffidam. Habeo armamentarium Christi de quo arma lucis usurpem, quibus principes tenebrarum et agmina noctis expugnem in cœlestibus mihi adversantia : videlicet in conversatione spiritali, quam terrenis debellare nituntur illecebris. Sed adversùm hos mihi ille armiger, ille signifer erit, qui vas electionis Deo. Ille lumbos meos cingulo castitatis adstringet, capiti meo galeam salutis aptabit, loricâ justiæ meum pectus includet. (*Ephes.* VI. 14.) Ille me totum proteget scuto fidei, et dexteram meam, immò me totum in dexteram Christi factum gladio spiritûs, et verbo veritatis armabit : ut *cadant à latere meo mille*, et *decem millia à dextris meis.* (*Psal.* XC. 7.) Ille *pedes* meos *in Evangelii præparationem calceabit*, (*Ephes.* VI. 15.) ut presso impunè vestigio super spinas et tribulos istius terræ ambulem, et per aspera itineris angusti munito pede tutus ingrediar. Nec à monstro metuens, subditum serpentis inimici caput, ipso, quod insidiosus observat, calcaneo conteram. (*Gen.* III. 15.) Quod quidem non de meæ infirmitatis audaciâ arrogans mihi vindico : sed omni fideli de virtute Christi promitto. *Qui* sicut *vocat et quæ non sunt, tanquam ea quæ sint.* (*Rom.* IV. 17. *et* I. *Cor.* I. 27.) Ita potens est et de infirmis, et humilibus suis, ut semper fecit et facit fortia mundi istius et alta destruere. Ideò nobis magistrum dedit, quem imitatorem habebat, per quem ad ipsius Domini imitatorem pervenire possimus. Nam ipse me magister in acie stare, in stadio currere, in agone luctari docet, lividum faciens corpus suum, *et quæ retrò sunt obliviscens, et in priora se extendens.* (*Phil.* III. 13.)

N. 15. Atque ita fundatus in petrâ, ut etiam *in infirmitatibus glorietur, et cum infirmatur, tunc potens sit,* (2. *Cor.* XII. 10.) omnia potens ut ipse profitetur *in eo qui confirmat suos*, Christo scilicet, qui pro nobis pugnat, et vincit in nobis : quæ causa dicendi Apostolo fuit, *Sic currite ut apprehendatis* omnes, (I. *Cor.* IX. 24.) quod in agone terreno contra est, ubi non potest lucta nisi dispari luctantium sorte finiri, ut unius gloria, alterius ignominia sit ; *In Christo* autem, *quia multi unum sumus*, (*Rom.* XII. 5.) omnes ut unus currimus : et omnium consors ad unum bonum cursus est ; et ideò dicitur nobis : *sic currite ut comprehendatis* omnes, quia scissura, ut idem ait, in corpore esse non potest, cui caput Christus est ; quem ut communem sibi apicem una membrorum suorum compago comitatur. Quæ quoniam sibi discrepare non possunt, curramus pariter ut apprehendamus omnes, sine æmulatione invidiæ, cum æqualitate victoriæ ; ut sicut in contentione currendi labor Christi sumus, ita in perveniendi fine Christi triumphus esse possimus, *et benedicat nos in corona anni benignitatis suæ.* (*Ps.* LXIV. 12.)

N. 16. Video autem quòd in hoc certamine non magis vincere nobis quàm vinci expedit : quia in nobis et hostis et amicus habitant. Quis autem mihi amicior, quàm spiritus qui adversatur carni, (*Galat.* V. 17.) ne me trahat in legem peccati? aut quis inimicior nobis quàm *caro* quæ *adversùm spiritum* pro interitu *concupiscit*? (*Rom.* VII. 23.) Itaque *meliora* mihi *amici vulnera* quæ Christus accepit ut sanaret me, *quàm voluntaria inimici oscula* (*Prov.* XXVII. 6. *sec.* 70.) quibus mihi per illecebras delectationum suarum caro male suada blanditur, ut me, quasi illo parricidali Judæ osculo, (*Matth.*

XXVI. 49.) paratis in captivitatem meam prodat inimicis : quod tamen osculum Dominus non ideò suscepit, ut pacem proditoris acciperet, sed ut suam ab alienato reciperet. Quanquam et illud ad intuendum perfectæ bonitatis exemplum teneri salubre sit, ut eo affectu, quo et inimicos diligi jubet, (*Matth.* V. 44.) amicum osculum dederit pacis inimico, dilectionem reddens pro odio, qui pro sua dilectione odium recipiebat.

N. 17. Præstat... vinci bono, quam vincere malo. Itaque vinci videtur in hoc seculo, cui tunicam suam alter abstulerit : (*Ibid.* 40.) at in Christo triumphat, qui tunicam auferenti remittit et pallium. Vicem injuriæ reddere humana ultio est : at inimicum etiam diligere, vindicta cœlestis est. Vendere patrimonia et donare pauperibus, stultitia huic seculo, sed sapientia Deo est : at contrà divitiis inhiare, pecuniam fœnore augere, possessiones auctionibus, terminos dilatare violentiâ, industria et quæstus apud hoc seculum, sed apud Deum crimen et pœna est. Ita si malo vincas, victor victus es, quia cùm scelere viceris, cupiditate superatus es. Victus verò vinces, si justo cedas, et tuæ voluntati voluntas divina prævaleat. Evacuemur ergo nostris viribus et divinis impleamur. Vincamur corpore, ut vincamus salute. Meminerimus ejus nos esse membra, qui vicit cùm judicatus est, qui cedendo superavit : (1. *Petr.* II. 23.) et cadendo in mortem, resurrexit in gloriam, de suæ passionis occasu ortum nostræ resurrectionis instituens.

N. 18. Hunc Dominum vocantem sequamur, qui nos doceat cedendo vincere, et moriendo vivificare interficiens in nobis, quo mortificamur, et vivificans quo vivamus. * *Hic nobis Deus, non æstimavitur alius ad eum :* qui *in terris visus est, et inter homines conversatus est.* (*Baruch* III. 36. *et* 38.) Quod quia non potest nobis *caro et sanguis revelare*, (*Matth.* XVI. 17.) ideò dicit, *vacate et videte, quoniam ego sum Deus.* (*Psal.* XLV. 11.)

N. 20. Ne existimes jam et comparasse nos gemmam, quia videspretium præparasse, neque ædificasse jam domum, qui ædificandæ locum fecimus, cùm visibiles divitias, supellectiles, pecuniam, patrimonia, velut sordidos aggeres et importunum rudus, egessimus, ut in corde purgato, quasi in terra viva, firmiùs stabilioris ædificii fundamenta jaceremus. Sed sicut exhaustione ruderum nudata humo, sed immundis molibus multa aut nodamenta truncorum, aut residua ruinarum, aut pleraque noxii generis animalia, et præcipuè fœtus aut cubilia viperarum deprehenduntur ; sic remotâ à nostro pectore temporalium rerum possessione et curâ, jam nobis inspectione cordis nostri vacantes ab his quæ nos foras extrahebant, inveteratorum criminum nodos, et inimicorum spiritualium latebras in nostris sensibus invenimus.

N. 21. Intellige hæc, et curâ nostri anxio corde suspira, providens, quia laus in exitu canitur, quo cœpimus, ejusdem Domini gratiâ perficiamur ; et usque ad finem præcepti pareamus, cui videmur in capite consilii paruisse. Concilium enim dat, non præceptum, qui non dicit : Esto perfectus ; sed, *Si vis esse perfectus :* (*Matth.* XIX. 21.) quia libertas voluntatis, quæ bona cùm est supra legem est, non cogitur, sed suadetur, et ipsa tibi lex est. Quantum autem sit Christum sequi potes de Apostoli sententia colligere, quâ ait : * *Qui dicit se Christum sequi, debet, sicut ambulavit, et ipse ambulare.* (1. *Joan.* II. 6.) Quomodo autem ambulaverit Christus, docet alius magister : *Qui peccatum*, inquit, *non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus :* (*Isai.* LIII. 9.) *qui cùm malediceretur, non remaledixit, tradebat autem se* ad mortem *judicanti injustè.* (1. *Petr.* II. 22. *et* 23.) Sed ex ipsius actione et præceptis scire possumus quomodo ambulaverit. Ad hoc enim venit ut vitam suam nobis in formulam et speculum vitæ proponeret. *Non veni*, inquit, *legem solvere, sed adimplere :* (*Matth.* V. 17.) et quæ adimpletio sit, etiam docet ipse dicens : *Nisi abundaverit justitia vestra super justitiam Pharisæorum, non introibitis in Regnum cœlorum.* (*Ibid.* 20.) Hoc enim est adimplere, quod desit adjicere. Lex dixit : *Non occides* (*Exod.* XX. 13.) ; at ipse : *nec irasceris sine causa fratri tuo.* (*Matth.* V. 22.) Lex adulterium interdicit (*Deut.* V. 18.), at ipsa veritas curiosum in feminas damnat aspectum. (*Matth.* V. 28.) Ex quo vides, quantò major sit lege fides, cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est : (*Rom.* II. 29.) quia legis circumcisio in aperto est, fidei in occulto. Lex ramos peccati præfringit, fides radices eruit : quæ nos non operibus tantùm, sed

I. Quid consilia Evangelica ?

R. Consilia Evangelica sunt res quædam eximiæ, quas fieri à Christianis Christus hortatus est, non præcepit.

Hoc ergo interest inter consilia et præcepta, quòd præcepta omnibus de necessitate sint salutis ; consilia non item, nisi fortè quis ad consiliorum observationem se voto obstrinxerit. (C)

et sensibus immaculatos facit ; ut verè ad primordialem dignitatem, hoc est, Dei similitudinem reformemur, non solùm corpore, sed et corde mundati. Unde et Apostolus depositâ terreni hominis specie cœlestem nos induere testatur (*Colos.* III. 10.) ; et idem alibi, jam ut indutum Christo virum, gloriam Dei esse pronuntiat. (1. *Cor.* XI. 7.)

N. 22. Vide ergo quantum nobis agendum sit, ut non perfecti, sicut dicis, sed inchoati, ut probamus, itineris spatium perlegamus ; qui justitiam legis jubemur excedere (*Matth.* V. 20.), *ut efficiamur justitia Dei* (2. *Cor.* V. 21.) : neque in lege nobis actio, sed in voluntate lex sit. Christum sequi, Deum imitari est. Et qui nos lege ipsa justitiæ suæ justiores, et juxta Patrem suum vult esse perfectos, non solùm humanas fugere culpas, sed et divinas poscit implere virtutes. Quod quia tantæ difficultatis esse perspicis in agone versantibus ; quantæ gloriæ est exhausta decertatione victoribus, noli interim, dum in scaminate sumus, dum *foris pugnæ, intus terrores* (2. *Cor.* VII. 5.), alta pro nobis sapere ; aut loqui : sed potiùs time (*Rom.* XI. 20.), et laborantibus collabora spiritu, et cooperare orationibus ; ut per nos quoque *destruat inimicum et defensorem*, (*Psal.* VIII. 3.) qui *elegit infirma mundi, ut confundat fortia.* (1. *Cor.* I. 27.)

N. 23. Posce suppliciter, ut intellectum det nobis, in viâ hâc, quâ nos vocat (*Psal.* XXXI. 8.), ut videamus, quia ipse est Deus (*Psal.* XLV. 11.) qui *crucifixus est ex infirmitate nostra, sed vivit ex virtute Dei* (2. *Cor.* XIII. 4.) infirmet in nobis virtutem peccati, ut confirmet virtutis suæ spiritum : convertat et inopiam, et abundantiam nostram ; ut justitiâ, quâ indigemus, abundemus : et iniquitate, quâ abundamus, egeamus. Nudemur criminibus, et virtutibus vestiamur. Ferat nobis opem contra voluntates nostras, nec *tradat nos desideriis cordis* nostri (*Rom.* I. 24.) : et adversùs carnem et sanguinem, zabulum et mortem det nobis victoriam, sicut Abrahæ dedit adversùs quatuor reges (*Gen.* XIV. 15.), quos ille fidei pater hoc mysterio superavit : quo fides nostra, si confirmata sit spiritu principali (*Psal.* L. 14.), totidem corporis nostri elementa verbo Dei subiget. Et sicut ille pro fratre quinque in Regibus victo victor : ita et fides pro anima, quæ totidem sensibus viget, victrix de exteriore homine triumphabit, in quo de totidem elementis composito quatuor Regum forma concluditur. Sed sicut ille, non multitudine nec virtute legionum, sed jam tum in sacramento Crucis cujus figura per litteram T. Græcam numero trecentorum exprimitur (*Gen.* XIV. 14.), adversarios principes debellavit : cujus mysterii virtute, trecentis in longum texta cubitis (*Gen.* VI. 15.), superavit arca diluvium, ut nunc Ecclesia hoc seculum supernavigat : ita et nos non nostris opibus aut viribus freti, sed unicâ crucifixi scientiâ, elevemus ad ipsum oculos nostros, ut *mirificet super nos misericordias suas, qui salvos facit sperantes in se.* (*Ps.* XVI. 7.) Quia ipse est *Dominus conterens bella, potens in prælio* : (*Ps.* XLV. 10. *et* XXIII. 8.) qui nobis et fiduciam dimicandi et viam vincendi dedit, cùm jam triumphantem in seipso naturam hominis portans ait : " *Constantes estote* quoniam *ego vici mundum.* (*Joan.* XVI. 33.)

S. THOM. 2. 2. *art.* 3. *ad* 1. *Vide suprà litt.* (A) *hocce* §.

(C) S. AUG. *Enchirid. cap.* 121. *n.* 32. *vide suprà hocce* §. *litt.* (A)

Enarr. in Ps. LXXXIII. *n.* 4. Unusquisque autem, Fratres charissimi, de loco itineris sui, ad quem proficiendo pervenit, et quem vovit Deo, indè respicit retrò, cùm ipsum dimiserit. Verbi gratiâ, statuit castitatem conjugalem servare, (indè enim incipit justitia,) necessit à fornicationibus, et ab illa illicitâ immunditiâ : quando se ad fornicationes converterit, retrò respexit. Alius ex munere Dei majus aliquid vovit,

I. Quænam sunt consilia Evangelica ?

R. Præcipua sunt castitas, paupertas, et obedientia. (D)

statuit nec nuptias pati : qui non damnaretur, si duxisset uxorem ; post votum quòd Deo promisit, si duxerit, damnabitur : cùm hoc faciat, quod ille qui non promiserat ; tamen ille non damnatur, iste damnatur. Quare, nisi quia ille respexit retrò ? Jam enim antè erat, illud nondum pervenerat. Sic virgo, quæ si nuberet, non peccaret, sanctimonialis si nupserit, Christi adultera deputabitur. Respexit enim retrò de loco quò accesserat. Sic quibus placet relictâ omni spe seculari et omni actione terrenâ, conferre se in societatem Sanctorum, in communem illam vitam, ubi non dicit aliquis aliquid proprium, sed sunt illis omnia communia (*Act.* II. 44. *et* IV. 34.), et est illis anima una, et cor unum in Deum ; quisquis inde recedere voluerit, non talis habetur qualis ille non intravit. Ille enim nondum accessit, iste retrò respexit. Quapropter, charissimi, quomodo quisque potest, vovete et reddite Domino Deo vestro (*Ps.* LXXV. 12.) quod quisque potuerit ; nemo retrò respiciat, nemo pristinis suis delectetur, nemo avertatur ab eo quod antè est, ad id quod retrò est : currat donec perveniat ; non enim pedibus, sed desiderio currimus. Nullus autem in hâc vitâ pervenisse se dicat. Quis enim potest tam perfectus esse quàm Paulus ? et ait tamen : Fratres, ego me non arbitror apprehendisse : unum autem, quæ retrò oblitus, in ea quæ antè sunt extentus, secundùm intentionem sequor ad palmam supernæ vocationis Dei in Christo Jesu. (*Philipp.* III. 13. *et* 14.) Vides Paulum jam currere, et te jam existimas pervenisse ?

De sancta Virginitate, c. 14. *n.* 14. Præsens ergo est vitanda necessitas, sed tamen quæ aliquid bonorum impedit futurorum : quâ necessitate vita cogitur conjugalis cogitare quæ mundi sunt, quomodo placeat vir uxori, vel uxor viro. Non quòd ea separent à regno Dei, sicut sunt peccata, quæ ideò præcepto, non consilio cohibentur, quia Domino præcipienti non obedire damnabile est ; sed illud quod in ipso Dei regno amplius haberi posset, si ampliùs cogitaretur quomodò placendum esset Deo, minus erit utique cùm hoc ipsum minùs conjugii necessitate cogitatur. Ideò *de virginibus*, inquit, *præceptum Domini non habeo.* (1. *Cor.* VII. 25.) Præcepto quisquis non obtemperat, reus est et debitor pœnæ. Proindè quia uxorem ducere vel nubere peccatum non est, si autem peccatum esset, præcepto vetaretur ; propterea præceptum Domini de virginibus nullum est. Sed quoniam devitatis remissisve peccatis, adeunda est vita æterna, in quâ est quædam egregia gloria, non omnibus in æternum victuris, sed quibusdam ibi tribuenda, cui consequendæ parum est liberatum esse à peccatis, nisi aliquid ipsi liberatori voveatur, quod non sit criminis non vovisse, sed vovisse ac reddidisse sit laudis : *consilium*, inquit, *do tanquam misericordiam consecutus à Deo, ut fidelis essem.* (*Ibid.*) Neque enim invidere debeo fidele consilium, qui non meis meritis, sed Dei misericordiâ sum fidelis. Existimo *itaque hoc bonum esse propter præsentem necessitatem.* (*Ibid.* 26.) Hoc, inquit, undè præceptum Domini non habeo, sed consilium do, hoc est, de virginibus, existimo bonum esse propter præsentem necessitatem. Novi enim quid præsentis temporis, cui conjugia serviunt, necessitas cogat, ut ea quæ Dei sunt minùs cogitentur, quàm sufficit adipiscendæ illi gloriæ, quæ non erit omnium, quamvis in *vitâ æternâ* à salute manentium. *Stella enim ab stellâ differt in claritate, sic et resurrectio mortuorum.* (1. *Cor.* XV. 41.) *Bonum est ergo homini sic esse.* (*Ibid.* VII. 26.)

Serm. 355. *aliàs* 49. S. HIERON. *Epist.* 7. *aliàs* 250. *ad Hedibiam.* S. BASIL. *de instituto Monach. Vide infrà hocce* §. *litt.* (F)

(D) MATTH. XIX. 12.... Sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum. Qui potest capere capiat.

1. COR. VII. 8. Dico autem non nuptis et viduis : Bonum est illis si sic permaneant, sicut et ego.... 25. De virginibus autem præceptum Domini non habeo : consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus à Domino, ut sim fidelis. 26. Existimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quoniam bonum est homini sic esse.

MATTH. XIX. 21. Ait illi Jesus : si vis perfectus esse, vade, vende quæ ha-

Castitas Evangelica, est propositum perpetuæ virginitatis vel continentiæ. (E)

bes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo : et veni sequere me.

LUC. XIV. 33. Sic ergo omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.

IX. 23. Dicebat autem (Jesus) ad omnes : si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me. (*Matth.* X. 38. *et* XVI. 24. *Marc.* VIII. 34.)

XVI. 26. Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus. (*Matth.* V. 37.)

(E) 1. Cor. VII. 8. *Vide suprà hocce §. litt.* (D)

S. CYPRIAN. *de habitu virginum. Vide suprà cap.* 7. *Sect.* 3. *hujusce Partis, litt.* (B)

S. GREG. NAZIANZ. *Carm.* 42. *ad virginem, et Carm.* 3. *Præcepta ad virgines. Vide ibid.*

S. BASIL. *ad virgin. laps. Vide ibid.*

Epist. ad Amphil. 2. *Can.* 18. Virgo nominatur quæ se suâ sponte Domino obtulit, et matrimonio renuntiavit, et vitam in sanctificatione prætulit. Professiones autem ab eo tempore judicamus, quo ætas rationis complementum habuerit. Non enim pueriles voces omninò in his esse ratas existimare oportet : sed eam quæ supra sedecim vel septemdecim annos nata fuerit, rationisque compos, et diu examinata probataque perseveraverit, et ut admittatur precibus contendat; tum oportet in sacrorum virginum catalogum referri, ejusque confessionem comprobare, et illius infirmationem inexorabiliter punire.

S. AMBROS. *Lib.* 1. *de virginibus, c.* 6. *n.* 30. *Lib.* 2. *c.* 2. *n.* 7. *c.* 4. *n.* 24. *Lib.* 3. *c.* 3. *n.* 13. *de lapsu virg. consecrat. c.* 4. *n.* 11. *Vide suprà cap.* 7. *Sect.* 3. *hujusce Part. litt.* (B)

S. HIERON. *Lib.* 2. *advers. Jovinian. Vide ibid. et litt.* (C)

Epist. ad Rustic. Vide hujusce Part. Sect. 1. *Cap.* 2. §. 3. *litt.* (G)

S. AUG. *de Virginit. cap.* 11. *n.* 11. *Vide suprà cap.* 7. *Sect.* 3. *hujusce Partis, litt.* (B)

De Bono conjugali, n. 3. 4. 6. 7. 8. 11. 12. 18. 21. *Vide ibid. litt.* (C)

De Bono viduitatis, n. 11. 20. 28. *ibid. litt.* (E)

S. ATHANAS. *De Incarn. Verb. Dei, n.* 51. *pag.* 92. Quis igitur hominum post mortem, vel etiam per vitam, virginitatem docuit, ac non potiùs hanc virtutem acquiri ab hominibus non posse ? At Salvator noster omniumque imperator Christus in illa suadenda virtute tantum pondus habuit, ut etiam pueri legitimam ætatem nondum adepti, virginitatem, quæ quidem supra legem est, profiteri non vereantur.

Ad Imperat. Const. Apol. n. 33. *pag.* 317. Dei Filius, Dominus et Salvator noster Jesus Christus, propter nos homo factus, qui mortem abrogavit, nostrumque genus à servitute corruptionis liberavit, cum aliis omnibus donis suis illud quoque nobis impertivit, ut Angelorum imaginem in terra haberemus, nempe virginitatem. Eas sanè quæ hac virtute præditæ sunt sponsas Christi vocare consuevit Catholica Ecclesia : has Ethnici cùm vident ut templum Verbi admirantur : certum quippe est nusquam hanc venerandam ac cœlestem professionem excoli, nisi duntaxat apud nos Christianos. Hoc enim maximum est argumentum, certam ac veram apud nos esse religionem.

S. ATHANAS. *seu* AUCTOR *Lib. de virginit. n.* 2. *pag.* 111. *tom.* 2. Si enim qui mundo copulantur, relinquunt patrem et matrem, ut mortalibus hominibus copulentur; quantò magis virgo continens relinquere debet terrestria omnia, et Domino soli agglutinari ? Hujus mei dicti testis et ipse Apostolus, ita loquens : * *Mulier innupta sollicita est eorum quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu. Nupta verò sollicita est eorum, quæ sunt mundi, quomodo placeat viro, et divisa est.* (1. *Cor.* VII. 34.) Hoc igitur dico, quòd omnis virgo, aut vidua continens, si curam suam collocet in hoc mundo, ejus rei cura illi pro marito est : sive possessiones, sive alias substantias possideat, ipsa sollicitudo contaminat ejus animam. Ut enim per virum corpus contaminatur, ita quoque habitus mundani,

Paupertas Evangelica, est abnegatio voluntaria divitiarum, ut sequamur perfectiùs vestigia Christi pauperis. (F)

et animam et corpus continentis conspurcant, neque jam est sancta corpore et spiritu. Quæ autem curat opus Domini, hujus sponsus est Christus. Ea enim, quæ coaptatur viro corruptibili voluntatem vir sui facit... Quæ autem conjungitur cœlesti sponso, voluntatem sui sponsi facit.

N. 3. Ea autem est voluntas Christi, ut is qui ipsi conglutinatus est, nihil secum omninò hujus seculi ferat, nihil terrestria curet; sed solùm ut Crucem ejus, qui pro se crucifixus est, bajulare velit: curamque ac sollicitudinem gerat, die ac nocte, ut perpetuis hymnis, et glorificationibus eum celebret, illuminatum habeat mentis oculum, sciat illius voluntatem et ei obsequatur, cor simplex possideat, et mentum puram.

N. 11. *pag.* 116. Ne exuaris ad usque nuditatem: nocte dieque vestis tegat carnem tuam. Nunquam te alia femina nudam videat, nisi in summa necessitate: neque te ipsa consideres, nudo corpore. A quo tempore enim statuisti Deo casta esse, corpus tuum sanctificatum et templum Dei est. Non debet igitur templum Dei ab ullo retegi.

N. 22. *pag.* 123. Non confidas in tua castitate, ne cadas; sed time: quanto tempore timebis non peccabis.

N. 23. Nam timentibus Dei præcepta non sunt difficilia. Nulla hora deficiat oleum in lampade tua; ne veniens sponsus, eam exstinctam inveniat. Ignoras enim quâ horâ venturus sit, primone somno an manè. Parata igitur esto; ut cùm venerit, unà cum prudentibus obviam ipsi venias, habens oleum in lampade tua, hoc est, bona opera tua.

(F) MATTH. XIX. 21. *et* LUC. XIV. 33. *Vide suprà hocce* §. *litt.* (D)

S. BASIL. *De instit. Monach. Serm. pag.* 390. Porrò ad hujusmodi studium mirè conducit et cooperatur virginitas, si quis eam rectâ ratione coluerit. Neque enim in hoc tantummodo virginitatis donum consistit, si quis in eo abstinens fuerit, ut progignendis liberis operam non det: sed ut quis id rectè assecutus dici possit, victus ipse omnis, vita quoque, omnisque animi morum conformatio virginitatem servent oportet: nullumque esse in eo studium debet, in quo non perpetuo cælibis integritatem præ se ferat. Siquidem fieri potest, ut quis sermone etiam scortetur, et oculis adulter sit, et auditu polluatur, et cor inquinandum præbeat: immodicèque edendo potandoque temperantiæ finibus egrediatur. Qui enim adhibitâ in his temperantiâ, se intra virginitatis limites continuerit, verè hic absolutissimum se habere virginitatis donum declarat. Quamobrèm si per vitiorum evacuationem ad Dei similitudinem animæ nostræ charactere componere nobis in animo est, et hac ratione sempiternam nobis vitam acquirere, danda omninò nobis sedulò opera est, ne quid quoquo pacto professione nostrâ indignum faciamus, neve simili, atque Ananias, judicio efficiamur obnoxii. (*Act.* V.) Licebat enim initio Ananiæ possessiunculam suam Deo non polliceri ac vovere: sed postquam humanæ gloriæ cupiditate inductus, quidquid in bonis habebat per professionem Deo consecravit, quo videlicet egregio istiusmodi facto hominum de se admirationem excitaret: de pretio autem callidè postea nescio quid intervertit, ejusmodi adversum se indignationem Dei provocavit, cujus Petrus minister fuit, ut ne ad pœnitentiam aditum invenire potuerit. Quocirca ante religiosæ istius vitæ professionem liberum est unicuique, quatenus per Dei indulgentiam leges permittunt, communem cum cæteris videndi morem sequi, sibique uxorem adjungere: ubi verò jam quis sponte suâ ipse professus est, hic Deo custodire seipsum debet, veluti eorum aliquid, quæ dicata sunt Deo, ne sacrilegii judicium incurrat; cùm videlicet corpus, quod semel Deo consecravit, ministerio rursùm communis vitæ contaminet. Atque hoc dico, non unum tantummodo vitiosæ affectionis genus spectans, quemadmodum opinantur quidam, qui perfectam habere se virginitatem existimant, si castum modò corpus suum custodierint: sed ut doceam cum, qui Deo servare se integrum velit, nullà debere pravà affectione mundanà inquinari juxta omnem vitiosæ affectionis modum. Nam iracundia, invidia, et præteritarum injuriarum tenax memoria, mendacium item, et superbia, et elatio spiritûs, et intempestiva locutio, et in ora-

tione facienda lentitudo, et rerum quæ nullæ sunt cupiditas, mandatorum negligentia, in vestitu nimio plus exquisitus ornatus, orisque ad venustatis speciem compositio, congressionesque ac colloquia non habita vel decori, vel necessitatis ratione, hæc omnia adeò diligenter ab eo sunt cavenda, qui per virginitatem Deo seipsum consecravit, ut par sibi propemodum esse periculum intelligat, si in aliquo istorum lapsus sit, atque si in vetitum propriè peccatum incurrat. Siquidem cuncta, quæ cum vitiosa animi affectione fiunt, ea animi quodammodo candorem contaminant, et ad divinam vitam impedimento sunt. Ad hæc igitur omnia respiciat oportet, qui seculo nuntium remisit, ut videlicet nullo modo, postcaquam jam divinum veluti vas factus sit, vitioso se usu pollui patiatur.

Pag. 394. Apotheca verò communis omnium sit, neque proprium alicujus quidquam nominetur, non vestimentum, non calceamentum, non denique aliud quippiam eorum quæ ad necessarium corporis usum spectant. Sed ea potestas Antistitis sit, ut ex eis quæ in communi posita fuerint, ut quodque cuique aptum esse ad usum judicaverint, ita ab eo illis pro tempore assignetur; idque juxta Præpositi sententiam.

Pag. 397. Qui ad excellens hoc et sublime vitæ genus aspirat, is pecuniâ suâ omni spoliet. Siquidem earum rerum, quæ sunt cum materia conjunctæ, sollicitudo, procuratioque magnopere mentem atque animum distrahunt. Quoties igitur plures inventi fuerint, qui eodem sibi cuncti proposito fine, vitam unà inter se agere decreverint, hoc cum primis firmè tenere illi debent, ut cunctorum una omninò mens sit, et voluntas una, et idem prorsùs desiderium, et ut juxta legem sancit Apostolus, omnis quæ in unum convenerit multitudo, corpus unum efficiatur, ex dissimilibus inter se membris coagmentatum. Hoc autem aliter nullo modo legimus confici posse, nisi apud eos illud probè stabilitum teneatur, ut nihil quidquam suum cujusquam esse præcisè et peculiariter dicatur, non vestimentum, non vas, non aliud quippiam eorum, quæ ad societatem vitæ conducunt, ea re, ut singula hæc utilitati communi, non autem privato sibi vendicantis commodo serviant. Et quemadmodum vestimentum quod contractius est, amplioris staturæ corpori convenire non potest, itemque contrà, quod justæ staturæ habile esset, id exiguo corpori non conveniat: sed quidquid unicuique aptum est, id utile est, et commodum: item quoque servari in reliquis rebus idem debet, ut lectus videlicet, ut stragulæ vestes, ut calidum indumentum, calceamentumque ejus sint, quibus valdè his opus sit, non autem ejus qui illa possideat. Ut enim medicamento non is utitur, qui sanus est, sed qui saucius; sic iis etiam, quæ levandi causâ corporis inventa sunt, is uti debet, non qui delicatulus est, sed qui imbecillus.

Lib. Regul. Interrog. 6. *pag.* 425. Illud autem, *si quis vult venire post me, abneget semetipsum*, quomodo unquam consequi poterit is, qui rebus sit istius modi distentus? Siquidem oportet, ut nos ipsos primùm abnegemus, et crucem sustollamus, ac tum demùm illum sequamur. Nihil est autem aliud sui ipsius abnegatio, nisi summa rerum omnium vitæ superiorum oblivio, atque à suis ipsius voluntatibus recessio.

Interrog. 8. *pag.* 430. Nunquid homini omnia relinquenda sint priùs, atque ita postea ad eam quæ secundùm Deum est, vitam accedendum? *Responsio.* Cùm Dominus noster Jesus Christus post multa, eaque multis ex rebus gestis firmissimè à se tradita documenta, ad omnes loquatur, ac dicat: *Si quis venit ad me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me:* (*Matth.* XVI. 24.) et item: *sic igitur quicunque ex vobis, qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus:* (*Luc.* XIV. 33.) Nos præceptum hoc ad plura arbitramur pertinere, quorum necessaria alienatio sit.... In summa denique cui propter Christum mundus totus crucifixus est, et ipse Christo, quomodo potest particeps esse ampliùs eorum quæ in mundo sunt: cùm Dominus noster Jesus Christus rem ipse ad summam prorsùs fastigium perducat, nempe odium animæ, et suimet ipsius abnegationem, quando dicit: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam:* (*Ibid.*) tumque subjungit: *et sequatur me.* Et rursus: *Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, insuper*

et animam suam, non potest meus esse discipulus? (*Luc.* XIV. 26.) Perfecta igitur renuntiatio in eo consistit, si quis id assecutus fuerit, ut passionibus omnibus careat, et nec ad vitam ipsam affectu inclinetur, esto *habeat mortis responsum, ita ut nihil sibi confidat.* (2. *Cor.* I. 9.) Porrò ejuscemodi renuntiatio initium sumit ab alienatione rerum externarum, veluti possessionum, inanis gloriæ, consuetudinis vitæ superioris, ad res inutiles affectionis, quomodo sanè ut faceremus, exemplo suo admonuerunt nos sancti Domini Discipuli, Jacobus quidem et Joannes, relicto patre suo Zebedæo, ipsoque de quo tota illorum victûs ratio pendebat, navigio.... Quanquam quod dico, quid aut rationibus à nobis inventis, aut sanctorum virorum exemplis attinet confirmare? Cùm ipsa Domini nostri verba in medium liceat afferre, iisque ipsis religiosum ac Dei timentem animum magnopere commovere, quibus ille palàm ac citra controversiam testificans, sic dicit: *Sic igitur quicunque ex vobis non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* (*Luc.* XIV. 33.) Et alio in loco, cùm post oblatam conditionem illam, *si vis perfectus esse*, verba illa subjecisset, *vade, vende quæ habes, et da pauperibus*, post illud adjecit, *veni, sequere me.* (*Matth.* XIX. 21.) Atque etiam similitudinem illam de negotiatore hùc quoque manifestè spectare nemo non (modò æquus interpres) intelligit. *Simile* enim *est*, inquit, « regnum cœlorum » homini negotiatori quærenti bonas margaritas. Inventâ autem unâ pre» tiosâ margaritâ, abiit, et vendidit omnia quæ habuit, et emit eam. » (*Matth.* XIII. 45. 46.) Planum est enim pretiosam margaritam cœleste regnum significare hoc in loco. Quod regnum nos assequi posse Dominus negat, nisi omnia simul quæ habemus, divitias, gloriam, genus, et si quid sit aliud eorum quibus plerique ambitiosiùs inhiant, pro eo parando, neglexerimus. Deinde illud etiam fieri non posse, ut illud obtineatur, quod cupitur studiosiùs, si mens diversis sit curis distracta, idem Dominus asseruit, cùm dixit: *Nemo potest duobus dominis servire:* (*Matth.* VI. 24.) itemque: *Non potestis Deo servire et mammonæ.* (*Ibid.*) Quæ cùm ita sint, sine dubio unum nos diligere thesaurum convenit, nempe illum cœlestem, in quo mentem habeamus defixam. *Ubi enim est*, inquit, *thesaurus tuus, ibi et cor tuum erit.* (*Ibid.* 21.) Ex quo intelligitur, quandocunque vel peculiarem possessiunculam aut certè exuberantem opum copiam, terrenam quidem illam et corruptelæ expositam nobis reservamus, in his mente nostrâ veluti in cœno quodam consepultâ, necesse sit, animo ad rerum divinarum contemplationem aditum præcludi, eumque ita jacere ut de cœlestibus ac promissis nobis à Deo bonis cogitare non possit. Quæ bona non possumus assequi, nisi ad ea petenda indivulsa et vehemens nos quædam cupiditas inflammet, ac rapiat, quæ susceptos pro iis adipiscendis labores faciat leves. Est igitur, quemadmodum docuimus, renuntiatio nihil aliud quàm vinculorum crassæ hujus ac temporariæ conversationis absolutio, quæ nos, dum emancipat semel ac subducit anxiis et humanam vitam comitantibus negotiis, expromptiores ac magis idoneos reddit ineundæ vitæ ad Dei contemplationem rectà provehenti. Renuntiatio ejusmodi citra ullius impedimenti remoram subsidio est nobis nec mediocri, ad parandam possessionem usumque rerum pretiosissimarum, nempè super aurum et lapidem pretiosum multum; atque breviore compendio circumscribam, renuntiatio est cordis ab humano vivendi ritu, ad eum transcriptio qui in cœlis est, adeò ut jure optimo dicere possimus: *Nostra conversatio in cœlis est.* (*Philipp.* III. 20.)

S. HIERON. *Epist.* 5. *aliàs* 1. *ad Heliod. sub initio.* Nolo pristinarum necessitatum recorderis. Nudos amat eremus. Nolo te antiquæ peregrinationis terreat difficultas. Qui in Christum credis, et ejus crede sermonibus. * *Quærite primùm regnum Dei, et hæc omnia apponentur vobis.* (*Matth.* VI. 33.) Non pera tibi sumenda, non virga est. Affatim dives est, qui cum Christo pauper est.

Et paulò post. Animadverte, frater: non tibi licet de tuis quidquam habere rebus. *Omnis*, inquit Dominus, *qui non renuntiaverit cunctis quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* (*Luc.* XIV. 33.) Cur timido animo Christianus es? Respice Petro relictum rete: (*Matth.* IX. 20.) respice surgentem de teloneo Publicanum, (*Id.* IX. 9.) statim Apostolum.

Filius hominis non habet, ubi caput reclinet: (*Id.* VIII. 20.) et tu amplas porticus, et ingentia tectorum spatia metiris? Hæreditatem exspectans seculi, cohæres Christi esse non poteris... Sed forsitan dicturus es: Quid ergo? Quicunque in civitate sunt, Christiani non sunt? Non est tibi eadem causa quæ cæteris. Dominum ausculta dicentem: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia tua et da pauperibus, et veni, sequere me.* (*Matth.* XIX. 21.) Tu autem perfectum te esse pollicitus es. Nam cùm derelictâ militiâ, *te castrasti propter regnum cœlorum*, (*Ibid.* 12.) quid aliud quàm perfectam secutus es vitam? Perfectus autem servus Christi, nihil præter Christum habet. Aut si quid præter Christum habet, perfectus non est. Et si perfectus non est, cùm se perfectum fore Deo pollicitus sit, antè mentitus est. *Os autem quod mentitur occidit animam.* (*Sap.* I. 11.) Igitur, ut concludam: Si perfectus es, cur bona paterna desideras? si perfectus non es, Dominum fefellisti. Divinis Evangelium vocibus consonat: *Non potestis duobus dominis servire;* (*Luc.* XVI. 13.) et audet quisquam mendacem Christum facere, Mammonæ et Domino serviendo? Vociferatur ille sæpè: « Si quis vult post me venire, abneget semetipsum » sibi, et tollat crucem suam, et sequatur me. » (*Luc.* IX. 23.) Et ego onustus auro arbitror me Christum sequi? « Qui dicit se in Christum » credere, debet quomodo ille ambulavit, et ipse ambulare. (1. *Joan.* II. 6.) »

Comment. in Matth. cap. XIX. 21. « Si vis perfectus esse, vade, vende » quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo, et veni, » sequere me. » In potestate nostra est, utrùm velimus esse perfecti. Tamen quicunque perfectus esse voluerit, debet vendere quæ habet: et non ex parte vendere sicut Ananias fecit et Sapphira, (*Act.* V.) sed totum vendere: et cùm vendiderit, omne dare pauperibus, et sic sibi præparare thesaurum in regno cœlorum. Et hoc ad perfectionem non sufficit, nisi post contemptas divitias Salvatorem sequatur, id est, relictis malis, faciat bona. Faciliùs enim sacculus contemnitur, quàm voluptas. Multi divitias relinquentes, Dominum non sequuntur. Sequitur autem Dominum, qui imitator ejus est, et per vestigia illius graditur. « Qui enim dicit » se in Christo credere, debet quomodo ille ambulavit et ipse ambu- » lare. » (2. *Joan.* II. 6.)

Epist. 7. *aliàs* 150. *ad Hedibiam Tom.* IV. *part.* 1. *col.* 169. *in edit. BB. Quæst.* 1. Interrogas, quomodo perfectus esse quis possit, et quomodo vivere debeat vidua, quæ sine liberis derelicta est. Hoc idem in Evangelio legis Doctor interrogat: (*Matth.* XIX. 16. *et seqq.*) *Magister, quid faciens vitam æternam possidebo:* Cui respondit Dominus: *Mandata nosti?* Dicit ille? *Quæ?* Jesus autem dixit: « Non homicidium facies, non adul- » terium, non furtum, non falsum dices testimonium: honora patrem » et matrem, et diliges proximum tuum sicut teipsum. » Et illo dicente: *Hæc omnia feci*: Dominus intulit: *Unum tibi deest. Si vis esse perfectus: vade et vende omnia quæ habes, et da pauperibus: et veni, sequere me.* Itaque et ego tibi Domini nostri respondebo sermonibus: si vis esse perfecta; et tollere crucem tuam, et sequi Dominum Salvatorem, et imitari Petrum dicentem: *Ecce nos dimisimus omnia et secuti sumus te,* (*Marc.* X. 28.) vade et vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et sequere Salvatorem. Non dixit, Da filiis, da fratribus, da propinquis, quos etiam si haberes, jure his Dominus præferretur: sed, *da pauperibus*; imò da Christo, qui in pauperibus pascitur.

Et multò post: Dicunt Apostoli se omnia quæ sua fuerant dimisisse, et mercedem pro hac virtute audacter exposcunt. Quibus respondit Dominus: « Omnis qui relinquit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, » aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, » centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit. » (*Matth.* XIX. 29.) O quanta beatitudo, pro parvis magna recipere, æterna pro brevibus, pro morituris semper viventia; et habere Dominum debitorem! Si qua autem vidua habet liberos, et maximè si nobilis familiæ est, egentes filios non dimittat; sed ex æqualitate, ut meminerit primùm animæ suæ, et ipsam putet esse de filiis: et partiatur potiùs cum liberis, quàm omnia filiis derelinquat; imò Christum filiorum suorum faciat cohæredem. Respondebis, difficile est, durum est, et contra naturam. Sed Dominum audies tibi respondentem: *Qui potest capere, capiat.* (*Ibid.* 12.) Et si vis

esse perfecta, non tibi jugum necessitatis imponit, sed potestati luæ liberum concedit arbitrium. Vis esse perfecta, et in primo stare fastigio dignitatis, fac quod fecerunt Apostoli, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et sequere Salvatorem, et nudam solamque crucem, nuda sequaris et sola. Non vis esse perfecta, sed secundum vis tenere gradum virtutis, dimitte omnia quæcunque habes, da filiis, da propinquis. Nemo te reprehendit, si inferiora secteris, dummodo illam scias tibi jure prælatam, quæ elegerit prima. Dices, hoc Apostolorum est et virorum : mulierem autem nobilem non posse omnia vendere, quæ multis adjumentis hujus vitæ indigeat. Audi igitur Apostolum commonentem : * *Non ut aliis refrigerium ; vobis autem tribulatio : sed ex æqualitate, vestra abundantia illorum sustentet inopiam : ut et illorum abundantia, vestræ inopiæ sit supplementum.* (2. *Cor.* VIII. 14.) Undè, inquit Dominus, * *Qui habet duas tunicas, det alteram non habenti.* (*Luc.* III. 2.) Quid si Scythiæ frigora sint, et Alpinæ nives, quæ non duabus et tribus tunicis, sed vix pecudum pellibus repelluntur ? Quidquid ergo corpori nostro sufficere potest, et humanæ succurrere imbecillitati, quos nudos natura profudit, hoc una appellenda est tunica : et quidquid in præsentibus alimentis necessarium est, hoc unius diei victus appellatur. Undè præceptum est * *Non cogitetis de crastino*, (*Matth.* VI. 34.) hoc est, de futuro tempore. Et Apostolus : * *Habentes*, inquit, *victum et vestitum, his contenti simus.* (1. *Tim.* VI. 8.) Si plus habes quàm tibi ad victum vestitumque necessarium est illud eroga, et in illo debitricem esse te noveris. Ananias et Sapphira Apostoli meruere sententiam, quia sua timidè reservarunt. (*Act.* V.) Ergone, inquies, puniendus est qui sua non dederit ? Minimè. Ideò puniti sunt, quia mentiri voluerunt Spiritui sancto, et reservantes necessaria victui suo, quasi perfectè seculo renuntiantes, vanam gloriam sectabantur. Alioqui licet liberè vel dare, vel non dare. Quanquam ei qui cupiat esse perfectus, præsens paupertas futuris divitiis compensanda sit.

Epist. 15. *aliàs* 4. *ad Rusticum. Vide suprà hujusce Partis Sect.* 1. *Cap.* 2. §. 3. *litt.* (G)

Et in fine. Si perfecta desideras, exi cum Abraham de patria et cognatione tua, et perge quò nescis. Si habes substantiam, vende, et da pauperibus. Si non habes, grandi onere liberatus es : nudum Christum, nudus sequere : durum grande, difficile, sed magna sunt præmia.

S. Aug. *Serm.* 355. *aliàs* 49. *de divers. cap.* 1. *n.* 2. Nostis omnes, aut penè omnes, sic nos vivere in ea domo quæ dicitur domus Episcopii, ut, quantùm possumus, imitemur eos sanctos, de quibus loquitur liber actuum Apostolorum : *Nemo dicebat aliquid proprium, sed erant illis omnia communia.* (*Act.* IV. 32.) Quia fortè aliqui vestrùm non sunt tam diligentes vitæ nostræ scrutatores, ut hoc sic noverint, quomodo volo vos nosse ; dico quid sit, quod breviter dixi, Ego, quem Deo propitio videtis Episcopum vestrum, juvenis veni ad istam civitatem, ut multi vestrùm noverunt. Quærebam ubi constituerem monasterium, et viverem cum fratribus meis. Spem quippe omnem seculi reliqueram, et quod potui, esse nolui : nec tamen quæsivi esse quod sum. *Elegi in domo Dei mei abjectus esse magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum.* (*Ps.* LXXXIII. 11.) Ab eis qui diligunt seculum segregavi me : sed eis qui præsunt populis, non me coæquavi. Nec in convivio Domini mei superiorem locum elegi, sed inferiorem et abjectum : et placuit illi dicere mihi, ascende sursùm. Usque adeò autem timebam Episcopatum, ut quoniam cœperat esse jam alicujus momenti inter Dei servos fama mea, in quo loco sciebam non esse Episcopum, non illò accederem. Cavebam hoc, et agebam quantùm potcram, ut in loco humili salvarer, ne in alto periclitarer. Sed, ut dixi, Domino servus contradicere non debet. Veni ad istam civitatem propter videndum amicum, quem putabam me lucrari posse Deo, ut nobiscum esset in monasterio ; quasi securus, quia locus habebat Episcopum. Apprehensus, Presbyter factus sum, et per hunc gradum perveni ad Episcopatum. Non attuli aliquid, non veni ad hanc Ecclesiam, nisi cum iis indumentis quibus illo tempore vestiebar. Et quia hoc disponebam, in monasterio esse cum fratribus, cognito instituto et voluntate meà, beatæ memoriæ senex Valerius dedit mihi hortum illum, in quo nunc est monasterium. Cœpi boni propositi fratres colligere, com-

pares meos, nihil habentes sicut nihil habebam, et imitantes me: ut quomodo ego tenuem paupertatulam meam vendidi et pauperibus erogavi, sic facerent et illi qui mecum esse voluissent, ut de communi viveremus; commune autem nobis esset magnum et uberrimum prædium ipse Deus. Perveni ad Episcopatum: vidi necesse habere Episcopum exhibere humanitatem assiduam quibusque venientibus, sive transeuntibus; quod si non fecisset Episcopus, inhumanus diceretur. Si autem ista consuetudo in monasterio permissa esset, indecens esset. Et ideò volui habere in ista domo Episcopii mecum monasterium clericorum.

Cap. 2. Ecce quomodo vivimus. Nulli licet in societate nostra habere aliquid proprium: sed fortè aliqui habent. Nulli licet: si qui habent, faciunt quod non licet.

N. 3. Venit ad nos etiam Presbyter Januarius, qui videbatur sua honestè erogando quasi consumpsisse; sed non consumpsit. Remansit illi quædam pecunia, id est, argentum quod diceret esse filiæ suæ. Filia ipsius, Deo propitio, in monasterio feminarum, et bonæ spei est... Et quia infra annos erat, et de sua pecunia nihil facere poterat: (quamvis enim videremus fulgorem professionis, tamen lubricum timebamus ætatis:) factum est ut ipsum argentum quasi puellæ servaretur, ut cùm ad legitimos annos veniret, faceret inde quod virginem Christi deceret, quando optimè jam facere posset. Dum hæc exspectantur, cœpit ille morti propinquare: qui diu tanquam de suo, jurans quia ipsius erat, non filiæ, testamentum fecit. Testamentum, inquam, fecit! resbyter et socius noster, nobiscum manens, de Ecclesia vivens, communem vitam profitens, testamentum fecit, hæredes instituit. O dolor illius societatis! ò fructus natus non de arbore quam plantavit Dominus! Sed Ecclesiam scripsit hæredem? Nolo munera ista, non amo amaritudinis fructum. Ego illum Deo quærebam, societatem professus erat, hanc teneret, hanc exhiberet, nihil haberet, testamentum non faceret. Habebat aliquid? Non se nostrum socium quasi Dei pauperem fingeret. Magnus inde mihi dolor est, fratres. Dico charitati vestræ, propter hunc dolorem statui hæreditatem ipsam in Ecclesia non suscipere. Filiorum ipsius sit quod reliquit, ipsi inde faciant quod voluerint. Videtur enim mihi quia si eam suscepero, in isto facto, quod mihi displicet, et quod doleo, ejus particeps ero. Hoc volui non latere charitatem vestram.

N. 4. Tamen rogo vos, nemo me reprehendat, quia ejus hæreditatem nolo suscipiat Ecclesia. Primò quia factum illius detestor: deinde quia institutum meum est.

Cap. 4. *n.* 5. Entecham nobis habere non licet: non est enim Episcopi servare aurum, et revocare à se mendicantis manum.

N. 6. Sanè etiam hoc noverit Charitas vestra dixisse me fratribus meis, qui mecum manent, ut quicunque habet aliquid: aut vendat et erogel, aut donet, et commune illud faciat. Ecclesiam habet, per quam nos Deus pascit. Et dedi dilationem usque ad Epiphaniam, propter eos qui vel cum fratribus suis non diviserunt,... vel nondum de re sua aliquid egerunt, quia exspectabatur ætas legitima. Faciant inde quod volunt: dum tamen sint pauperes mecum, simul exspectantes misericordiam Dei. Si autem nolunt, qui fortè nolunt, certè ego sum qui statueram, sicut nostis, nullum ordinare clericum, nisi qui mecum vellet manere: ut si vellet discedere à proposito, rectè illi tollerem clericatum, quia desereret sanctæ societatis promissum cœptumque consortium. Ecce in conspectu Dei et vestro, muto consilium: qui volunt habere aliquid proprium, quibus non sufficit Deus et Ecclesia ejus, maneant ubi volunt, et ubi possunt, non eis aufero clericatum. Nolo habere hypocritas. Malum enim est, quis nesciat? Malum est cadere à proposito: sed pejus est simulare propositum. Ecce dico, audite: qui societatem communis vitæ jam susceptam, quæ laudatur in Actibus Apostolorum, deserit, à voto suo cadit, et à professione sancta cadit. Observet judicem, sed Deum, non me. Ego ei non aufero clericatum. Quantum sit periculum ante oculos ejus posui: faciat quod vult. Novi enim quia si aliquem hoc facientem degradare voluero, non ei deerunt patroni, non ei deerunt suffragatores, et hic et apud Episcopos, qui dicant, Quid mali fecit? non potest tecum tolerare istam vitam: extra Episcopium vult manere,

et de proprio vivere, ideone debet perdere clericatum ? Ego scio quantum malum sit profiteri sanctum aliquid, nec implere. *Vovete*, inquit, *et reddite Domino Deo vestro* : (*Ps.* LXXV. 12.) et * *Melius est non vovere, quàm vovere et non reddere.* (*Eccle.* V. 4.) Virgo et si nunquam fuit in monasterio, et virgo sacra est ; illi nubere non licet, quamvis esse in monasterio non compellitur. Si autem cœpit esse in monasterio, et descruit, et tamen virgo est; dimidia ruit. Sic et clericus duas res professus est, et sanctitatem et clericatum : interiùs sanctitatem ; nam clericatum propter populum suum Deus imposuit cervicibus ipsius, cui magis onus est quàm honor : sed * *quis sapiens et intelliget hæc ?* (*Psalm.* CVI. 43.) Ergo professus est sanctitatem, professus est communiter vivendi societatem ; professus est *quàm bonum et quàm jucundum habitare fratres in unum :* (*Ps.* CXXXII. 1.) si ab hoc proposito ceciderit, et extrà manens clericus fuerit, dimidius et ipse cecidit. Quid ad me ? non eum judico. Si foris servat sanctitatem, dimidius cecidit ; si verò intùs habuerit simulationem, totus cecidit. Nolo habeat necessitatem simulandi. Scio quomodo homines ament clericatum : nemini eum tollo nolenti mecum communiter vivere. Habet Deum, qui mecum manere vult. Si paratus est pasci à Deo per Ecclesiam ipsius, non habere aliquid proprium, sed aut erogare pauperibus, aut in commune mittere, maneat mecum. Qui hoc non vult, habeat libertatem : sed videat utrùm habere possit felicitatis æternitatem.

S. JOAN. CLIM. *Scal. Paradis. Grad.* 2. *pag.* 20. Qui Deum ex animo diligit ; qui ad cœlum toto pectore aspirat ; qui in lapsibus suis emendandis vehementer desudat ; qui futuri judicii supplicia sempiterna pertinaci memoriâ revolvit: qui assiduè versatur in formidine et exspectatione animi à corpore digressionis, is omnem affectum et studium erga pecunias et opes, erga parentes et humanam gloriam, erga fratres et amicos, erga omnia denique mortalia, quæ terram sapiunt, non solùm procul habet abjicitque, sed omnem sensum, omnemque curam de his excussam abjectamque, et cum his suum ipsius quoque corpus odio persequitur, nudusque et omni curâ vacuus impigrè Christum sequitur, semper ad cœlum anhelans, et promissum inde auxilium ex oraculo Vatis exspectans : *Adhæsit anima mea post te.* (*Psal.* LXII. 9.) et alterius nunquam tacendi vatis : * *Ego autem non sum fatigatus te sequendo ; nec diem, neque requiem hominis quæsivi.* (*Jerem.* XVII. 16.) Turpissimum est omninò, nos abjectis omnibus, quæ suprà memoravimus, post vocationem, quà non homo nos, sed Dominus ad militiam evocavit, quærere aliquid, quod nobis in ultimæ necessitatis articulo, et decessu nihilum prosit. Hoc enim est quod monet Dominus, ne convertamur retrorsùm, et fiamus inepti ad regnum Dei. (*Luc.* IX. 62.) Dominus haud ignarus nostræ tironum inconstantiæ, et quàm facili negotio, ex usu, et familiaritate externorum, ad ea, quæ sprevimus, revertamur, petenti illi, uti sibi copiam faceret patris sui sepeliendi : * *Dimitte*, inquit, *mortuos sepelire mortuos suos.* (*Ibid.* 60.) Suggerunt nobis dæmones post rerum humanarum abdicationem, ut beatos prædicemus illos, qui in egentes sunt benigni, nosque miseros dictitare, quòd ejuscemodi misericordia omni virtute destituti simus. Concilium autem hostium est, uti nos per demissionis speciem, aut ad profanam sæculi vitam retrahant, aut in religione perseverantes ad desperationis laqueum adigant. Sunt qui alios in sæculo versantes per animi elationem præ se contemnunt : sunt qui eosdem absentes despiciunt, ut ipsi non desperent, et animum ampliore spe firment. Audiamus Dominum adolescenti illi, qui divinorum præceptorum leges ferè omnes custodierat, suadentem : * *Unum tibi deest, ut vadas et vendas omnia quæ possides, et des pauperibus* (*Matth.* XIX. 21.), ut ipse pauper aliorum misericordiâ indigeas, et stipem accipias.

Et paulò post. Nullus religiosus in cœlestem thalamum ad coronam immortalitatis referendam admittetur, qui non et primam, et alteram, et tertiam abdicandi se rationem observat : ut omnibus, inquam, rebus, hominibus, parentibusque nuntium remittat : voluntatem inde suam proscribat et recidat ; ac demum inanis gloriæ, quæ ex obedientiæ obsequio nasci solet, acumen retundat. * *Exite è medio eorum, separamini, et immunda sæculi nolite tangere*, inquit Dominus. (*Isai.* LII. 11.)

Obedientia Evangelica, est abnegatio propriæ voluntatis, et propositum subjiciendi se in omnibus voluntati Superioris alicujus. (G)

S. Bernard. *Serm.* 48. *de diversis.* Paupertas enim dum putatur misera, alienâ caret invidiâ : et quia est voluntaria, nemini quidquam invidet.

Epist. 23. *ad Attonem Trecens. Episc. n.* 1. Nobilis reverà titulus paupertatis, quam ipse Deus ore commendans prophetico, *Ego sum*, ait, *vir videns paupertatem meam* (*Thren.* III. 1.) super omnes regios thesauros. Hic vos titulus nobilitat ampliùs, et reddit illustres.

Serm. 35. *de diversis n.* 4. *Qui volunt divites fieri* (non ait qui sunt, sed *qui volunt fieri*,) *incidunt in tentationes et in laqueum diaboli.* (1. *Tim.* VI. 9.) Sed et illud quid refert, si fortè, quod absit, non quidem divitias, sed ea ipsa quæ paupertatis sunt, tanto affectu desideres aut etiam ardentiùs, quàm divitias cupiant seculares? Quid distat quæcunque substantia desideretur, dum æqualiter sit corruptus affectus.

In Appendice Epist. 418. *aliàs* 385. *n.* 7. Festinate ergo fieri pauperes spiritu, et inopes rebus, ut Dominus sit sollicitus vestri. Hujusmodi enim paupertatis, voluntariæ videlicet, et ex voluntare necessariæ, via secura et recta est : alioquin Christus eam non fuisset ingressus.... Dico vobis in veritate, quæ Deus est, et experto credite : quia hæc via quantò arctior, quantò molestior invenitur in ingressu, tantò latior, tantò jucundior invenitur in progressu. In ingressu exigit meritum, in progressu rependit præmium. Etenim non solùm *vitam æternam possidebitis*, *sed et in præsenti centuplum accipietis* (*Matth.* XIX. 29.), non solùm in bonis spiritualibus, sed et in temporalibus, si cor non apposueritis, ipsa siquidem bona temporalia sunt. si non amantur, licita ; si amantur, illicita. Sive autem amantur, sive non amantur, non multùm expediunt, quia quàdam sui dulcedine cor possidentis citò subvertunt. Quæ vobis dubitandi occasio? Pauca relinquitis cum sollicitudine, totum mundum assumetis in possessionem sine sollicitudine. *Omnia enim vestra sunt*, *sive mundus*, *sive vita*, *sive mors*, *sive præsentia*, *sive futura.* (1. *Cor.* III. 22.)

Epist. 109.... Si quem ministerium prohibet esse pauperem, administratio probet pauperum amatorem. Non enim paupertas virtus reputatur, sed paupertatis amor. Denique *beati pauperes* non rebus, sed *spiritu.* (*Matth.* V. 3.)

Serm. in Circumcis. Domini, *n.* 4. *vide suprà* §. 6. *Cap.* 2. *Sect.* 4. *hujusce Partis*, *litt.* (F)

S. Bernard. *seu* Auctor *Serm. in Evang.* Ecce nos reliquimus omnia, *qui quidem* Gaufridus Abbas *creditur*, *n.* 2. Dixit enim Simon Petrus ad Jesum, *Ecce nos reliquimus omnia.* (*Matth.* XIX. 27.) Benè, optimè, et non ad insipientiam tibi. Nam et mundus transit, et concupiscentia ejus ; et relinquere hæc magis expedit, quàm relinqui. *Ecce*, inquit, *nos reliquimus omnia*, *et secuti sumus te.* Nimirùm quia *exsultavit ut gigas ad currendam viam* (*Ps.* XVIII. 6.), nec currentem sequi poteras oneratus. Sed nec inutilis commutatio, pro eo qui super omnia est, omnia reliquisse. Nam et simul cum eo donantur omnia, et ubi apprehendaris eum, erit unus ipse omnia in omnibus, qui pro ipso omnia reliquerunt. Omnia sanè dixerim non tantùm possessiones, sed etiam cupiditates, et eas maximè : plus enim concupiscentia mundi, quàm substantia nocet. Et hæc fugiendarum causa divitiarum præcipua est, quòd aut vix, aut nunquam sine amore valeant possideri. Limosa siquidem et glutinosa nimis non modò exterior, verùm etiam interior substantia nostra videtur ; facilè cor humanum omnibus quæ frequentat, adhæret.

N. 3. Age ergo qui relinquere disponis omnia, te quoque inter relinquenda numerare memento.

(*a*) Matth. XVI. 24. Tunc Jesus dixit Discipulis suis : Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.

Luc. IX. 23. *Vide suprà hocce* §. *litt.* (D)

S. Joan. Clim. *Scal. Parad. Grad.* 4. *pag.* 41. Obedientia est perfecta animæ propriæ, per corporis officia demonstrata abdicatio. Aut contra fortassè obedientia est sensuum in anima viva mactatio. Obedientia est

motus simplex, et inexcussus, voluntaria mors, incuriosa vita, securum periculum, expedita apud Deum defensio, mortis securitas, navigatio sine periculo, dormiens peregrinatio. Obedientia est animi in morte securitas, sepultura voluntatis, excitatio humilitatis, quæ non obloquitur, non dijudicat, nec bona tanquam mortua, nec vulgi opinione mala sentit. Qui enim animam suam religiosè mortificaverit, de omnibus sese ipse purgabit ac defendet. Obedientia est judicii cum summo judicio, abdicatio. Principium hujus religiosæ mortis quâ voluntate animi, quâ corporis sensu et membrorum, habet laborem. Medium aliàs adhuc laboriosum est, aliàs caret labore. Finis jam vacat omni sensu laboris, et motu perturbationis.... Tum primùm perbeatus hic idemque vivus juxta, atque mortuus sentit laborem et dolorem, cùm animadvertit suum se voluntatis sensum secutum, ex quo sui pondus judicii reformidat. Quicunque ad religiosæ professionis stadium decurrendum vestem paratis ponere : quicunque jugum Christi in cervicem vestram vultis tollere : quicunque ab hoc ipso puncto temporis impedimenta sarcinarum in alterius humeros rejicere conamini : quicunque vos ipsos in servitutem transcribere et emancipare properatis, ut pro illa veram in libertatem asseramini : quicunque manibus alienis levati, hoc ingens mundi pelagus trajicere cupitis, scitote vos asperam quidem, sed compendiosam viam insistere, quæ unum duntaxat, et unicum in se continet erroris labyrinthum ;.... si pro tui nempè ipsius judicii sensu, sine ductu alterius velis progredi, quam qui cautus omninò declinarit : hic vero priusquam iter est ingressus, jam ad metam eorum, quæ honesta, religiosa, et Deo grata videntur, pervenit. Obedientia quippe nihil aliud est, quàm sibi in omnibus per omnem vitam ad mortem usque diffidere. Quicunque cervicem jugo Domini subjicere, et submissionis ac salutis studio nostram salutem alteri in Domino verè committere voluerus, ante ingressum religionis (si qua tamen in nobis est mica salis, astutiæ, inquam, et prudentiæ,) gubernatorem diligenter antè exploremus et excutiamus, atque ut ita loquar, totum perlentemus, ne pro navarcha in remigem : pro medico in ægrum ; pro perfecto in vitiosum, et affectibus obnoxium incidamus ; adeoque dum portum quærimus, in scyllam et charibdim cum certo naufragii exitio impingamus. Cæterùm ubi stadium pietatis et obedientiæ ingressi fuerimus, bonum præsidem nostrum nequaquam ampliùs judicabimus, neque illius mores ullâ ratione ad judicii nostri censuram revocabimus ; quamvis nonnullas, ut in homine, labes maculasve exiguas notaverimus : alioqui nullum ex obsequendi studio fructum operæ referemus. Prorsùs necesse est, ut qui bonæ mentis constantiam erga suos majores inconcussam tueri statuit, rectè facta illorum et virtutes intimis animi sensibus reponat, nec unquam ex memoria deleat, sed fixa æternaque custodiat ; ut si, quando satores malorum dæmones diffidentiæ semina contra cœnobii Antistites in nobis sparserint, ex præteritæ vitæ recordatione cerberorum ora retundamus. Nam quo magis fides in animo subjecti erga religiosos patres efflorueril, hoc promptiùs ad omnia corpus officia discurret. Quicunque verò ad diffidentis animi scopulum offenderit, labetur ; imò jam lapsus est. Quidquid enim non ex fide agit, peccatum est. Ubi te cogitationum turbæ impulerint, ut in Præsidem tuum, aut inquiras, aut cum damnes, ab illis tanquam ab stupro resili ; neque deceptus huic viperæ ullam fidem præbe, neque locum da, nec aditum, nec ullum principii vestigium. Quin te excetram illam sic compella ; audin' humani tu generis proditor ? Non ego Præsidis in me judicium, sed meum ipse in se suscepit : non illius ego, sed meus ille judex est. Majores nostri arma religionis dixere psalmodiam ; mœnia, preces ; balnea, sinceras lacrymas : sanctam verò obedientiam confessionem esse judicarunt, sine qua nemo, vitiis obnoxius, ad Dei conspectum admittetur. Subjectus adversùs seipsum fert sententiam. Nam si in gratiam numinis perfecte obedierit, quamvis non videatur perfectè id facere, judicio tamen se liberabit. Quòd si quacunque in re pro suæ voluntatis arbitratu quid fecerit, etiamsi obsequi videatur, divini tamen judicii discrimen adibit. Si tamen ipsum cœnobii Præfectus assiduo verborum jurgio everberare non cessabit, nondum est conclamatus. Si verò Cœnobiarcha tacuerit

(tanquam de desperato) non habeo quod dicam. Qui in Domino cum simplicitate subjecti, per curiosam rerum imperatarum disquisitionem insidias, et artes dæmonum in se non concitant, feliciter vitæ stadium decurrunt.

Et pag. 68. Qui loquendo non submittit se, certè nec agendo se submittet. Qualis in modico est, talis est in omnibus, frustraque laborat, et ex sancta obedientia nihil nisi grave, et mortiferum judicium sibi reportat. Qui seipsum sincerâ et purâ conscientiâ perfectissimè religiosi patris obedientiæ subjecit, mortem deinceps intrepidus velut somnum, seu potiùs vitam quotidie exspectat, certus in excessu vitæ non à se, sed à Præside suo rationem exactum iri. Qui officium ministerii ab religioso Patre in Domino delatum ultrò, non coactus recipit, et in ea re postea quid peccaverit aut offenderit, culpa recipienti arma, non danti adscribetur. Accepit enim gladium ut in hostem pugnaret, quem ipse in suo ipsius pectore defixit. Si autem invitus, et suam virium imbecillitatem præfatus, et Præsidi contestatus, propter Dominum tamen officium suscepit, bono animo sit, etiamsi deliquit, non enim mortuus est. *Legesis ibidem mira quæ refert Monachorum sui temporis obedientiæ exempla.*

Cassian. *de institut. Monach. lib.* 2. *cap.* 3. Non enim quisquam conventiculo fratrum, sed ne sibi quidem ipsi præesse conceditur, priusquam non solùm universis facultatibus suis reddatur externus, sed ne sui quidem ipsius se esse dominum vel potestatem habere cognoscat. Ita namque renuntiantem huic mundo quibuslibet facultatibus ac divitiis præditum necesse est cœnobii commorationem expetere, ut in nullo sibi ex his quæ reliquit, aut intulit monasterio, blandiatur: sic obedire cunctis, ut redeundum sibi secundùm sententiam Domini ad infantiam pristinam noverit, nihil sibi consideratione ævi vel annorum numerositate præsumens, quam in seculo inaniter consumptam se reputat perdidisse; sed pro rudimentorum merito et tyrocinii novitate, quam se gerere in Christi militia recognoscit, subdere se etiam junioribus non moretur. Operis quoque et sudoris assuetudinem ita subire compellitur, ut propriis manibus, juxta Apostoli præceptum, quotidianum victum, vel suis usibus, vel advenientium necessitatibus præparans, et fastus vitæ præteritæ possit, et delicias oblivisci, et humilitatem cordis, contritione laboris acquirere. Ideoque nullus congregationi fratrum præfuturus eligitur priusquam idem qui præficiendus est, quid obtemperaturis oporteat imperari, obediendo didicerit, et quid junioribus tradere debeat, institutis seniorum fuerit assecutus. Benè enim regere vel regi, sapientis esse pronuntiant, summumque donum et gratiam sancti Spiritûs esse definiunt. Nam neque salutaria præcepta quempiam posse obtemperantibus præstituere, nisi eum qui priùs universis virtutum disciplinis fuerit instructus, nec obedire quemquam seniori posse, nisi eum qui consummatus timore Dei et humilitatis fuerit virtute perfectus.

Lib. 4. *cap.* 8. Cujus (*senioris seu Magistri novitiorum*) hæc erit sollicitudo et eruditio principalis, per quam junior introductus ascendere consequenter etiam culmina perfectionis summa prævaleat, ut doceat eum primitùs suas vincere voluntates; quem studiosè in his ac diligenter exercens, hæc illi semper imperare de industria procurabit, quæ senserit animo ejus esse contraria. Multis siquidem experimentis edocti tradunt, Monachum, et maximè juniores, ne voluptatem quidem concupiscentiæ suæ refrænare posse, nisi priùs mortificare per obedientiam suas didicerint voluntates. Ideoque pronuntiant nullatenus prævalere, vel iram, vel tristitiam; vel spiritum fornicationis exstinguere, sed nec humilitatem cordis veram, nec cum fratribus unitatem perpetuam, nec firmam diuturnamque posse retinere concordiam, sed nec in cœnobio quidem diutiùs permanere, eum qui priùs voluntates suas non didicerit superare.

Cap. 9. His igitur institutis eos, quos initiant, velut elementis quibusdam, ac syllabis imbuere ad perfectionem, atque informare festinant, per hæc ad liquidum discernentes, utrùm fictà et imaginariâ, an verâ sint humilitate fundati.

Cap. 10. Post hæc tantâ observantiâ obedientiæ regula custoditur, ut juniores absque Præpositi sui scientia vel permissu, non solùm non audeant cellâ progredi, sed ne ipsi quidem communi, ac naturali necessitati

satisfacere suâ auctoritate præsumant. Sicque universa complere quæcunque fuerint ab eo præcepta, tanquam si à Deo sint cœlitùs edita sine ulla discussione festinant, ut nonnunquam etiam impossibilia eâ fide ac devotione suscipiant, ut totâ virtute, ac sine ulla cordis hæsitatione perficere ea, aut consummare nitantur: et ne impossibilitatem quidem præcepti pro senioris sui reverentia metiantur.

Cap. 12. Itaque considentes intra cubilia sua, et operi, ac meditationi studium pariter impendentes, cùm sonitum pulsantis ostium, ac diversorum cellulas, percutientis audierint, ad orationem eos scilicet, seu ad opus aliquod invitantis, certatim è cubilibus suis unusquisque prorumpit: ita ut is qui opus scriptoris exercet, quam repertus fuerit inchoasse litteram finire non audeat, sed in eodem puncto, quo ad aures ejus sonitus pulsantis advenerit, summâ velocitate prosiliens, ne tantùm quidem moræ interponat, quantum cœpti apicis consummet effigiem, sed imperfectas litteræ lineas derelinquens, non tam operis compendia lucrave sectetur, quàm obedientiæ virtutem exsequi toto studio atque æmulatione festinet. Quam non solùm operi manuum, seu lectioni vel silentio, et quieti cellæ, verùm etiam cunctis virtutibus, ita præferunt, ut huic judicent omnia postponenda, et universa dispendia subire contenti sint, modò hoc bonum in nullo violasse videantur.

Cap. 41. *circa finem.* Stultum te secundùm Apostoli sententiam facias in hoc mundo, ut sis sapiens: (*Cor.* III. 18.) nihil scilicet discernens, nihil dijudicans ex his, quæ tibi fuerint imperata; sed cum omni simplicitate ac fide obedientiam semper exhibeas, illud tantummodò sanctum, illud utile, illud sapiens esse judicans, quidquid tibi, vel lex Dei, vel senioris examen indixerit. Tali enim institutione fundatus, sub hac disciplina poteris durare perpetuò, et de cœnobio nullis tentationibus inimici, nullis factionibus devolveris. *Lege etiam ejusd. libri cap.* 23. *et seq. ad* 31. *in quibus mira invenies obedientiæ exempla.*

S. GREGOR. MAGN. *lib.* 2. *cap.* 4. *in* 1. *Reg.* Vera obedientia nec Præpositorum intentionem discutit, nec præcepta discernit; quia qui omne vitæ suæ judicium majori subdidit, in hoc solo gaudet, si quod sibi præcipitur, operatur. Nescit enim judicare, quisquis perfectè didicerit obedire.

Homil. 32. *in Evang.* Fortasse laboriosum non est homini relinquere sua; sed valdè grave est relinquere seipsum: minùs quippe est abnegare quod habet, valdè autem multum abnegare quod est.

Lib. ult. Moral. cap. 12. Per victimas aliena caro, per obedientiam propria voluntas mactatur.

S. BASIL. *de Instit. Monach. serm. pag.* 392. Hujus autem (Abbatis *scilicet*) potestas ea sit, ut parente ipsi ex libera animi inductione, summissioneque, fratrum conventu, eorum nemini ejus voluntati liceat adversari, in his, quæ ad susceptæ vitæ honestatem et exactiorem quemdam cultum facienda ille suadeat. Sed ut Apostolus ait, nullo modo constitutis à Deo potestatibus esse resistendum, quando malè illi mulctentur, qui Dei ordinationi resistunt: (*Rom.* XIII. 2.) item hic quoque animum in eo suum explesse, ac sibi persuasisse fratres reliqui omnes debent non fortuito, neque casu, sed Dei voluntate hujusmodi potestatem Antistiti suo fuisse delatam, ut quæ secundùm Deum in virtute progressio est, ab impedimento libera esset: quippe cùm et ille quidquid ad utilitatem, ac fructum animarum perlineret, proponeret, istique vicissim libentes ac morigeri data sibi ab eo consilia capesserent.

Pag. 398. Delatâ igitur ad unum quempiam de communi omnium consensu, potestate, privatæ cujusque separatim omnes facessere voluntates debent, seseque cuncti deinceps ad magistri sui mentem conformare, et præcepto Apostoli obtemperare, qui excellentioribus potestatibus subjectos esse omnes jubet, qui cùm ipsis restiterint, ipsi sibi ipsis damnationem inveniant. (*Rom.* XIII. 1.) Porrò vera perfectaque subjectorum adversùs Moderatorem ordinis obedientia in eo cernitur, si quis ex ejus consilio non à rebus modò flagitiosis abstineat; sed si, ne ea quidem, quæ laudabilia sunt, sine sententia illius faciat. Nam abstinentia, et omnis corporis incommodorum perpessio utiliter hæc quidem comparata ad aliquid sunt, at si quis propriæ obsequens voluntati, spretis consiliis Antistitis sui, id facere voluerit, quidquid ipsi collibitum sit,

hic plus erit quod faciet mali, quàm quod boni. *Qui enim potestati resistit, Dei ordinationi resistit* (*Ibid.*), et præmium obedientiæ majus debetur, quàm rectè facto cum continentia.

Lib. Regul. fusiùs disputat. Interrogat. 24. *pag.* 559. Cùm Apostolus dicat, *omnia honestè, et secundùm ordinem fiant* (1. *Cor.* XIV. 40.), equidem illam ego existimo honestam, et ex ordine esse vivendi in communi fidelium societate rationem, in qua membrorum inter se corporis similitudo conservatur : ut videlicet alius sit, qui oculi locum obtineat, cui scilicet regendæ totius societatis delata procuratio sit, quique et quæ jam facta sint, aut probet, aut improbet, et quæ facienda ante provideat, diligenterque consideret. Alius item, qui aurium, ac manûs, in iis audiendis tractandisque, quæ audiri, ac tractari conveniat : qua in re singuli ex ordine, singulorum inter se membrorum similitudinem attingant. Nosse igitur oportet, quia quemadmodum in corpore, munus suum sine periculo deserere unumquodque membrum non potest, aut non alio uti ad eam rem, cujus causà ab ipso conditore Deo fabricatum est, (quandoquidem si aut manus, aut pes oculum habere ducem recusent, necessariò et illa res sibi perniciosas cum universi corporis interitu attrectabit, et hic aut impinget, aut in præceps etiam deferetur; sive contrà oculus ita se operuerit, ut nihil aspiciat, necessariò ipse quoque unà cum reliquis membris, quibus ea usu veniant, quæ diximus, interibit :) sic nihilominus intelligendum est, non esse extra periculum, qui cæteris præsit, si negligenter se gerat, cùm futurum sit, ut omnium in judicio causam sustineat. Similiterque qui est sub alterius ditione, eum scire convenit, se, si contumax fuerit, neutiquam id impunè laturum : in majore autem periculo versari, si alios etiam prælerea scandalizet. Quamobrem debet unusquisque eo in loco, in quo est, studium suum, abjectà prorsùs omni cunctatione, alacriter præ se ferre. Siquidem hoc modo obtemperans præcepto Apostoli, qui dicit, studio non pigri, animi parati, promptique laudem nanciscetur. (*Rom.* XII. 11.) Contràque si lentescens ignaviâ neglexerit officii sui munia, hoc est, miseri appellationem incurret, audietque illud, Væ. Maledictus enim, inquit, qui facit opus Domini negligenter.

S. HIERON. *Epist.* 95. *alias* 4. *ad Rusticum.* Nulla ars absque magistro discitur. Etiam muta animalia.... ductores sequuntur suos.... Singuli Ecclesiarum Episcopi, Archipresbyteri, singuli Archidiaconi, et omnis ordo Ecclesiasticus suis Rectoribus nititur. In navi unus gubernator : in domo unus dominus : in quamvis grandi exercitu, unius signum exspectatur. Et ne plura replicando fastidium legenti faciam, per hæc omnia ad illud tendit oratio ; ut doceam te, non tuo arbitrio dimittendum, sed vivere debere in monasterio sub unius disciplina Patris, consortioque multorum, ut ab alio discas humilitatem, ab alio patientiam. Hic te silentium, ille doceat mansuetudinem ; non facias quod vis ; comedas quod juberis ; vestiare quod acceperis ; operis tui pensum persolvas ; subjiciaris cui non vis ; lassus ad stratum venias, ambulansque dormites, et necdum expleto somno surgere compellaris. Dicas Psalmum in ordine tuo : in quo non dulcedo vocis, sed mentis affectus quæritur,.... servias fratribus, hospitum laves pedes ; passus injuriam taceas ; Præpositum monasterii timeas ut dominum, diligas ut parentem. Credas tibi salutare quidquid ille præceperit, nec de majorum sententia judices, cujus officii est obedire, et implere quæ jussa sunt, dicente Moïse, * *Audi Israël et tace.* (*Exod.* XIV. 15.)

S. BERNARD. *de gradibus obedientiæ, seu de divers. Serm.* 41. *n.* 3. Si homo ille, quem imposuit Deus super capita nostra, aliter sentire voluerit, ponens tenebras lucem, et lucem tenebras, ut præcipiat prædicta bona relinquere, vel malis præfatis adhærere ; audacter refutandum est præcipientis imperium, et liberâ voce dicendum : *Obedire oportet magis Deo quàm hominibus.* (*Act.* V. 29.) Hæc est specialis obedientia ad Deum, quæ nequaquam est hominis arbitrio temperanda, sed immutabili conservanda proposito. Certam igitur regulam tene, ut nec imperio Prælatorum prædicta bona relinquas, vel facias mala. Inter summa verò mala et summa bona, quædam media sunt quæ ad alterutrum se habentia, boni malique nomen assumunt. Media sunt ambulare, sedere, loqui,

facere, comedere, jejunare, vigilare, dormire, et si qua sunt similia: quæ si Pastoris licentiâ fiant, summam exspectant retributionem. In his igitur mediis subditi esse et obedientes debemus ad nutum Præpositorum, *nihil interrogantes propter conscientiam* (1. *Cor.* x. 27.): in his nullum præfixit opus Deus, sed Prælatorum derelinquit imperio disponenda. Non autem te moveat magister imperitus, indiscreta potestas, sed memento quia *non est potestas nisi à Deo* (*Rom.* XIII. 1.): et qui resistit potestati, resistit Dei ordinationi. Hæc est propria hominis obedientia quam homini debemus, qui homini subditi sumus. Communis est etiam ista inter Deum et hominem: quia quidquid obedientiæ Prælatis exhibetur, qui dicit: *Qui vos audit, me audit.* (*Luc.* x. 16.) Cum magna igitur cautela hoc tramite dicimus incedendum: quia et multi gradus ibidem delitescunt, quorum qui unum reliquerit, cæteros sine retributione tenebit.

N. 4. Primus autem gradus est *obedire libenter....* Unde *voluntariè* (inquit,) *sacrificabo tibi.* (*Psal.* LIII. 8.) Sola ergo voluntas est, quæ totius operis ornat affectum, sine qua nec benè aliquid agitur, etiamsi bonum esse videatur. Ex voluntate igitur suscipienda sunt imperia Prælatorum, et ipsum cor à suis voluntariis reflexionibus abducendum, donec propria voluntas mactata mandatum diligat imperantis. Hoc ergo libenter obedire, Prælatorum voluntatem voluntariè adimplere.

N. 5. Secundus gradus est *obtemperare simpliciter. Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter...* (*Prov.* x. 9.) Multos videmus post præcipientis imperium multas facere quæstiones: Cur, quare, quamobrem, sæpius interrogare, crebras ingeminare querelas: quærere, quare hoc præcipit, undè hoc venit, quis hoc adinvenit consilium. Indè murmuratio, indè verba murmurationem et indignationem sonantia, et redolentia amaritudinem. Indè frequens excusatio, simulatio impossibilitatis, advocatio amicorum. Non sic Abraham. Audi quid Dominus de simplici populo protestetur: *In auditu*, inquit, *auris obedivit mihi* (*Ps.* XVII. 45.), ut videlicet ostenderet uno eodemque momento processisse et imperantis imperium, et obsequium obsequentis. *Nolite errare, Deus non irridetur.* (*Galat.* VI. 7.) Incede igitur simpliciter in mandatis obedientiæ, addens voluntati simplicitatem, intentioni illuminationem. *Fortitudo* enim *simplicis via Domini* (*Prov.* x. 29.), quæ obedientia est. Fortitudinem igitur induunt qui obedientes sunt, et simpliciter incedunt.

N. 6. Tertius gradus est *hilariter obeare. Hilarem* enim *datorem diligit Deus. Non ex tristitia*, inquit Apostolus, *aut ex necessitate.* (2. *Cor.* IX. 7.) Serenitas in vultu, dulcedo in sermonibus, multùm colorant obedientiam obsequentis... Cernis igitur quàm necessaria et conveniens sit hilaritas in obedientiæ exsecutione. Quis enim imperat homini libenter, tristitiam efflanti? Si vis ergo perfectus esse, hilariter et cum magna vultûs alacritate suscipe jubentis imperium, ut voluntati cordis, simplicitati operis, vultûs hilaritatem adjungas.

N. 7. Quartus gradus est *obsecundare velociter. Velociter currit sermo Dei* (*Ps.* CXLVII. 15.), et velocem habere desiderat sequentem. Vides cum quanta velocitate currat ille qui dicit: *viam mandatorum tuorum cucurri.* (*Ps.* CXVIII. 32.) Fidelis obediens nescit moras, fugit crastinum, ignorat tarditatem, præripit præcipientem, parat oculos visui, aures auditui, linguam voci, manus operi, itineri pedes; totum se colligit, ut imperantis colligat voluntatem. Vide Dominum festinanter præcipientem, et hominem festinanter obedientem. *Zachæe*, inquit, *festinans descende, quia hodie in domo tuâ oportet me manere. Et festinans descendit, et excepit illum gaudens.* (*Luc.* XIX. 5. *et* 6.) Animadvertisti quia et festinanter descenderit, et gaudenter exceperit. Audisti obedientiam, audi et obedientiæ remunerationem: *Quia hodie salus huic domui facta est.* (*Ibid.* 9.) Intuere etiam ex occasione hujus obedientiæ conclusionis grande mysterium et obsignatam signaculo misericordiæ sententiam: *Venit enim*, inquit, *filius hominis quærere, et salvum facere quod perierat.* (*Ibid.* 10.) Nonne legisti quòd filiis Israël præcipitur ut agnum comedant *festinanter?* (*Exod.* XII. 11.) Festinanter quippe veri agni comestio signatur implenda: quia verba illa, quæ per legem dedit, quæ per semelipsum præsens exhibuit, quæ per Ecclesiæ Præpositos tradenda reliquit, veloci

sunt obedientiâ consummanda. Et tu ergo cùm voluntatem cordi, simplicitatem operi, hilaritatem vultui conjunxeris, adde et velocitatem; ut sis juxta Apostolum Jacobum, * *velox ad audiendum, et ad implendum velocior.* (*Jacob.* I. 19.)

N. 8. Quintus gradus est *adimplere viriliter. Viriliter agite, et confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in Domino.* (*Ps.* XXX. 25.) Non est fortitudinis ire ad inobedientiam, sed ab obedientia non abduci. Si tribulatio intonat, si persecutio resultat, si peccatores tibi laqueum ponunt, si maligni tuum iter impediunt: tu obedientiæ viam non deseras, sed dic: *Paratus sum, et non sum turbatus, ut custodiam mandata tua.* (*Psal.* CXVIII. 60.)

N. 9. Sextus gradus est *humiliter obedire.* *

N. 10. Septimus gradus est *indesinenter obtemperare.* Non qui incœperit, sed *qui perseveraverit, hic salvus erit.* (*Matth.* X. 22.)

De præcept. et dispensat. cap. 6. *n.* 12. Perfecta obedientia legem nescit, terminis non arctatur: neque contenta angustiis professionis, largiori voluntate fertur in latitudinem charitatis, et ad omne quod injungitur spontaneâ vigore liberalis alacrisque animi, modum non considerans, in infinitam libertatem extenditur. Hæc est illa de qua signanter Apostolus Petrus, *castificantes*, inquit, *corda vestra in obedientia charitatis* (1. *Petr.* I. 22.); pulchrè ipsam per hoc sequestrans ab illa inerti et servili quodammodo obedientia, nec charitati prompta, sed obnoxia necessitati. Hæc justi illius, cui lex posita non est, propria est: non quòd vel ille perfectus vivere debeat sine lege, sed quia non sit sub lege; minimè quippè contentus voto suæ cujuscunque professionis, quam superat animi devotione. Quanquam nec istam Regula ipsa tacuerit, ubi monet, si fratri impossibilia injunguntur, *ut confidens de adjutorio Dei, obediat ex charitate.* (*Reg. S. Bened. cap.* 68.) In eadem denique Regula *tertius humilitatis describitur gradus, ut omni obedientiâ monachus se subdat majori.* (*Ibid. cap.* 7.) Dicens quippe omni, non vult nos in obediendo mensurâ esse contentos professionis, non attendere promissi debitum, non de pacto sumere modum; sed transire alacriter etiam votum, et obedire in omnibus. Est sanè quidam obedientiæ limes secundùm tempus ipsa temporis extremitas, ut sit terminus obedientiæ, qui et vitæ. Hunc nobis maximè unigeniti Dei commendat exemplum, qui * *factus est Patri obediens usque ad mortem* (*Philip.* II. 8.)

Cap. 7. *n.* 16. Bonus quidem obedientiæ gradus est, si juxta Magistri nostri sententiam, propter metum gehennæ, seu propter professionem sanctam quam professus est quispiam obedierit: (*S. Bened. Reg. cap.* V.) melior tamen cùm ex Dei amore obeditur, illa quippe obedientia necessitatis est, ista charitatis. Illum autem optimum dixerim obedientiæ gradum, cùm eo animo injunctum opus recipitur, quo et præcipitur. Cùm enim ex voluntate jubentis pendet intentio exsequentis, sit ut nec majus minoribus, nec minus majoribus confusè (ut assolet) ad implendum quod injungitur, subjecti studium impendatur. Sed moderante animo quæque pro sua dignitate imperia, modum sciat utrobique servare, tam in observando videlicet jussa, quàm in cavendo prohibita: non quòd vel minimum horum quæ jubentur, contemnendum putet, etsi tamen minimum cùm minimum est, repulet, sed minimum est ex comparatione majorum. Novit verus humilisque obediens et minima non contemnere, et maximè curare quæ maxima sunt, intimo quodam devoti incrementi animi sapore discernens, quibus de mandatis ei qui præest, suis quodammodo factis respondeat cum Propheta: *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis.* (*Psalm.* CXVIII. 4.)

Cap. 10. *n.* 23. Et quidem non nego difficultatem tantæ inesse perfectioni, sed cùm ipsa corde imperfecto præsumitur. Porrò imperfecti cordis, et infirmæ prorsùs voluntatis indicium est, statuta seniorum studiosiùs discutere, hærere ad singula quæ injunguntur, exigere de quibusque rationem, et malè suspicari de omni præcepto cujus causa latuerit; nec unquam libenter obedire, nisi cùm audire contigerit, quod forlè libuerit; aut quod non aliter licere seu expedire monstraverit vel aperta ratio, vel indubitata auctoritas. Delicata satis, imò nimis molesta est hujuscemodi obedientia. Non planè hæc illa est quæ ex Regula tradi-

tur, *obedientia sine mora.* (*Reg. S. Bened. cap.* V.) Disputare profectò hoc est in astu cordis, non in auditu auris obedire. Istiusmodi ergo carnalem animam non modò premi, sed etiam opprimi pondere præsumptæ perfectionis necesse est: quia non potest portare caro infirma, quod solus spiritus promptus experitur jugum esse suave et onus leve, Christi quippe jugum et onus est, et omninò importabile, nisi Christi æquè spiritui. Huic itaque si dicitis legem Regulæ subintrasse, ut abundaret delictum; verum dicitis. Cæterùm hoc culpa non est datæ legis, aut dantis legem: sed improvidè profitentis, et impiè prævaricantis. Mandatum quidem sanctum et justum, sed tu te novis esse carnalem, *venundatum sub peccato.* (*Rom.* VII. 14.) Verùm hoc ante prævidisse debueras, quò turris hujus Evangelicæ non priùs jaceres fundamentum, quàm sedens computares, si haberes sumptus ad perficiendum. Nunc autem quid restat, nisi ut aut correctus obedias senioribus, aut confusus audias ab illusoribus: *Hic homo cœpit ædificare, et non potuit consummare.* (*Luc.* XIV. 30.)

Serm. 1. *in Convers. S. Pauli*, *n.* 6. Quàm pauci inveniuntur in hac perfectæ obedientiæ forma, qui suam ita abjecerunt voluntatem, ut ne ipsum quidem cor proprium habeant, ut non quod ipsi sed quid Dominus velit, omni horà requirant, dicentes sine intermissione, *Domine, quid me vis facere?* (*Act.* IX. 6.) Et illud Samuëlis: *Loquere Domine, quia audit servus tuus.* (1. *Reg.* III. 10.)

Serm. 23. *in Cantica*, *n.* 6. In disciplina discis inferior esse, in natura par, in gratia superior: hoc est, sub alio, cum alio, super alium: vel sic subesse, coesse, præesse. Primò ergo discis esse discipulus, secundò socius, tertiò et magister. Et quidem omnes homines æquales natura genuit: et quoniam bono naturæ in moribus superbià depravato facti sunt homines æqualitatis impatientes, contendentes, invicem superiores constitui, atque alterutrum supergredi cupientes, invicem provocantes: primò omnium in cella priori jugo disciplinæ insolentia morum domanda est, quousque duris ac diutinis seniorum attrita legibus humilietur, et sanctur cervicosa voluntas, bonumque in se naturæ, quod superbiendo amiserat, obediendo recipiat: dum solo jam naturali affectu non metu disciplinæ, cum universis naturæ suæ sociis, id est, cum omnibus hominibus socialiter quantum in se est quieteque sese habere didicerit.

S. AUG. *de Morib. Eccl. Cathol. lib.* 1. *cap.* 31. *n.* 65. Accipite, Manichæi, perfectorum Christianorum, quibus summa castitas non laudanda tantùm, sed etiam capessenda visa est, mores et continentiam singularem. Quis enim nescit summæ continentiæ hominum Christianorum multitudinem per totum orbem in dies magis magisque diffundi, et in Oriente maximè atque Ægypto, quod vos nullo modo potest latere.

N. 66. Nihil de iis dicam quos paulò antè commemoravi, qui secretissimè penitùs ab omni hominum conspectu, pane solo, qui eis per certa intervalla temporum affertur, et aquâ contenti, desertissimas terras incolunt, perfruentes colloquio Dei, cui puris mentibus inhæserunt, et ejus pulchritudinis contemplatione beatissimi, quæ nisi Sanctorum intellectu percipi non potest. Nihil, inquam, de his loquar: videntur enim nonnullis res humanas plus quàm oporteret deseruisse, non intelligentibus quantùm nobis eorum animus in orationibus prosit, et vita ad exemplum, quorum corpora videre non sinimur... Admonendi sunt, qui sese inaniter jactant, in tantum processisse temperantiam et continentiam sanctissimorum Catholicæ fidei Christianorum, ut restringenda nonnullis, et quasi ad humanos fines revocanda videatur, usque adeò supra homines illorum animos evasisse, ab iis etiam quibus id displicet, judicatur.

N. 67. Sed si hoc excedit nostram tolerantiam, quis non illos miretur et prædicet, qui contemptis atque desertis mundi hujus illecebris, in communem vitam castissimam sanctissimamque congregati, simul ætatem agunt, viventes in orationibus, in lectionibus, in disputationibus; nullà superbià tumidi, nullà pervicacià turbulenti, nullà invidentià livìdi: sed modesti, verecundi, pacati, concordissimam vitam et intentissimam in Deum, gratissimum munus, ipsi offerunt, à quo ista posse meruerunt. Nemo quidquam possidet proprium, nemo cuiquam onero-

I. Si consilia hæc necessaria non sunt ad salutem, cur ergo proposuit ea Christus.

R. Proposuit ea ut res ex natura sua eximias, quæ ducunt ad perfectionem, et faciliorem reddunt exsecutionem præceptorum.

Consilia Evangelica sunt quid eximium : Id per se patet. Nemo non intelligit nihil fieri posse Deo gratius quàm oblationem et veluti sacrificium sui corporis, suæ voluntatis, suæ pecuniæ et fortunæ. Id autem fit per Evangelicam castitatem, obedientiam, et paupertatem. (H)

sus est. Operantur manibus ea, quibus et corpus pasci possit, et à Deo mens impediri non possit. Opus autem suum tradunt, eis quos decanos vocant eò quòd sint denis præpositi, ut neminem illorum cura sui corporis tangat, neque in cibo, neque in vestimento, neque si quid aliud opus est, vel quotidianæ necessitati, vel mutatæ, ut adsolet, valetudini. Illi autem decani cum magna sollicitudine omnia disponentes, et præstò facientes quidquid illa vita propter imbecillitatem corporis postulat, rationem tamen etiam ipsi reddunt uni, quem Patrem appellant. Hi verò Patres non solùm sanctissimi moribus, sed etiam divinâ doctrinâ excellentissimi, omnibus rebus excelsi, nullâ superbiâ consulunt iis quos filios vocant, magnâ suâ in jubendo auctoritate, magnâ illorum in obtemperando voluntate.

Enarrat. in Psalm. CXXXII. *n.* Undè illi centum viginti, qui simul erant in uno loco post Resurrectionem Domini et Ascensionem in cœlum, quibus in uno loco constitutis supervenit Spiritus sanctus die Pentecostes missus de cœlo: (*Act.* II. 1.) sic missus, sicut promissus? Omnes indè erant: (*scilicet* ex Judæis) et ipsi primi habitaverunt in unum, qui omnia quæ habebant vendiderunt, rerumque suarum pretia ad pedes Apostolorum posuerunt, sicut in Actibus Apostolorum legitur; (*Act.* IV. 34. 35.) *et distribuebatur unicuique sicut cuique opus erat*, (*Ibid.* 35.) et nemo dicebat aliquid proprium, sed erant illis omnia communia. Et quid est, *in unum? Et erat illis*, inquit, *anima una et cor unum* in Deum. (*Ibid.* 32.) Ergo ipsi priùs audierunt, *Ecce quàm bonum et quàm jucundum, habitare fratres in unum.* (*Ps.* CXXXII. 1.) Primi audierunt, sed non soli audierunt. Non enim usque ad illos ista dilectio et unitas fratrum venit. Venit enim et ad posteros ista charitatis exsultatio, et votum Deo. Vovetur enim aliquid Deo, et dictum est, *Vovete, et reddite Domino Deo vestro.* (*Psal.* LXXV. 12.) *Melius est* autem *non vovere, quàm vovere et non reddere.* (*Eccæ.* V. 4.) Sed debet esse impiger animus, ut et voveat, et reddat; ne cùm se minùs idoneum putat ad reddendum, piger sit ad vovendum. Planè nunquam reddet, si de suo se putaverit redditurum.

N. 6. Quare ergo et nos non appellemus Monachos, cùm dicat Psalmus, *Ecce quam bonum et quàm jucundum habitare fratres in unum?* (*Ps.* CXXXII. 1.) *monos* enim unus dicitur: et non unus quomodocunque; nam et in turba est unus, sed unà cùm multis unus dici potest, *monos* non potest, id est, solus: *monos* enim unus solus est. Qui ergo sic vivunt in unum, ut unum hominem faciant, ut sit illis verè quod scriptum est, *una anima et unum cor;* (*Act.* IV. 32.) multa corpora, sed non multæ animæ; multa corpora, sed non multa corda: rectè dicitur *monos*, id est, unus solus.

(H) MATTH. XVI. 24. XIX. 12. *et* 21. *Vide suprà hocce* §. *litt.* (D *et* G)

Ibid. 27. Tunc respondens Petrus, dixit ei: Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te: quid ergo erit nobis? 28. Jesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quòd vos qui secuti estis me, in regeneratione, cùm sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israël. 29. Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit.

LUC. IX. 23. *Vide suprà hocce* §. *litt.* (D)

Consilia Evangelica ducunt ad perfectionem. Nam Christiana perfectio in eo posita est, ut diximus, ut alieni ab omni peccato, Deo uni adhæreamus perfectà charitate. At nihil est quod ad hunc statum animi nos ducat feliciùs quàm Evangelica castitas et obedientia et paupertas. Alieni enim efficimur per castitatem Evangelicam à concupiscentia carnis; per paupertatem Evangelicam à concupiscentia oculorum; per obedientiam Evangelicam à superbia vitæ. Hæc autem triplex concupiscentia, fons et origo peccatorum omnium, sola causa est cur non adhæreamus Deo ut par est. (I)

Tandem consilia Evangelica faciliorem reddunt exsecutionem præceptorum. Id demonstrare juvat in supradictis tribus consiliis Evangelicis.

Omnibus hoc præceptum est, ut uni Deo serviant nec claudicent in duas partes, ita ut partem unam cordis Deus, partem alteram creatura possideat : (K) Deus toto corde diligendus. Atqui uni Deo servire longè facilius est ei qui vitam agit cælibem, qui sine conjuge est, quàm ei qui matrimonio est implicatus. (L)

(I) S. Thom. 2. 2. *q.* 186. *art.* 7. *in conclus.* Religionis status quatenùs est quoddam holocaustum, quo quis se totum Deo offert, et quasi immolat, ex tribus votis, obedientiæ videlicet, continentiæ et paupertatis integratur, in iisque votis religionis perfectio consistit.

Respondeo dicendum quòd Religionis status potest considerari tripliciter. Uno modo, secundùm quòd est quoddam exercitium tendendi in perfectionem charitatis. Alio modo, secundùm quòd quietat animum humanum ab exterioribus sollicitudinibus : secundùm illud 1. ad Cor. 1. *Volo vos sine sollicitudine esse.* Tertio modo, secundùm quòd est quoddam holocaustum per quod aliquis totaliter se et sua offert Deo ; et secundùm hæc, ex his tribus votis integratur religionis status. Primò enim quantùm ad exercitium perfectionis, requiritur quòd aliquis à se removeat illa per quæ posset impediri, ne totaliter ejus affectus tendat in Deum in quo consistit perfectio charitatis. Hujusmodi autem sunt tria : primum quidem cupiditas exteriorum bonorum, quæ tollitur per votum paupertatis. Secundum autem est concupiscentia sensibilium delectationum, inter quas præcellunt delectationes venereæ, quæ excluduntur per votum continentiæ. Tertium autem est inordinatio voluntatis humanæ, quæ excluditur per votum obedientiæ. Similiter autem sollicitudinis secularis inquietudo præcipuè ingeritur homini circa tria. Primò quidem circa dispensationem exteriorum rerum : et hæc sollicitudo per votum paupertatis hominis aufertur. Secundò circa gubernationem uxoris et filiorum, quæ amputatur per votum continentiæ. Tertiò circa dispositionem propriorum actuum : quæ amputatur per votum obedientiæ, quo aliquis se alterius dispositioni committit. Similiter etiam holocaustum est, cùm aliquis totum quod habet offert Deo, ut Greg. dicit super Ezech. (Hom. 20.) Habet autem homo triplex bonum secundùm Philosophum (in 1. Ethicor. c. 12. et 13.), primò quidem, exteriorum rerum : quas quidem aliquis Deo offert, per votum voluntariæ paupertatis. Secundò autem bonum proprii corporis, quod : liquis propriè offert Deo per votum continentiæ, quo abrenuntiat maximis delectationibus corporis. Tertium autem bonum est animæ, quod aliquis totaliter Deo offert per obedientiam, quâ aliquis offert Deo propriam voluntatem, per quam homo utitur omnibus potentiis et habitibus animæ : et ideò convenienter ex tribus votis status religionis integratur.

(K) Matth. vi. 24. Nemo potest duobus dominis servire : aut enim unum odio habebit, et alterum diliget ; aut unum sustinebit, et alterum contemnet. Non potestis Deo servire et mammonæ.

(L) 1. Cor. vii. 32. Volo autem vos sine sollicitudine esse. Qui sine

Omnibus præceptum est habere cor alienum à divitiis. (M) **Atqui illud facilius est cùm divitiæ abjiciuntur omninò, quàm ubi conservantur.** (N)

Omnibus præceptum est abnegare semetipsos, frenare superbiam, sibi ipsi mori. (O) **Atqui illud longè facilius est illi qui Superioris alicujus voluntati in omnibus subjicitur, quàm illi qui in suo arbitrio positus, facit quod lubet.** (P)

I. **Quomodo affectos esse oportet eos qui consilia sequuntur Evangelica?**

R. **Tria hæc omninò necessaria, alioqui nihil confert ad salutem consilia Evangelica amplecti.**

1. **Rectus finis. Nihil aliud sibi proponendum in animo, quàm placere Deo ipsiusque servire gloriæ.**

2. **Magna humilitas. Non propterea existimandum esse se meliores et perfectiores iis qui non amplectuntur consilia Evangelica.**

3. **Magna in mandatorum observatione fidelitas. Præceptum debet priùs observari quàm consilium. Alioqui inutilis prorsùs observatio consilii.** (Q)

uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. 33. Qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est.

(M) **Luc. xiv. 33.** Sic ergo omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.

(N) **S. Aug.** *de Morib. Eccl. Cathol. lib.* 1. *cap.* 23. *n.* 42. Neque illum memorabo virum, à quo in magnis cruciatibus corporis et horribili tabe membrorum, non modò sustinentur humana, sed divina etiam disputantur. In cujus singulis vocibus satis elucet si quis æquo animo attendat, quanti pendenda sint ista, quæ cùm volunt homines per dominationem tenere, ab his ipsis potiùs per cupiditatem tenentur, et rerum mortalium servi fiunt, dum imperitè domini esse desiderant. Amisit namque ille omnes divitias, et factus repentè pauperrimus, tam inconcussum animum tenuit, et infixum Deo, (*Job.* 1. 9. *et* 14.) ut satis demonstraret, non illas sibi fuisse magnas, sed se illis, sibi autem Deum. Quo animo si esse possent nostri temporis homines, non magnopere in novo Testamento ab istorum possessione prohiberemur, ut perfecti esse possemus. Multò enim mirabilius est, non inhærere istis quamvis possideas, quàm omninò ea non possidere.

Cap. 31. *Vide suprà hocce* §. *litt.* (G)

S. Paulinus. *Epist.* 24. *ad Severum. Vide suprà hocce* §. *litt.* (B)

(O) **Matth. xvi. 24.** *Vide suprà hocce* §. *litt.* (G)

Luc. ix. 23. *Vide suprà litt.* (D) *hocce* §.

(P) *Vide* **Auctores** *suprà laudatos hocce* §. *litt.* (G)

(Q) **S. Aug.** *Lib. de sancta Virginit. c.* 33. *n.* 33. Cùm ergo Christianis omnibus custodienda sit humilitas..... tum maximè virtutis hujus sectatores et conservatores eos esse convenit, qui magno aliquo bono cæteris eminent, ut magnopere curent illud quod primùm posui, *Quantò magnus es, tantò humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam.* Proinde quia perpetua continentia, maximèque virginitas, magnum bonum est in sanctis Dei, vigilantissimè cavendum est ne superbiâ corrumpatur.

Cap. 36. *n.* 37. Respice (*Domine*) agmina virginum, puerorum puellarumque sanctarum.... propter regnum cœlorum se ipsos... quia hortatus es, castraverunt.

Cap. 37. His inclama, hi te audiant, quoniam mitis es et humilis corde. Hi quantò magni sunt, tantò humilient se in omnibus, ut coram te inveniant gratiam.

Cap. 39. *n.* 40. Et quæ magis membra corporis sancti, quod est Eccle-

sia, curare debent, ut super ea requiescat Spiritus sanctus, quàm virginalem profitentia sanctitatem? Quomodo autem requiescit ubi non invenit locum suum? quid aliud quàm cor humiliatum quod impleat, non unde resiliat; quod erigat, non quod deprimat? cùm apertissimè dictum sit, * *Super quem requiescet Spiritus meus? super humilem et quietum et trementem verba mea.* (*Isai.* LXVI. 2.) Jam justè vivis, jam piè vivis, pudicè, sanctè, virginali castitate vivis: adhuc tamen hîc vivis, et non humiliaris audiendo, * *Nunquid non tentatio est vita humana super terram?* (*Job.* VII. 1.) Non te à præfidente elatione reverberat, *Væ mundo ab scandalis?* (*Matth.* XVIII. 7.) Non contremiscis, ne deputeris in multis quorum refrigescit charitas, quoniam abundat iniquitas? Non percutis pectus, cùm audis, *Quapropter qui se putat stare, videat ne cadat?* (1. *Cor.* X. 12.) Inter hæc divina monita et humana pericula, itane adhuc virginibus sanctis humilitatem persuadere laboramus?

Cap. 41. *n.* 42. Quapropter hæc prima sit induendæ humilitatis cogitatio, ne à se sibi putet esse Dei virgo quòd talis est, ac non potiùs hoc donum optimum desuper descendere à Patre luminum. (*Jacob.* I. 17.) *Sequentia lege in ipso libro; nam hanc ipsam materiam ad finem usque libri persequitur.*

S. LEO *Epist. ad Demetriad. cap.* 16. Vigilant tentatoris insidiæ, ut ubi proficit devotio, surrepat elatio; et ut homo de bono operc in se potiùs quàm in Domino glorietur; sed solliciludo nos Apostoli contra hoc periculum monet, dicens: * *Cum timore et tremore vestram salutem operamini. Deus est enim qui operatur in vobis, et velle, et operari pro bona voluntate* (*Philip.* II. 12. *et* 13.) Quantò ergo excellentiùs in mandatis Dei quique proficiunt, tantò majores habent causas formidinis et tremoris: ne de ipsis probitatis argumentis mens sibi conscia, et laudis avida, in superbiæ rapiatur excessus, et fiat immunda vanitate, dum sibi videtur clara virtute. Sed contra hoc periculum quid beatus Petrus in prima Epistola prædicet, audiamus: *Si quis*, inquit, *loquitur, tanquam sermones Dei: si quis ministrat, tanquam ex virtute quam administrat Deus: ut in omnibus honorificetur Deus per Jesum Christum, cui est gloria et imperium in secula.* (1. *Petr.* IV. 11.) Item in Epistola secunda: * *Gratiâ*, inquit, *vobis adimpleatur in recognitione Domini nostri Jesu Christi, qui nunc omnia nobis divinâ virtute suâ, quæ ad vitam et pietatem pertinent, donavit per agnitionem suam, qui vocavit nos propriâ gloriæ virtute: per quam maxima nobis et pretiosa promissa donavit: ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ, fugientes ejus, quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionem.* (2. *Petr.* I. 2. 3. *et* 4.) Si ergo omnia quæ ad vitam et pietatem pertinent, Deus nobis divinâ suâ virtute donavit; nihil magis fugiendum est quàm appetitus hujus concupiscentiæ, quæ virtutem negat divini operis, amore propriæ dignitatis: et cùm aliæ cupiditates ea tantùm bona quibus adversantur, imminuant, hæc dum omnia ad se trahit, simul universa corrumpit. Cùm itaque tolius superbiæ generale nomen odiosum sit: sive illa de honore suo, seu de nobilitate, vel immodicis opibus intumescat: hæc pars ipsius omnibus tentationibus nocentior invenitur, quæ videtur iis quas perditas cupit, amica esse virtutibus. Sed quia sublimiora quæque graviùs corruunt: gaudet princeps superbiæ, eos quos potuerit suâ impulsione prosternere, ad celsiora crevisse.

Cap. 21. Hinc autem corruptissimum pestilentiæ ipsius flatum, spiritus veræ humilitatis, et veræ charitatis excludit: in nullo enim hæ virtutes ab invicem dividuntur; et ambarum tam indiscreta connexio est, ut qui in una earum construitur, simul utraque potiatur. Sicut enim pars charitatis est humilitas, ita pars humilitatis est charitas. Et si illa recolamus, quæ sine bono charitatis infructuosa esse Apostolus definivit, inveniemus eadem similem habere vanitatem, si eis humilitas vera defuerit. Quem enim fructum habebit, aut cum inflatione scientia, aut cum humana gloria fides, aut cum jactantia largitas, aut cum elatione martyrium? Undè quia in districtione superbiæ, et humilitas tendit, et charitas; de utraque habeatur dictum, quidquid de una est disputatum.

I. Ergo fieri potest ut qui præcepta sequuntur non consilia, perfectiores sint iis qui consilia Evangelica amplexi sunt?

R. Si magis alieni sint ab omni cupiditate, magis conjuncti Deo per charitatem, magis de præceptorum observatione solliciti, qui sui juris sunt, et copulati matrimonio, quàm qui consilia Evangelica sequi se profitentur, (quod non rarò accidit) tunc perfectiores sunt illi qui non consilia sed præcepta Evangelica sequuntur, quam hi qui cùm consilia Evangelica amplexi sint, præcepta negligunt. (R)

(R) S. Aug. *de bono conjug. cap.* 23. *n.* 28. Res ergo ipsas si comparemus, nullo modo dubitandum est meliorem esse castitatem continentiæ quàm castitatem nuptialem, cùm tamen utrumque sit bonum: homines verò cùm comparamus, ille est melior qui bonum amplius quàm aliud habet. Porrò qui amplius ejusdem generis habet, et id quod minus est habet: qui autem tantummodò quod minus est habet, id quod est amplius non utique habet. In sexaginta enim sunt et triginta, non in triginta sunt et sexaginta. Non operari autem ex eo quod habet, in distributione officiorum positum est, non in egestate virtutum: quia nec bono misericordiæ caret, qui non invenit miseros quibus possit misericorditer subvenire.

N. 29. Hùc accedit, quia non rectè comparantur homines hominibus ex uno aliquo bono. Fieri enim potest ut alius non habeat aliquid quod alius habet, sed aliud habeat quod pluris æstimandum est. Majus enim bonum est obedientiæ quàm continentiæ. Nam connubium nusquam nostrarum scripturarum auctoritate damnatur, inobedientia verò nusquam absolvitur. Si ergo proponatur virgo permansura, sed tamen inobediens, et maritata quæ virgo permanere non posset, sed tamen obediens, quam meliorem dicamus? Minùs laudabilem quàm si virgo esset, an damnabilem sicut virgo est? Ita si conferas ebriosam virginem sobriæ conjugatæ, quis dubitet eamdem ferre sententiam? Nuptiæ quippe et virginitas duo bona sunt, quorum alterum majus: sobrietas autem et ebriositas, sicut obedientia et contumacia; illa bona sunt, hæc mala. Melius est autem habere omnia bona vel minora, quàm magnum bonum cum magno malo.

N. 30. Rectè planè quæritur, non utrum omnimodis inobediens virgo conjugatæ obedienti, sed minùs obediens obedientiori, comparanda sit; quia et illa nuptialis castitas est, et ideò bonum est, sed minor quàm virginalis. Tantò ergo minor in bono obedientiæ, quantò major in bono castitatis, si altera alteri comparetur, quæ proponenda sit judicat, qui primò ipsam castitatem et obedientiam comparans, videt omnium virtutum quodam modo matrem esse obedientiam. Ac per hoc ideò potest esse obedientia sine virginitate, quia virginitas ex consilio est, non ex præcepto. Obedientiam verò illam dico, quâ præceptis obtemperatur. Idcoque obedientia præceptorum sine virginitate quidem potest, sed sine castitate esse non potest. Ad castitatem namque pertinet non fornicari, non mœchari, nullo illicito concubitu maculari: quæ qui non observant, contra præcepta Dei faciunt, et ob hoc extorres sunt à virtute obedientiæ. Virginitas autem propterea potest esse sine obedientia, quia potest femina consilio virginitatis accepto, et custodità virginitate, præcepta contemnere: sicut multas sacras virgines novimus verbosas, curiosas, ebriosas, litigiosas, avaras, superbas: quæ omnia contra præcepta sunt, et sicut ipsam Evam inobedientiæ crimine occidunt. Quapropter non solùm obediens inobedienti, sed inobedientior conjugata minùs obedienti virgini præponenda est.

De Civit. Dei, lib. 19. *cap.* 36. Iste Patriarcha (Isaac) nec uxorem habuit aliam, nec aliquam concubinam.... Nec ideò tamen istum patri ejus (Abraham) præferre debemus, quia iste nullam feminam præter unam conjugem noverat. Erant enim procul dubio paternæ fidei et obedientiæ meri a potiora, in tantum ut propter illum dicat Deus, huic se facere bona quæ facit. (*Gen.* XXII. 16.) .... Ut etiam hoc noverimus, non ex bonis singulis inter se homines comparare, sed in unoquoque consideremus universa.

Nam perfectio non in consiliorum Evangelicorum exsecutione posita est, sed in perfectione charitatis, quam absolutè sine consiliis Evangelicis, licèt difficiliùs, assequi possumus. (S)

Fieri enim potest, ut habeat aliquid in vita et moribus quispiam quo superat alium, idque sit longè præstabilius quàm est illud unde ab alio superatur. Ac per hoc sano veroque judicio, cùm continentia conjugio præferatur, melior est tamen homo fidelis conjugatus, quàm continens infidelis. Sed infidelis homo, non solùm minùs laudandus, verùm etiam maximè detestandus est. Constituamus ambos bonos; etiam sic profectò melior est conjugatus fidelissimus et obedientissimus Deo, quàm continens minoris fidei minorisque obedientiæ: si verò paria sint cætera, continentem conjugato præferre quis ambigat?

S. PAULINUS *Epist.* 24. *ad Severum. Vide suprà hacce Conclusione, litt.* (B)

(S) S. AUGUST. *de moribus Eccles. Cathol. lib.* I. *cap.* 33. *n.* 73. Charitas præcipuè custoditur, charitati victus, charitati sermo, charitatis habitus, charitati vultus aptatur; coitur in unam conspiraturque charitatem: hanc violare tanquam Deum nefas ducitur: huic si quid resistit, expugnatur atque ejicitur; hanc si quid offendit, unum diem durare non sinitur. Sciunt ita commendatam esse à Christo et Apostolis, ut si hæc una desit, inania; (I. *Cor.* XIII. 3.) si hæc adsit, plena sint omnia.

Epist. 157. *aliàs* 89. *ad Hilarium, cap.* 4. *n.* 24. Hîc utique dicunt, ideò patres antiquos non vendidisse omnia quæ habebant, et dedisse pauperibus, quia hoc eis non præceperat Dominus... Posteà verò quàm magnum pietatis sacramentum manifestum est in carne, et vocandis omnibus gentibus Christi adventus illuxit, in quem etiam illi patres crediderant, sed hujus fidei olivam suo tempore manifestandam, in illius arboris, de qua Apostolus loquitur, (*Rom.* XI. 18.) tanquam radice servabant, dictum est diviti, *Vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlis, et veni, sequere me.* (*Matth.* XIX. 21.)

N. 25. Hæc si dicunt, videntur aliquid rationabiliter dicere: sed totum audiant, totum advertant, non in parte aures aperiant, in parte surdescant. Cui enim Dominus hæc præcepit? Profectò illi diviti, qui vitæ consequendæ consilium quærebat accipere. Hoc enim Domino dixerat, *Quid faciam, ut vitam æternam consequar?* (*Ibid.* 16.) Ille autem non ei respondit, Si vis venire ad vitam, vade, vende omnia quæ habes: sed, *Si vis venire ad vitam, serva mandata.* (*Ibid.* 17.) Quæ juvenis cùm sibi à Domino ex lege commemorata se servasse dixisset, et quæsiisset quid adhuc sibi deesset, responsum accepit, *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus.* (*Ibid.* 21. *Marc.* X. 21. *Luc.* XVIII. 22.) Et ne se illa, quæ multùm amabat, hoc modo perdere existimaret: *et habebis*, inquit, *thesaurum in cœlis.* Deinde addidit, *Et veni, sequere me:* ne cuiquam, cùm hæc fecerit, aliquid prodesse existimetur, si non sequitur Christum... Verumtamen magister bonus mandata legis ab ista excellentiore perfectione distinxit. Ibi enim dixit, *Si vis venire ad vitam, serva mandata:* hîc autem, *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, etc.* Cur ergo negamus divites, quamvis ab illa perfectione absint, venire tamen ad vitam, si mandata servaverint, et dederint ut detur illis, et dimiserint ut dimittatur illis. (*Luc.* VI. 38.)

Cap. 4. *n.* 33. Hac quippe lege et conditione, non illi tantùm qui mentis excellentiâ perfectionis consilium receperunt, ut vendita sua pauperibus distribuerent, et humeris ab omni seculi hujus sarcina liberioribus levem Christi sarcinam ferrent: (*Matth.* XI. 30.) sed etiam quisquis infirmior, et illi gloriosissimæ perfectioni minùs idoneus, qui tamen meminerit se veraciter esse Christianum, cùm audierit sibi proponi, quòd nisi hæc omnia dimiserit, dimissurus est Christum, apprehendet potiùs *turrim fortitudinis à facie inimici:* (*Ps.* LX. 4.) quia cùm eam in sua ædificaret fide, *computavit sumptus quibus perfici posset*, (*Luc.* XIV. 28.) id est, eo animo accessit ad fidem, ut huic seculo non solum verbis renuntiaret: quia et si *emit* aliquid, *tanquam non possidens* erat; et *si utebatur hoc mundo, tanquam non utens* erat: (1. *Cor.* VII. 30. *et* 31.) non sperans in incerto divitiarum, sed in Deo vivo.

N. 34. Cùm enim omnis qui renuntiat huic seculo, sine dubio renuntiet omnibus quæ sunt ejus, ut possit Christi esse discipulus : ipse enim cùm de sumptibus ad turris ædificium necessariis, et de bello adversùs regem alterum præparando, similitudines præmisisset, adjunxit sic, *Qui non renuntiat omnibus quæ sunt ejus, non potest meus esse discipulus :* (*Luc.* XIV. 33.) profectò renuntiat etiam divitiis suis, si quas habet, aut sic ut eas omninò non diligens, totas distribuat indigentibus, et superfluis exoneretur sarcinis : aut sic, ut plus diligens Christum, spem ab eis transferat in ipsum, atque ita utatur illis, ut facilè tribuens et communicans, thesaurizet in cœlo, paratusque sit quemadmodum parentes, et filios, et fratres, et uxorem, hoc modo et istas relinquere, si talis conditio proposita fuerit, ut nisi dimisso Christo eas habere non possit. Nam si aliter huic seculo renuntiat, quando accedit ad fidei sacramentum, facit quod de lapsis beatus Cyprianus ingemit, dicens : *Seculo verbis solis renuntiantes, et non factis.* De hoc quippe dicitur, cùm veniente tentatione, magis ista meluit amittere, quàm Christum negare, Ecce *homo qui cœpit ædificare, et non potuit perficere.* (*Luc.* XIV. 30.)

N. 35. Sed non sunt tales divites Christiani, qui licet ista teneant, non tamen ab eis ita tenentur, ut hæc Christo anteponant ; quia veraci corde seculo renuntiarunt, ut nullam spem in talibus ponant. Hi uxores et filios universasque familias ad Christianam religionem tenendam sanà eruditunt disciplinâ. Horum domus hospitalitate ferventes recipiunt justum in nomine justi, ut mercedem justi accipiant. Frangunt esurienti panem suum, nudum vestiunt, captivum redimunt, thesaurizant sibi fundamentum bonum in futurum ; ut apprehendant veram vitam. Et si fortè pro fide Christi pecuniaria damna perpetienda sunt, oderunt divitias suas : si suorum orbitates vel separationes pro Christo minatur hic mundus, oderunt parentes, fratres, filios, uxores : postremò si de ipsa hujus temporis vita cum adversario paciscendum est, ne desertus deserat Christus, oderunt insuper animam suam. De iis quippe omnibus mandatum acceperunt, quòd aliter discipuli Christi esse non possint.

N. 36. Nec tamen quia præceptum est eis, ut oderint pro Christo et animas suas, vendendas eas habent, aut illatis sibi manibus effundendas : sed parati sunt eas amittere, pro Christi nomine moriendo, ne mortui vivant, Christum negando. Sic etiam divitias, ad quas vendendas parati non fuerunt, monente Christo, ad perdendas eas debent parati esse pro Christo, ne cum eis pereant perdito Christo.

S. THOM. 2. 2. *Quæst.* 184. *art.* 3. *Vide suprà hacce Conclusione, litt.* (A)

FINIS SECUNDÆ PARTIS ET TOMI SEXTI.

INDEX

TOMI SEXTI.

SECUNDÆ PARTIS SECTIO QUARTA.

De Præceptis Ecclesiæ.

CAPUT I. *De Præceptis Ecclesiæ in genere.* Pag. 1

CAPUT II. *De Primo Præcepto Ecclesiæ ; quod est circa Festorum sanctificationem.*

§. 1. De Diebus Festis in genere , et de Potestate Ecclesiæ circa Festorum institutionem. 3

§. 2. De Festis sigillatim , ac primò quidem de Festo SS. Trinitatis. 7

§. 3. De Festis Christo Domino sacris , ac primùm de Annuntiatione Dominicâ ejusque Conceptione. 20

§. 4. De Tempore Adventûs. 26

§. 5. De Nativitatis Domini solemnitate. 34

§. 6. De Circumcisione Christi. 47

§. 7. De Epiphania Domini. 52

§. 8. De Præsentatione Domini in Templo , et de Purificatione B. Mariæ Virginis. 67

§. 9. De Majori Hebdomada , ac primò de Dominicâ Palmarum. 72

§. 10. De Feriis Quintâ et Sextâ majoris Hebdomadæ. 84

§. 11. De Sabbato sancto. 104

§. 12. De die sancto Paschæ. 112

§. 13. De Festo Ascensionis Christi. 126

§. 14. De Festo Pentecostes. 136

§. 15. De Festo Corporis Christi. 147

§. 16. De Festo Sanctorum in genere. 155

§. 17. De Festis B. Mariæ Virginis. Ac primò de ejus Conceptione. 163

§. 18. De Nativitate B. Mariæ Virginis. 174

§. 19. De Assumptione B. Mariæ Virginis. 183

§. 20. De Festis Angelorum. 197

§. 21. De Festis sancti Joannis-Baptistæ. 202

§. 22. De Festis sanctorum Apostolorum , Evangelistarum , Martyrum , Confessorum , Sanctarumque vel Virginum , vel Viduarum , vel Nuptarum , vel Pœnitentium. 211

§. 23. De Festo Sanctorum omnium. 232
§. 24. De die commemorationis omnium Fidelium defunctorum. 234
§. 25. De Festo Dedicationis Ecclesiæ. 240

CAPUT III. *De Secundo Ecclesiæ Præcepto, sicilicet de audiendo Sacro diebus Dominicis et Festis, et de Missa Parochiali.* 246

CAPUT IV. *De Tertio Ecclesiæ Præcepto, circa Confessionem Annuam.* 258

CAPUT V. *De Quarto Præcepto Ecclesiæ circa Communionem Paschalem.* 267

CAPUT VI. *De Quinto Præcepto Ecclesiæ, circa Jejunia.*
§. 1. De Jejunio in genere. 270
§. 2. De Quadragesimali Jejunio. 310
§. 3. De Quatuor temporum, et Vigiliarum Jejuniis. 326

CAPUT VII. *De Sexto Præcepto Ecclesiæ, circa dies Abstinentiæ.* 340

CONCLUSIO HUJUS SECUNDÆ PARTIS. *De perfectione vitæ Christianæ, et de Consiliis Evangelicis.* 397

FINIS INDICIS TOMI SEXTI.

1069